


ORBIS QUOD VULT:

IN OBIECTIS Centum SCIENTIARIUM.

SEU

OMNI-SCIBILE,

Magri Fris Candidi Potocki Provincialis 1708

Compendiosè, & Distinctè,

pro Conventu Generali Cracoviensi Augustiniano

EXPLICATUM.

ad Sanctam Catharinam.

In Mysterio Concrucifixionis Christo:

B. FRANCISCI, Patriarchæ Minorum.

Novâ Methodo, ac Materiâ, Lectoribus & Prædicatoribus Opportunâ, Omnibusq; Scientificis Iucundâ,

Ut Corda Fidelium, in Christi Crucifixi, accendantur amorem.

(*Iuxta Bull. Pauli V. Pontif. Max.*)

DECLARATUM.


Omnigenæ Inventionis & Multiplicis Sensûs,

Quingentis CONCEPTIBUS,

R. P. ANTONII SULCZ, Poloni.

Ord. Minor. Reg. Obs. Prov. Russiæ, S. Th. Lector. & Præd. Gen.

ANNO DOMINI M DC LXXXII.



DANTISCI,

Imprimebat DAVID-FRIDERICUS RHETIUS.

IN DOCTRINIS,
GLORIFICATE DEUM.

Isaiæ cap. 24. v. 5.



Mnemosynon Gratitudinis.

DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

IESV CHRISTO

DEO HOMINI.

Optimo Redemptori Orbis, Restauratoriq; Maximo.

Sapientiæ æternæ Verbo Infinito. Verbo in excelsis, Fonti sapientiæ.

Domino Scientiarum, & Thesauro omnis sapientiæ & scientiæ Dei.

Characteribus Sacrorum Vulnerum suorum,

Salutaribus Redemptionis signis.

Inaudito à sæculis, & singularissimo, Miraculo & Priuilegio.

Viuifico Corpori B. FRANCISCI.

Paruuli Euangelici, Viri Apostolici Patris Seraphici:

Inter Fundatores Ordinum Quarti, Minorum Patriarchæ.

Christianorum: Vexilliferi, Stemmatophori, Cancellarij.

Impressis realiter, & Authentice Expressis.

Sapientiam Crucis:

Mundanis Insipientiam. In se Sophiologiam, & omni Scibile.

Orbi Vniuerso

REVELANTI & PRÆSENTANTI.

Quòd inferre deceat:

Gratia hîc posuit: quidquid in Orbe fuit.

OB MODICAM HANC
LVGVBRATIONEM
Ad Honorem: *Deificarum Plagarum Crucis.*
In Renouatione sui, Cancellatione Stigmatum.
Omnipotentiæ: Miraculum miraculorũ, Tesseræq; Prodigij.
Misericordiæ infinitæ: Aposphragismata, sigillaq; Amoris, Existentium.
Quinque Libris,
Conceptibus Quingentis, singulis Capitibus, Quincunxe constitutis,
EXPLICITAM.
Quamuis nec Ingeniosa, nec Affectuosa.
Attamen, quia inter Distractiones plurimas, & Occupationes Varias,
Periodo signatâ.
Alijsq; pro Bonis, Donis, Gratijs, Beneficijs.
Effuso in Affectũ corde, prostrato in submissionem Copore,
Gratitudinis Debitum refero,
Grati Animi monumentum pono,
Summas ago gratias,
Maximo in Orbe, in Ordine Minorum, Minimus.
IESV Rex BONE
Benedictum sit Nomen Maiestatis tuæ in æternum.
Nam Numine istæc, incohata sunt Tuo.
Et Numine istæc, absoluta sunt Tuo.

PARA-

PARAPHRASIS INSCRIPTIONIS OPERIS.

ORbis nomen, *Vniuerso Mundi*, tribuitur. quòd Sphæricâ figura terminatur; & quòd literæ, omnium initialis sit figura; ad discretionemq; mundi, qui *Deum non cognouit*, seu mundanorum. In præfixo verò Titulo: *Orbem nostrum*, non puta cum Cicerone, 2do de Natura Deorum: *Tanquam communem Deorum atq; Hominum domum, aut vrbem vtrorumque.* Nec cum Pimandro Trismeg: serm: 12. *Quod sit magnus Deus, imago maioris, iunctus illi, Patris ordinem & voluntatem seruans, vitæ totius integra plenitudo.* Nec iuxta illud: *Mundus dici potest: Magnus & inuisibilis liber, per characteres physicos, diuinâ arte formatos, diuinam sapientiam & potentiam nobis patefaciens, vt Authorem eius noscamus & veneremur.* Sed supponẽdo ex sententia Platonis: *Mens Diuina non participata: est Mundus idealis; & originalis; Mens participata: est Mundus idealis per participationem; Anima rationalis: est Mundus rationalis, cum sit omnia per insitas rationes.* Item ex Aristotele, in 8. Phys: 17. *Omne Animal, per Metaphoram dici potest Mundus, quatenus est totum quoddam, quod ex se mouetur, & ab anima, tanquam à proximo Deo regitur & dirigitur. Præsertim tamen hoc competit homini.* Tandem existima, intelligasque. Quemuis accolam Orbis intelligentem, *naturaliter desiderantem scire*, quod sciri potest, seu Scibile. Vnde vulgo: *Homo, Orbis est mortalis. quoad corpus;* moralis quoad *Vniuersitatem scientiarum.* Sic intelligendi porrigit tibi motiuum, Franc: Picolomineus de rer: def: L. 1 fol: 193. Annot: quæst: Cur Homo paruus dicatur Mundus. *Quia solus aptus est per mentem fieri omnia, adeò vt vir sapiens, fit omnia per imitationem. & dum præditus est habitu sapientiæ, est omnia habitu. Dum eo vtitur, est omnia habitu & actu, ac etiam per habitum scientiæ, est omnia Scibilia, per habitum prudentiæ, omnia agibilia, per habitum Artis, omnia effectibilia.*

AFFE-

AFFECTVS
IN SERAPHICVM PATRIARCHAM ORDINIS MINORVM.
Excellent: Dñi M. STANISLAI IOSEPHI BIEZANOWSKI,

In Vniuersitate Cracouiensi, Philosophiæ Doctoris, Colleg: Minor: Ordin: Pòës: Professoris, Insignis Pòëtæ, & Clarissimi Auctoris.

IN Cruce tota salus, Sapientia tota Salutis;
Vulneribus docuit, quam Crucifixus Amor.
Hæc Diuina Crucis sapientia: Scibîle totum est.
Arcano cupiens, quam renouare stylo.
Ecce nouos impressit Amor, per stigmata libros;
Dulcia FRANCISCO vulnera, quando dedit.
Innuit hoc pleneq; docet, per Dogmata Centum
Acad, Crac. Vere flammeus hic, Seraphicusq; Liber.
Stemma. Scilicet in Gracio, manus hæc formata Lyceo.
Crux Sceptrorum. Quam didicit, loquitur scribit amatq; Crucem.
Ergo si totum, Doctrina quod patet omni
Cata Tuî capiunt: Vulnera quinque Patris.
Russiæ. Roxica Seraphici, gaude Prouincia cætus,
Sat tibi cor sapiens, in Cruce quando sapis.

Censu



CENSURA, & Facultates DIÆCESANÆ.

Constantinus, Comes in Lipie Lipski.

DEI & Apost. sed. Gratiâ Archiepiscopus Leopoliensis. Abbatiæ Andr. perpet. Administrator.

PRæsens opus: Orbis quod Vult. R. P. Antonii Sulcz Ord. Minor. Reg. Obser. in Connentu Leopol. S. Theol. Lectoris & Prædic: Generalis. trutinatum & revisum, a Censoribus deputatis a Nobis, Autoritate Metropolitanâ, facultatem imprimendi damus & concedimus. Dat. Leopol. 22 Maji Anno 1682.

Qui supra mpp.



Casmirus Zwierz, DEI & Apost: sedis Gratiâ, Episc. Orthoniensis, Suffraganeus, & Decanus Luceorien. Vicarius in Spiritual. & Podlach. ac Brestn. Offic. Generalis.

OPus, dictum: Orbis quod Vult. R. P. Antonii Sulcz Ord. Minor. de Obser. Theologi & Prædicatoris Generalis, protunc Guardiani Brestnens. Facultatem imprimendi (monstratis Romanis Approbationibus) postulantis. ex Commissione Illustriss. & Reverendism. Domini Stanislai a Lubranice Dambski, DEI & Apostol. sedis Gratiâ, Episcopi Luceor. & Brestn. nominati Plocens. a deputatis a nobis Theologis, revisum & aprrobatum: cum nihil Catholicæ Fidei contrarium sensuiq; S. Patrum contineat. immò Spiritualibus ac Doctrinalibus dogmatibus, quemque instruat, moveat & exhilaret; luce publicâ dignum iudicamus, & licentiam imprimendi concedimus. Dat. Brestnæ, A. D. 1681. Maji. 2.



Qui supra mpp.

ORDINIS, Generales Approbationes, Romæ, Examinati Opuſculi.

IUſſu Reverendiſſimi Patris noſtri, Antonii Mariæ a Venetia, Vicarii Generalis Minor. Obſervantium, opus prænominatum Orbis quod Vult. Auctore R. P. Antonio Sulcz Polono, Regul. Obſerv. Lectore & Præd, accuratè perlegi. nihilq; quòd Orthodoxæ Fidei, S. Patrum Doctrinæ, aut Chriſtianis moribus non conſonet offendi. Quin potius reperi plurima, recommendantia Auctoris ſubtilitatem, quâ univerſum effloreſcit Opus, ac præſtantoribus præſentis ſæculi ambidextris Theologis, ſupparem facile oſtendentia. cùm ex omnium ſcientiarum paſſionibus & proprietatibus, Æncomia Stigmatiſati Patriarchæ noſtri deducit, & iſta profundioris ſacræ paginæ locis, absq; Violentia comprobat. Quapropter publicâ luce dignum cenſeo, & utilisſimum judico. Romæ in Ara Cœli, 17. Febr. Anno Domini 1672.

Fr. Joan. Garrido e Melgar. Lect. Jubil. Reg. Cath. Caroli II. Hiſp. Concionator. Romæ, S. Theol. Lect. primar. Generalis mpp.

EGo Subſcriptus, *juſſu Reverendiſſimi Patris Noſtri Vicarii Generalis, Opus hoc, ut ſupra, attente perlegi. & nihil in eo Fidei Catholicæ, aut honeſtis moribus abſonum inneni. immò deprehendi plenum pietate & ingenio Quare laborioſam Lugubrationem, omnibus ingeniis perıucundam, publicæ luci donandam cenſeo. Romæ, 18. Febr. Anno 1672.*

Fr. Franciſcus de Raguſa, Prædicator & S. Theol, Romæ in Ara-Cœlitano Conv. Lector Generalis, mpp.

Fr. An-

Fr. Antonius Maria, Venetus, Ord. Minor. Reg. Obs. Concionator ac Lector Generalis, Exprovincialis, S. Officii Qualificator ac Consultor, & in tota Cismontana Familia Observ. Vicarius Generalis & servus.

Dilecto nobis Multum in Christo P. Antonio Sulcz ejusdem Ord. Pröæ nostræ Observ. Poloniæ, Concionatori & Lectori Salutem.

UT opus a Te sedulò elaboratum, cui Titulus est: Orbis Quod Vult &c. a Patribus a Nobis deputatis, jam revisum examinatum & approbatum, prælo ad publicam utilitatem, mandare possis & valeas, tenore præsentium Tibi facultatem elargimur, ea tamen lege, ut quæ a sacris Canonibus, & Regularibus Sanctorum Patrum institutis, Sanctionibus Apostolicis, ac S. Concilii Tridentini Decretis, hâc de re Sancte præscripta sunt, accurate ac diligenter, omnino serventur. Datum Romæ in Ara-Cæli, 20. Febr. Anno Domini 1672.

 Fr. Antonius Maria, Venet. Vicarius Generalis mpp.

PROVINCIÆ, Censuræ & Licentia.

EX Commissione A. R. P. Demetrii Wolski, Præd. Generalis, Prôæ Russiæ Provincialis, Scripta hæc ut supra, vidi & accurate legi. Et cùm nihil contrarium Fidei Catholicæ, bonis moribus, & Sanctorum Patrum sententiis contineant, sintq; inventionis subtilitate, pietate, ac probationum soliditate recommendabilia, & omnibus utilia: publicâ luce donanda censeo, & dignum iudico. Leopolii in Conv. nostro, Anno Domini 1682. Maii.

Fr. Joan. Chrys. Orchowski Provinc. Russ. Diff. Habit., Præd. Generalis, Leop. Ordin. mpp.

PErvigili solertia, ac singulari in Sanctissim. Patriarcham Stigmatisatum Franciscum devotione, compositum Opus, intitulatum

tulatum Orbis Quod Vult, committente A. R. P. Demetrio Wolski Præd. Generali, Pròæ Russ. Ministro, Auctoris ut supra, qua par est diligentia legi, & cum nihil sacris Canonibus, & S. Concilii Tridentini decretis, contrarium reperi, subtilis & devotus labor, ut typis mandetur, necessarium iudico. Leopoli, in Conv. P. Bernard. Anno D. 1682. die 3. Maji.

Fr. Franciscus Raysiewicz. S. Theol. Lect. Generalis, Proæ Pater, & Custos Custodum actualis, mpp.

Fr. Demetrius Wolski Ord. Minor. Obser. Reg. Prædicator Generalis, Provinciæ Russiæ, Minister Provincialis, & servus.

Plurimum Dilecto Nobis in Christo, Adm. Vnrdo Patri F. Antonio Sulcz ejusdem Ordin. & instituti, Prædic. Generali, ac in Connentu Leopoliensi, S. Theolog. Lectori Actuali, Salutem in Domino.

ELaboratæ eruditionis ac devotionis Opus, dictum Orbis quod Vult. seraphici Patriarchæ nostri, sapientiæ Crucis mysteria, multiplici acumine, documentoq; declarans: a deputatis a nobis Patribus & Theologis censuratum & approbatum. Ut publicæ Luci typis porrigatur, servatis servandis, tenore præsentium, cum benedictione DEI concedimus. Datum in Conventu nostro Leopol., die 17. Majii, Anno 1682.



Fr. Demetrius qui supra mpp.

IMprimatur, Opus istud. Orbis Quod Vult intitulatum. de mandato Illustrissimorum ac Reverendissimorum, Ecclesiæ suæ Prælatorum. ac a Superioribus Ordinis sui, examinatum & approbatum. Dat. Dantisci A. D. 1682. 12. Aug.

Nicolaus Sosnowitz Surrog. Official. Generalis Gedan. mpp.

PRÆ

PRÆFATIO.

Qui Legit Intelligat. Matth. 24, 15. Marc. 13, 14.

BEnevolus trito Usu appellaris, quòd *nihil volitum nisi cognitum*, aut quòd *Bonitas* Voluntatis, requiratur ad Cognitionem, *in malevolam animam, non intrante Spiritu Sapientiæ.* A me verò Sap. 1, 4.
appellaris *Microcosmus*, seu parvus Orbis. *Omnis creaturæ ha-* S Greg. Hom
bens aliquid, nec à materiali Orbe differens, nisi *Intellectu & Voluntate.* de præd. Cre-
Et tali sensu, te rationalem Orbem, alloquitur Titulus: Ut quemad- aturæ.
modum *Multitudo Sapientium, sanitas est Orbis terrarum*, Ita Orbis tui sit Sap. 6.
Sanitas, multitudo Scientificorum Objectorum: In Sapientia Crucis, (quam mundus censet stultitiam) repræsentatorum. Nec nomen Opusculi, insolitum aut insolens videatur. Paræmia enim omnium ferme oris, (pro libris non præstantibus, quòd Exordia pollicentur) *Præfatio Libro prolixior*, locum hìc non habet, promissisque mate- Adag. Eras.
ria respondet. Institutum enim, ad declarandam diversorum argu- cit. Absur.
mentorum copiam. Et sicut pro totius *Salute Orbis*, Vulnera Crucis Christus passus est. Ita decuit ut Rationabili Orbi, monstrarentur mysteria eorum, in Concrucifixione Francisci, prout Evangelicus Apostolorum sonus, *in omnem terram exivit, & in fines Orbis terræ.* Psal. 18.

Porro Conceptus ex *Centum Scibilium* Objectis, *Quinquies Centum*, distinctim statuuntur, in honorem Quincunxis Vulnerum Iesu, in Francisci corpore expressorum, idque motivo illo *Centuplum accipietis*, tot laudes & modica æncomia, complere satagendo. Scibilia verò non explano, vel tracto *per se* & ex assumptò; Sed quoad *dogmata proæmialia*, & per Accidens, ad intelligentiam immediatiorem Conceptuum. Plura in Genere & Specie de Scibilibus, in Compendio meo: *Domus Sapientiæ*, si Deo placuerit, videbis. Admonendus item quisque, de nostro circa Usum Vocabulorum instituto, obtempero enim: *Devitans* 1. Tim. 2.
profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis Scientiæ. Et magna cum Religione, antiqua Nomina retineo, aut nonnisi reduco *Græce & Latine*, aut *Græcò Latine*. Usu *Onomatopæjæ*, similiter cadentium adinventione. At si inter distractiones crescentis partûs istius, *Methodum*, aut *neglectum*, non laudabis *Stylum*, ita opus, non vocabat, ac *Deus & Natura*, ultra non dedit. In Materiaque præsenti concurrentium in idem, *tot prænotionum, tot proportionum*, sane difficilis erat Inventio, difficilior Dispositio & Explicatio. Unde plura seposui, plura non adamussim proposui. *Scribimus pariter docti & indocti, nec scire fas est* Horat. Libr.
omnia. Corrigenda itaque, quæ obvenerint, fac correctionis zelo, non carm.
corrosionis Zoilo. Etenim *benignus est Spiritus Sapientiæ, & non liberabit* Sap. 1.
maledicum, à labiis suis.

PROTESTATIO & INTENTUM
AUCTORIS.

SAnctæ, Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ, Ecclesiæ, Scripta mea omnia, sensui & judicio, libenter & humiliter subjicio. Et animatus textu, Sacro: *Laudemus Viros gloriosos & parentes nostros, in generatione sua, multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua, à sæculo. Eccl.* 44. Dum simplicitate meâ, mysteria Crucis, in Patriarcha Minorum explico: Jesu Christo Domino nostro omnia primariò tribuo, ad ipsumque spectare & ab ipso emanare, quodque Bonum, Humilis & Pauperis Servi ejus Francisci, credo & profiteor. *Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Rom. II.* Nec interpretatione propriâ, aut Violenter, Scripturam; sed devotá non nisi, & indifferenti applicatione usurpo, nihilque indebito & extraordinario Cultũ, appropriare intendo. Ut *qui Foris sunt*, I. Tim. 3. *Et is qui ex adverso est, Vereatur nihil habens malum dicere de nobis.* Tit. 2. v. 8. Exequor itaque in quantùm expedit & decet, *Laudare Deum in Sanctis ejus, Psal.* 150. Sanctis: Creaturis, Servis, Amicis Dei. Cui *Soli, Honor & Gloria, in sæcula sæculorum.* 1. Timot. 1.

Anacephalæoſis Scibilium.

Sacrorum, Scholaſticorum, Politicorum, Æconomicorum, Mechanicorumque.

Et

Libri Primi. Scibilia Sacra ſunt:

1	Theologicum.		Conceptus.	ſ.
2.	Theoconomicum.		Conc.	ſ.
3.	Myſticum.		Conc.	ſ.
4.	Aſceticum.		Conc.	ſ.
5.	Hagyographicum.	Continet.	Conc.	ſ.
6.	Hypomnegraphicum.		Conc.	ſ.
7.	Theomaticum.		Conc.	ſ.
8.	Apocalypticum.		Conc.	ſ.
9.	Leviticum.		Conc.	ſ.
10.	Ritualicum.		Conc.	ſ.
11.	Hierarchicum.		Conc.	ſ.
12.	Cathechiſticum.		Conc.	ſ.
13.	Panærethicum.	Continet.	Conc.	ſ.
14.	Thaumaturgicum.		Conc.	ſ.
15.	Martyrologicum.		Conc.	ſ.
16.	Exorciſticum.		Conc.	ſ.
17.	Canonicum.		Conc.	ſ.
18.	Controverſiſticum.		Conc.	ſ.
19.	Ethicum.		Conc.	ſ.

Libri II. Scicilia Scholaſtica:

20.	Philoſophicum.		Conceptus	ſ.
21.	Metaphiſicum.		Concep.	ſ.
22.	Phyſicum.		Concep.	ſ.
23.	Phyſiologicum.		Concep.	ſ.
24.	Phyſiognomicum.	Continet.	Concep.	ſ.
25.	Meteorologicum.		Concep.	ſ.
26.	Mineraticum.		Concep.	ſ.
27.	Medicum.		Concep.	ſ.
28.	Pharmaceuticum.		Concep.	ſ.
29.	Chirurgicum		Concep.	ſ.

30.	Anatomicum.		Conceptus.	5.
31.	Alchymicum.		Conc.	5.
32.	Chysopæicum.		Conc.	5.
33.	Mathematicum.		Conc.	5.
34.	Astronomicum.		Conc.	5.
35.	Astrologicum.		Conc.	5.
36.	Geographicum.		Conc.	5.
37.	Hydragogicum.	Continet.	Conc.	5.
38.	Opticum.		Conc.	5.
39.	Catoprtcum.		Conc.	5.
40.	Gnomonicum.		Conc.	5.
41.	Arithmeticum.		Conc.	5.
42.	Geometricum.		Conc.	5.
43.	Metricum.		Conc.	5.
44.	Musicum.		Conc.	5.
45.	Logicum.		Conc.	5.
46.	Dialecticum.		Conc.	5.
47.	Rhetoricum.		Conc.	5.
48.	Paræmiaticum.		Conc.	5.
49.	Historicum.		Conc.	5.
50.	Poeticum.		Conc.	5.
51.	Mithologicum.	Continet	Conc.	5.
52.	Ethologicum.		Conc.	5.
53.	Grammaticum.		Conc.	5.
54.	Lexicum.		Conc.	5.
55.	Alphabeticum.		Conc.	5.
56.	Legitericum.		Conc.	5.
57.	Orthographicum.		Conc.	5.
58.	Cryptographicum.		Conc.	5.
59.	Didacticum.		Conc.	5.

Libri III. Scibilia Civilia:

60.	Politicum.	Conceptus.	5.
61.	Magistraticum.	Conc.	5.
62.	Eugenicum.	Conc.	5.
63.	Honoraticum.	Conc.	5.
46.	Privilegicum.	Conc.	5.

65. Poli-

65.	Polimicum.		Conceptus.	5.
66.	Poliocerticum.		Conc.	5.
67.	Pyrotechnicum.		Conc.	5.
68.	Armamentaricum.		Conc.	5.
69.	Stratagematicum.	Continet.	Conc.	5.
70.	Sciomachicum.		Conc.	5.
71.	Triumphaticum.		Conc.	5.
72.	Epithalamicum.		Conc.	5.
73.	Symposiacum.		Conc.	5.
74.	Theatricum.		Conc.	5.
75.	Cynegeticum.		Conc.	5.
76.	Euphoricum.		Conc.	5.

Libri IV. Scibilica Domestica:

77.	Æconomicum.		Conceptus.	5.
78.	Georgicum.		Conc.	5.
79.	Vindemiaticum.		Conc.	5.
80.	Phitologicum.	Continet.	Conc.	5.
81.	Botanologicum.		Conc.	5.
82.	Bucolicum.		Con.	5.
83.	Meliturgicum.		Conc.	5.
84.	Halieuticum.		Conc.	5.
85.	Nauticum.		Conc.	5.

Libri V. Scibilia Artificialia:

86.	Mechanicum.		Conceptus.	5.
87.	Architectonicum.		Conc.	5.
88.	Latomicum.		Conc.	5.
89.	Zoographicum.		Conc.	5.
90.	Phrygiaticum.		Conc.	5.
91.	Textricum.	Continet.	Conc.	5.
92.	Vestiaricum.		Conc.	5.
93.	Scenopægicum.		Conc.	5.
94.	Chalcographicum.		Couc.	5.
95.	Bibliopæpicum.		Conc.	5.
96.	Aurgentearicum.		Conc.	5.
97.	Ferraticum.		Conc.	5.

Anagrammatismus Auctoris:

ANTONIVS SVLC

Summendo cùm Grammat. C. & S. pro X. & more Veterùm Istn, pro Iste.

ISTN: NOVA LVX.

HIc: nova Lux Mundi est, quæ Scibile discutit omne.
Hæc Lux Franciscum, pro millibus e-docet unum;
Signa Triumphalis Ligni, qui detulit Orbi,
Tartareumq; Crucis signo, qui comprimit Hostem.

Subtilis & prompti ingenii semper, Discipulo suo olim in Acad. Cracoviensi. Observantissimè posuit.
M. IACOBUS MOSCICKI. I. V. D.
Civit. Leopol. Asses. & Notarius.

Infor-

Informatio & Relatio Historica, Concrucifixionis Christo, B. Francisci.

Desumpt. ex Lection. Officii Divini Rom. & Lection. Breviar. ord. Minor. ac cap. 3tio Legendæ, S. Bonaventuræ, Cardin. Epis. Alban. Doct. Seraphici.

Idelis revera Famulus & Minister Christi Franciscus, biennio antequam Spiritum redderet cælo, cum in loco excelso seorsùm qui Mons Alvernæ dicitur, quadragenarium in honorem Archangeli Michaelis jejunium inchoasset: Supernæ Contemplationis dulcedine abundantius, solitò superfusus, ac cœlestiorum desideriorum ardentiori Flammâ succensus, supernarum cæpit immissionum cummulatius dona sentire. Dum igitur Seraphicis desideriorum ardoribus, sursum ageretur in Deum & affectûs compassivâ teneritudine in eum trans formaretur, cui ex Charitate nimia, crucifigi complacuit, quodam mane circa Exaltationem S. Crucis, in latere montis orans. Vidit quasi speciem unius Seraphim, sex alas tam fulgidas quàm ignitas habentem, de cœlorum sublimitate descendere, qui Volatu celerrimo, ad aeris locum Viro Dei propinquum perveniens, non solùm alatus sed & Crucifixus apparvit: Manus quidem & pedes habens extensos & Cruci affixos, alas verò, sic miro modo hic inde dispositas, ut duas supra caput erigeret, duas ad Volandum extenderet, duabus verò reliquis, totum corpus circumplectendo velaret. Hoc videns vehementer obstupuit, mixtumque dolori gaudium mens ejus incurrit, dum & in gratioso ejus aspectu, sibi tam mirabiliter quam familiariter apparentis, excessivam quandam concipiebat lætitiam, & dura conspecta Crucis affixio, ipsius animam compassivi doloris gladio pertransivit. Intellexit quidem illo docente interius, qui & apparebat exterius: Quòd, licet passionis infirmitas, cum immortalitate Spiritus Seraphici, nullatenus conveniret, ideo tamen hujusmodi visio suis fuerat præsentata conspectibus, ut amicus ipse Christi prænosceret, se non per Martyrium carnis, sed per incendium mentis, totum in Christi Iesu expressam similitudinem transformandum. Disparens itaque visio post arcanum ac familiare colloquium, mentem ipsius Seraphico interius inflammavit ardore, Carnem verò Crucifixo conformi exterius insignivit effigie

tanquam si ad ignis liquefacti vam virtutem præambulam, sigillativa quædam esset inpressio subsecuta. Statim namque in manibus & pedibus ejus, apparere cæperunt signa clavorum, ipsorum capitibus in inferiori parte manuum, & superiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus existentibus ex adverso. Dextrum quoque Latus quasi lanceâ transfixum rubrâ cicatrice obductum erat, quod sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam & femoralia respergebat. Postquam igitur novus homo Franciscus, novo & stupendo miraculo claruit, cum singulari privilegio retroactis sæculis non concesso, insignitus apparvuit Sacris videlicet stigmatibus decoratus, descendit de monte secum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei vivi. Quoniam verò Sacramentum Regis Seraphicus vir abscondere, bonum esse optime norat, secreti regalis conscius, signacula illa Sacra pro viribus occultabat. Verum quia Dei est, ad gloriam suam magna revelare, quæ fecit ipse Domius qui signacula illa secretè impresserat, miracula quædam, aperte per ipsa monstravit, ut illorum occulta & mira vis stigmatum, manifesta pateret claritate signorum. Porro rem admirabilem ac tantopere testatam, atque in Pontificiis diplomatibus, præcipuis laudibus & favoribus exaltatam, Benedictus Papa XI. anniversariâ solemnitate celebrari voluit, quam postea Paulus V. Pontifex Maximus, ut corda fidelium in Christi Crucifixi accenderentur amorem, ad universam Ecclesiam propagavit.

Altera Narratio Historica.

Mysterii Stigmatum.

Desumpt. ex Relat. Sociorum B. Patris, specul. antiq. Francis. ex Tract. Dassæ de Stigm. & Dialog. August. de Millio, ex Pelbar. Concion. de Stigm. ex Floret. Seraph. ex Annal. Minor. P. Wadingi, & novissimè ex Histor. Seraph. Montis Alvernæ.

CUm B. Franciscus, in latere Montis Alvernæ, quadragesimam Beati Michaelis Archangeli jejunaret, quodam mane dum ibi oraret, miram dulcedinem Divinam, abundantius solitò cæpit senti-

ſentire, & vidit de cœlorum ſublimitate deſcendere ad ſe Seraph, ignitas & ſplendidas alas habentem, & mons cernitur inflammari. Appropinquante illo, vidit inter alas Chriſtum Ieſum Crucifixum & Vehementer obſtupuit, & mærorem compasſionis, ſuper Chriſto paſſo, & gaudium ſuper ejus gratioſo aſpectu, mens ejus incurrit. Et cum arcana Verba ſibi revellaſſet, tandem dixit: Para te Franciſce, faciam enim in te mirabilia hodie, & ille: Tu ſcis Domine, quia paratus ſum ad omnia tua mandata, tunc Chriſtus extendit manum ſuam dexteram, ſuper B. Franciſci manum dexteram ponendo, ad cujus contactum Franciſcus Vulneratus in manu, doloroſâ Voce exclamavit: O Domine Ieſu & cecidit in terram, & ſic attonitus reſpiciebat Chriſtum, cui ſtupenti ait: Surge Franciſce extende aliam manum, & fecit ſimili modo in ſiniſtra manu ejus, & iteratò ille cecidit, ad quem Dominus iterum ait: Surge Franciſce ſurge & para te, & ille: Domine mi paratus ſum. Tandem dixit ei iterum Dominus, & poſuit pedes ſuos ſuper pedes Franciſci, & ille plagatus repente, clamavit & cecidit in terram, cui iterum Dominus, ſurge ut perficiam in te, quæ diſpoſui mirabilia, Franciſcus ait: Domine quis poterit ſuſtinere tales dolores? cui Dominus, quid tu feciſſes, ſi verbera ſpinas alapas, ſputa, aliasque pænas quas ego pro hominibus ſuſcepi, ſuſtinuiſſes, ſurgens tunc Franciſcus ait: Quod jubes Domine paratus ſum, tunc Chriſtus amplexans eum, latus ſuum junxit lateri B. Franciſci, & ſtatim impresſit plagam lateralem, tunc exclamavit: O pie Ieſu, ceciditque in terram quaſi mortuus, & Chriſtus in cœlum diſparvit, B. autem Franciſcus jacuit in terra, uſque ad horam nonam. Tunc Fr. Leo ſuperveniens & videns proſtratum, levavit eum. Hic autem Frater, ſtabat ſuper rupem quæ imminebat labro montis, & totum rei eventum ſuis oculis vidit. *Quæ Relatio, primâ expresſior, ſtylo licet ſimplicior, veridicè cum ſuperiori Communi, Verbo ad Verbum ponitur.*

NArrationum prædictarum Myſterium: Quaſi futurum anunciantes, explicant Sacri textus. Qui Perſonæ Beati Patris, convenire videntur.

Chriſto Confixus ſum Cruci, vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. *Item*: Ego ſtigmata Domini Ieſu, in corpore meo porto. Gal. 2. 19. & 6. 7.

Quædamque Allegata Sacræ paginæ, inveniri possunt, quæ quinque Textibus, quintuplex mysteriumConcrucifixionis, ænigmatice & allegorice edisserentia, devotâ interpretatione applicari quaunt.

Simili autem pœnâ servus cum Domino afflictus est, & popularis homo, Regi similia passus. Sap. cap. 18 v. 11.

Si est tibi servus Fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi Fratrem sic eum tracta, quoniam in sanguine animæ comparasti illum. Eccl. 33. v. 31.

Tu signaculum similitudinis, plenus Sapientia & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. —— Et foramina tua in die quâ conditus es, præparata sunt. Ezech. c. 28. v. 12.

Tuli virgam meam, quæ vocatur Decus & abscidi eam, ut irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis, & præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus. Zach. 11. v. 10.

Universi respondebunt & dicent. tibi. Et tu vulneratus es, sicut & nos, nostri similis effectus es. Isai. c. 14. v. 10.

Extat quoque Textus Verbi Dei: *Vidi alterum Angelum, ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi. Apoc. 7. v. 2.* Quem literaliter, S. Bonaventura Doctor Seraph. intelligit de insignito stigmatibus Patriarcha Minorum. *Prolog. Vit. D. Fran.* Item S. Bernardinus *de Evang. æterno, Serm.* 60. Doctorque Illuminatus, *apud Pisan. Lib. Confor.* 31. Approbante Leone X, Summo Pontifice: *Ad vineam suam excolendam, primò mane, oriente jam sole, ipse Paterfamilias Angelum illum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei vivi, Beatum Franciscum vocavit. Bullâ Ite in Vin.* At plura de Narrationibus Mysterii, ac Approbationibus ejusdem diversis, infra.

LIBERI.



In Nomine D. N. IEſu Chriſti.

LIBER I.

Scibilium Sacrorum.

Præcipua Objecta, Contenta, Conſiderata, Reductaque Scientifica.

In Myſterio Concrucifixionis Chriſto.

Seraphici Ordinis Minorum Patriarchæ.

REPRÆSENTANS.

Proœmium Conceptuum Generale.

THEMA: *Confiteor tibi Pater, Domine Cœli & Terræ, quia abſcondiſti hæc à Sapientibus & prudentibus, & revelaſti ea Parvulis*, Matt. Cap. 11. v. 25.

REvelationem, *occultorum realiter & actualiter manifeſtativam*, quinque præcipuè materialibus cauſari Modis: *Apertione*, *Detractione*, *Effoſione*, *Amotione*, *Explicatione*. Apertione, res occultæ in apricam producuntur lucem: quandò reſeratæ perſtant internorum clauſuræ; quandò aperta impedimenta, præbent luſtrandi ſecreta, facultatem. quemadmodùm, in *Fontibus* Iſ. 12. 3.
Salvatoris, ciſterna cruoris & lymphæ apparuit; cùm di-

Joan. 19. 24 rus mucro *Latus ejus aperuit.* Detractione, patefacta fiunt: si cortina pelleque abstracta, operta Velaminibus, denudantur. prout Agnorum caro, aræ Divinæ dicatorum, revela-
2. Paral. 35. v. 11. batur, cum *Levitæ detraxerunt pelles.* Effossione: dum effossa & ejecta rudera, thesauros vel cisternas præsentant.
2. Par. 26. 10. Ut Ozias, *effodit cisternas plurimas.* Amotione panduntur res occultæ: abductis peristromatibus obtenebrantibus, aut obstaculis. ita Racheli, aquam revelationi subjiciens
Gen. 21. 11. Jacob, *Amovit lapidem*, quo puteus claudebatur. Explicatione demùm, abstrusa difficultatum revelantur: quandò Obscuritatis Sensus, lumine edisserentis intellectûs illustratur; involuta, interpretationibus, in planum educuntur; aut si constricta sunt, distinctione scinduntur & resolvuntur.
Eccl. 32. 2. Unde sopitis œconomiæ difficultatibus, svadetur: *Omni cura tua explicitâ, recumbe.*

Talibus & paribus Modis, Revelatione *occultorum Sapientiæ & Omniscibilis*, præventus qualificatusque est, Christo JEsu Concrucifixus Franciscus. juxta verba Redemptoris, ad æternum Genitorem directa: *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* alter, assum-
1. Par. 22. 5. ptione *Minoritatis Tituli*, cum Sapientissimo Salomone, *Puer*
Gen 43. 28 *parvulus*; cum Benjamin, *Frater parvulus*; factus *parvulus*
Is. 60. 22. *in gentem fortissimam*; in medioque Apostolorum, alter
Matt. 18. 4. *constitutus* à Christo *Parvulus.*

Et quidem, *Apertione reali*, peracta Stigmatum Revelatio. dum in Concrucifixione, latus physicâ Vulneratione
Jud. 16. 18. apertum. Ut quod Dalila, de Samsone protulit: *Mihi aperuit cor suum.* id Seraphicus Vir de Christo: *Mihi ut suum, ita cor aperuit*, proferte potest. dùm manus & pedes, clavi infixorum clavorum aperti. ipsomet, ad quem Psalmogra-
Ps. 144. 16. phus: *aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*, explente in paupere Francisco, injunctum suum: *Ego*

Ego præcipio tibi, ut aperias manum, Fratri tuo egeno & pauperi. Item Detractione, facta est occultorum Revelatio. nam membra lateris, manuum, pedum, *cortice pellis*, cum Jacob: *detractisq́ corticibus*; vel cum Levitis, membranâ pellis, *detractaq́ pelle hostiæ*, (mos ut est Vulnerum) spoliata sunt. Effossione quoque: scilicet ligonibus clavorum, hiatus maceriarum carnis effodientibus. Usurpato modo illo dicendi: *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Amotione: nam scissuris, amotâ integritate continua carnis. profundæ foraminum latebræ, demonstratæ. non dicente Viro DEI, Redemptori impressori Stigmatum: *Amove à me plagas tuas.* Tandem, Explicatione omnium fermè occultorum, scientifica peracta Revelatio: quando mysteriosa difficultas, contracti & abbreviati in Cruce, Incarnati Verbi: reali Concrucifixione, in charta corporis Francisci explicata & explanata; exarata & enarrata. Ut non jam absolute Valeat, axioma illud: *Cuncta res difficiles, non potest eas homo explicare Sermone.*

Deut. 15. 11
Gen. 30. 37
Levit. 1. 6.
Psal. 21. 17.
Psal. 21. 17.
Eccl. 1. 8.

Revelatione igitur Vulnerum Crucis, seu: *in Revelatione JEsu Christi.* juxta: *Communicantes Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis.* Seraph Charitatis, Dux Minorum, ditatus dotatus donatus est. Ut consummata videatur Prophetia, in Concrucifixione ejus: *Revelabitur Gloria Domini.*

1. Pet. 7. 7.
ibid. 4. 13.
Is. 40. 5.

Sciscitantibus autem omnibus, quænam & qualia, revelata? non aliud responsum dandum, nisi: *omnia Sapientiæ Dogmata, omnia Scibilium Objecta.* Quòd non absque arcano, tot pretiosissimæ Mortis JEsu, collata sint Vulnera: quot hujus dictionis *Omnia*, Literæ. Remunerante Altissimo, devotissimi Spiritus ejus actus Anagogicos, miro affectu, continuis diebus, usurpatos: *DEus meus & Omnia, DEus meus & omnia.* Sed clarius & distinctius, hanc *Omni-*

Wad. Tom. 1. ad an. 2.

scibilis Objectorum Revelationem, enarrant sequentes paginæ: Repræsentantes mysterium, *Quintupl. ci Centuriâ Conceptuum.* quòd numerus hic, sacer sit. & *Sacrorum JEsu Quincunxi Vulnerum*, proportionatè censecretur.

Aditus Scibilium Sacrorum.

GEnus Scibilium Libri Primi, placuit dicere *Sacrum.* quòd concernat Ecclesiasticas personas; doctrinas; Ceremonias. Involuit enim considerata de DEO, ac quæ Divina censentur. Cujus *species subalterna*, prædicantes de aliis infimæ Speciei Scibilibus, in Honorem Quinque Vulnerum JEsu, totidem statuuntur: Scibile *Theologicum*, *Agyographicum*, *Dogmaticum*, *Ecclesiasticum*, *Ethicum.* Ut quasi
1. Cor. 14. sint illa Apostoli *Quinq; Verba*, quæ desiderabat *in Ecclesia loqui.*

CAPUT I.

De 1. Scibili Theologico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, & Naturam, Differentiam & Partitionem, Objectumq; Theologiæ, declarans.*

I. THeologia, à *Theos* & *Logos*, dicitur. id est Sermo de DEO. Et cum necesse sit pro statu isto, ponere & inspirari homini, *Doctrinam Supernaturalem*, ducentem ad cognitionem Finis Ultimi, defacto talis, à DEO immediatè revelata est.

II. Potestque sic describi: Est Scientia Sacra, Conclusionum de DEO rebusque Divinis, ex principiis cælitus inspiratis, revelationeque Fidei: edocens conformiter Rationi, contemplanda & Agenda supernaturalia.

III. Non tamen inde, quòd Contemplationem & Agen-

Agenda doceat: *Speculativa* & *Practica simul*, dicenda, sed potius *Practica.* quia omne, *Theologicè* cognoscibile, dirigit: aut ad amandum, aut ad colendum DEum. Et comparando eam, ad Intellectum *recipientem ipsam*, scias non esse supernaturalem. Comparando autem, *ad Agens, à quo est revelata*, esse. Acceptaque Theologia: pro *Habitu defensionis Fidei*, ut abstrahit à Methodo Scholastica, est *simpliciter* necessaria Universitati Ecclesiæ. Ut Fidei Dogmata explicentur & defendantur. At secundùm *Methodum*, quâ nunc communiter, utuntur Theologi, non esse quidem *simpliciter* necessariam, sed ad melius esse.

IV. Et quoniam hìc de Sola *Theologia Viatorum* tractamus, non ut est *in se*; ut est *DEI*; ut est *Beatorum*. communi divisione, duplex statuitur: *Naturalis* & *supernaturalis*. Illa, de DEO investigationem instituit, lumini naturali innixa: *intuendo principia rerum, causasq́. & ex vestigiis Creaturarum impressis, attollendo se & erigendo ad supremum perfectissimumq́; Ens considerandum, & in illo, perfectiones, aliis perfectionibus supereminentes.* Supernaturalis verò, est doctrina divinitus inspirata, magisterio Spiritus Sancti tradita, supponens Divinam Revelationem; considerans veritates Supernaturales, excedentes facultatem & captum intellectus creati. Cum nulla ratione naturali cognoscatur: Deum Authorem esse, non Solùm *Naturæ*, sed etiam *Gratiæ* & *Gloriæ*.

Porro *Naturalis Theologia*, rectè subdivideretur: in *Doctrinalem:* quæ Lumine Naturæ, & Rationis dictamine illustrata, ad Objecta Intellectûs, reducitur. in *Moralemq́:* quæ ex Lumine, Legeque Naturæ, notiones nonnullas Virtutis, Vitii, Justitiæ, Injuriæ, Boni Mali. quatenus Lumen oritur ex sensu, secundum *Leges Cœli & Terræ*, & ex interno affulget *Instinctu*, secundùm *Legem Conscientiæ*, conside-

rat. Cujus lux, non prorſus clara eſt, ut de *Officiis* Virtutum informet; ſed ejusmodi, ut potius *vitia*, quàdamtenus redarguat. *Supernaturalis* verò *Theologia*, diviſione celeberrimâ partienda: *in Poſitivam, & Scholaſticam*. Prior, in Sacrarum Scripturarum, interpretatione verſatur: conferendo linguarum idiomata; locum unum S. Scripturæ, per clariorem aliquando explicando; & ſenſu Sanctorum Patrum, Conciliorumque, Dogmata roborando. Alia, Veritates revelatas deducit, Methodo ad docendum, quam maxime accomodatâ: per *Diſinitionem*, *Diviſionem*, *Argumentationem*. Ut non ſolùm recto ordine, myſteria Fidei, cognitioni Fidelium proponat; ſed etiam Objectionum Vanitatem diſſolvat.

V. *Objectum Materiale*, Univerſæ Theologiæ, ſtatuitur: *DEus ut hic*, ſeu ut Ens primum & Unum, *DEus ut DEus*. id eſt, tam quoad Eſſentiam, quàm attributa ejus. Omnia enim quæ conſiderantur in Theologia, ad hoc Objectum dicunt *attributionem*, ut unus in Eſſentia DEus eſt, & trinus in Perſonis. quòd ſic conſideratus: ea quæ *ad intra ejus* ſunt, & *ad extra* per indiviſa Sanctisſimæ Trinitatis opera facta: adæquatum cognitionis Theologicæ conſtituant Objectum. Quantùm ad *Formale*, ex quo deſumi poteſt diverſitas cognitionum Theologicarum ab aliis, & convenientia illarum inter ſe: eſt *Revelatio Divina*. Omnis enim cognitio Theologica, ut contra diſtinguitur à *cognitione Fidei*, & ab omni alia, quæ non eſt infuſa cælitus: non habet pro Objecto Motivo, *Revelationem* hujusmodi, nec ab ea dependet. ideoque, per quam poteſt colligi, diſtinctio *Naturalis* & *Supernaturalis* Theologiæ, pro Objecto Formali, cenſenda.

INVENTIO. Conceptibus V: *Symbolum Imaginis DEI, Documentum ejus, Figuram, multiplexque mysterium unius & Ternarii numeri. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. ALtitudo Sapientiæ & Scientiæ DEI, creans principem humanæ gentis, similitudine Divinâ insignivit eum. *Creavit DEus hominem, ad imaginem suam.* In ea, typum unius in Essentia DEI, & trini in Personis, multi præstantiorum Doctorum, consistere in potentiis animæ nostræ, Memoriâ Intelligentia & voluntate declararunt. ut per *Memoriam*, Pater fæcundo intellectu generans. per *Intelligentiam*, Verbum Patris, seu Filius, per *Voluntatem*, Amor seu Spiritus Sanctus, intelligi & exprimi possint. *Profecto mens id est anima, reperit illius summæ Trinitatis imaginem, ad quam reminiscendam, videndam, diligendam, totum debet referri, quod vivit.* * CONCEP: Num: 1. Gen. 1. 27. Magist. 1. sent. dist. 3.

At nodosam hanc explicationem esse, imaginis Divinæ, longeque distantem à Prototypo. quòd hujusmodi imago in Mente, quoad illam similitudinem quæ habetur ab Objecto, fiat *Secundariò*, nec *intimè*. scilicet à Denominatione Objecti, quatenus circa illud, *Memoriæ Notitiæ* & *Voluntatatis*, sunt actus. Intimam autem Imaginem DEI, necesse esse Animæ, ac *primario*. tum ex Concreatione, ut repræsentet anima imaginem DEI, in sua Substantia, non in circumstantibus Substantiam, quales sunt Actus Memoriæ Notitiæ & Voluntatis; tum ut reluceat in anima *permanenter* non *transeuntur*, quatenus imago. Sicut anima est quid perpetuum & immortale. quòd dici, de transeunti Reminiscentiæ, Intelligentiæ, Amorisque actu, nequit. Idcirco ob difficilem Imaginis Divinæ, à Doctis quibusve, assignationem in nobis, ob intrincatamque explicationem ejusdem,

dem, merito admonuit quenpiam Doctor Theologorum: *Caveat ne hanc imaginem, ab eadem Trinitate factam, ita ei* Mag. Sent. in 1. d. 3. l. *comparet, ut omnino existimet similem: sed potius in qualicunque ista similitudine, magnam quoq; dissimilitudinem, cernat.* Clarius, Sacri & augusti oris Doctor: *Trinitas Supermirabilis superinennarabilis & superinaccessibilis, superincomprehensibilis,* Aug. Solil. c. 31. *superintelligibilis, quibus ideis, parabolis, similitudinibus, te repræsentem. Omne nostrum simile, tuo est dissimile, tantumq; à te distat, quantum Creatura à Creatore, Umbra à corpore, nihilum ab Ente, Finitum ab Infinito.*

Assistrix Sedium DEI, Sapientia æterna, Divinissimus Magister Veritatis JEsus, lucem imaginis suæ sacris Crucis Vulneribus, in Francisco delineavit, typumque tanquam *in novo secundùm DEum creato homine,* demonstravit. quod 1. Cor. 11. 7 deipso proferre liceat: *Vir imago & Gloria DEI est.* Nec novum quid videatur, imaginem Filii DEI, mysterio Vulnerum Christi, in Divo Patre explicatam. innititur enim fundamentis Sacri textus hujus: *ad imaginem DEI creavit* Corn à Lap. in Gen. Col. 1. *illum,* doctissimi Interpretis, expositio talis: *DEI,* id est *Christi, qui DEus est.* Ad Christi enim imaginem, specialiter creatus est homo, hoc enim est quod dicitur: *Quos* Rom. 8. 29. *præscivit & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui.* Sigmatisatum autem aspiciendo Franciscum, consideratamque conformitate passionis Christi Filii DEI, nullum remanet dubium, deferre eum *imaginem Filii DEI,* Christi, pro nobis Crucifixi. Pie eruditissimus, Montis Alvernæ Historiographus sensit: *Quale gaudium amoris invenit in se* Mont. Chron. pag. 97. it. 98. *Franciscus, Christi deificis Ulnis, obtinens non Materialia vel phantastica, sed Spiritualia, DEI formia, claritatis Divinæ illustrata radiis, accidentia nova. in eadem sua remanens anima, superni DEI Patris & Filii & Spiritus Sancti, amoris conjuncta Vinculo & Unita.* Spiritualem autem, quo DEO anima tena-

tenacissimo conglutinatur amoris glutino, transformationem in DEVM hîc enarramus, iuxta D. Augustinum. *Si Deum amas Deus es, si terram, terra es.* non naturâ, sed gratia.

II. Arcanum Sacrosanctæ Triados, in Passione Dñi nostri JESV Christi expressum, asseruit Aquila Euangelistarum: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt. & tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus & aqua & sanguis, & hi tres vnum sunt.* Et quidem *Spiritum* authorem spiritualis Christianorum vitæ, in clamore Crucifixi JESV: *Pater in manus tuas, commendo spiritum meum,* considerare est. de fonte quoq; vulnerati lateris eius, quòd *exiuit Sanguis & Aqua,* manifestum. In mysterio Vulnerum Crucis communicatorum Francisco, fuit *Spiritus Vitæ*, Spiritus Christi. *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius, si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit, propter iustificationem.* fuit *Aqua*, lachrymarum. dum compatiens Redemptori suo Crucifixo, gemitu lachrymoso, specus & syluas, (quas amator solitudinis inhabitabat) repleret, ita quòd cæcutiret, doloresq; oculorum, ad finem vsq; vitæ suæ, sufferet. fuit *Sanguis:* è vulneribus ita vbertim manans, quòd velamenta & tunicellam, (maximè feria sexta) cruentaret. *Et hæc tria in vnitate sunt.* in substantia scilicet vna, viuificati corporis. cùm in viuo corpore, *Spiritus Vitæ* soleat esse; à taliq; non nisi, *lachrymæ & sanguis* procedant. Ut aliquod arcanum *vnius & ternarij, sacri Diuini numeri*, in comunicatione Vulnerum JESV Francisco, videatur esse repræsentatum. Prout & D. Bernardus, non dubitauit, in aliis Symbolis assimilationem extrinsecam imaginis Sanctissimæ Triados, explica-

[Margin notes: * CONCE: *Num:* 2. — 1. Ioan: 5. 7. — Luc: 23. 4. — Ioan. 19. — Rom. 8. 9. — Ann: Ord: initio & S. Bonau. Vit. ipsius — Lect: Off. Stigm.]

plicare inquiens: *summa illa Trinitas, hanc nobis exhibuit Trinitatem, opus mirabile, opus singulare inter omnia opera sua. Verbum enim & anima & caro, in vnam conuenere personam, & hæc tria vnum, & hoc vnum tria, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ.*

Serm. 3. in Vig. Nati. Domini.

Et cum præferendæ Imaginis Dei, modus quoq; sit: *Communio Corporis & Sanguinis IESV Christi.* vt D. Chrysostomus testatur: *Hic sanguis facit, vt imago Regis in nobis floreat.* & iterum. *Hic sanguis floridam nobis, reddit, regiam imaginem.* Mensa autem Eucharistiæ. *est memoriale Mortis Domini.* profectò florilegium imaginis Dei, efflorescit in corpore Francisci, sacro *Memoriali Mortis Domini*, viuificè impressis Vulneribus Crucis, characterisati.

Homil. 55 in Ioan. Homil. 66 ad Popul. Antioch.

* CONCE: *Num.* 3.

III. Diuus quoq; Augustinus, post assimilationes varias, acumine felici suo, declarat vestigium Imaginis Dei, in corpore humano & sensibus eius: *in visu sunt tria, scilicet Res visa, ipsa visio, & Animi intentio.* Pari modo, & in consideratione Concrucifixionis, modesta aliqua exemplificatio licebit, vmbrisq; si non ad viuum coloribus, Imaginis delineatio. Adest *Vnitas*: vnius Substantiâ Corporis; in ipsaq; *Ternarius numerus*: triplicium realiter distinctorum signorum, nempè in manibus. pedibus, latere. Pro *Relationibus* autem *ad inuicem*: elucescit Relatio *similitudinis* Vulnerum; Relatioq; *respectûs* vnius manus ad Vulnus alterius manûs, simile in figura, passibilitateq; ac similiter in transfixis plantis, adest adinuicem Relatio, & respectûs & similitudinis. Porrò Symbolum *Nexus amoris*, inter Diuinum Patrem & Filium, amorem spirantium: Sacro Lateris Vulnere, medio inter alia, atq; ad sedem cordis (quod officina amoris est) amorosi nexûs mysterium, adumbrari & figurari potest. Mirumq; relatu, nec absq; arcano cælestis consilij euenisse

Lib: 1. de Trinit. ad finem Itē Libr. 11. initio.

tenisse, quòd aliqua mysteria Sanctissimæ TRINITATIS, *impressionem Stigmatum & præcesserint, & concomitauerint.* Siquidem ante Concrucifixionem præmonitus à Christo, quòd breui multa perpessurus esset, ad explorandum Dei beneplacitum, Confessario suo Fratri Leoni præcepit, vt in *Sanctissimæ Trinitatis nomine,* ter Librum Euangeliorum aperiret. ad cuius primam, secundam & tertiam apertionem, hæc eadem occurrerunt verba: *Passio Domini nostri IESV Christi,* Diuinæ Trisagios, in signis Passionis Domini, arcano radiante. In ipso autem Stigmatum actu, *sacer numerus ternarius* inuentus quoq; apparens enim Christus, tribus vicibus, porrigi sibi aliquod donarium mandauit; & Vir Dei, miraculosè in sinu suo *tres aureos nummos* repertos, ipsi obtulit. tum Dominus corpus suum, ter corpori eius apposuit: manus manibus; pedes pedibus; latus lateri. & *tribus ictibus* cum vehementissimo dolore, vulnera impressit. Ita Seraphicus Pater, cælo iam adscriptus, in visione apparens anno Dñi 1282. declarauit, & Annales vitæ eius referunt.

Annal. Minor. S. Bonau. c. 13. Leg. Mai.

Annal. ān. 1224. n. 16 Pisan. Cōf. 31.

IV. Admirabili præuisione & clementiâ Spiritus Sancti, in Concrucifixione, *similitudo Imaginis Dei,* Prophetæ textu. videtur prænunciata: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus, operimentum tuum, Sardius, Topazius & Iaspis. Chrysolitus & Onix & Berillus. Saphyrus & Carbunculus & Smaragdus. Aurum opus decoris tui, Foramina tua, in die qua conditus es, præparata sunt.* Et Sacri Textus sensum, *Venerabilis Beda,* affirmat spectare ad Luciperum, accolam olim alti Olympi, nunc Orci profundi. Idem S. Gregorius asserit, per *signaculum similitudinis,* intelligens imaginem Dei, *Propheta de Lucipero intelligit, quantò in eo subtilior est natura, eo magis in illo, Imago Dei insinuatur impressa.*

* CONCEP. n. 4.

Ezech. 28 12.

Lib. quæ. 9. de Ang.

Lib. 32. c. 25. in Iob, c. 40.

Cùm autem Fr. Pacificum, è primis Ordinis sociis, Vitæ sanctitate conspicuum, videntem in extasi, sedem cæteris præeminentem, vox de cælo edocuerit, & dubitanti cuinam esset præparata? responderit: *Hæc sedes fuit Luciperi, sedebit in ea humilis Franciscus.* ipsis dæmonibus, *Rauennæ.* in muliere Zantessa, adiuratis de *Indulgentia Portiunculæ*, proclamantibus: *Ipse obtinuit illam sedem gloriosam, Luciperi Principis nostri:* posse hæc applicari aliquo sensu, Concrucifixo Christo Patriarchæ Minorum, Et quidem opertus fuit *auro decoro:* Vestimenti deaurati, *Habitus Charitatis Dei.* ex qua complacuit semper, (vt S. inquit Bonauentura) concrucifigi Christo. Diuo Gregorio asserente: *Foramina auri sunt capacitas Charitatis.* Est quoq; *foraminibus* præditus: vulnerum. *in die qua conditus est præparatis:* per prædestinationem Dei, ab ipsa præuisione Creationis, impressionem Stigmatum Crucis, Francisco determinantis. Est item *signaculum similitudinis Dei*, cum Christi Filii Dei viui, præferat similia signacula vulnerum. Elogium in succensa fornace Babylonica, inter tres innocentes pueros deambulantis, similitudine Dei decorati: Francisco in Eclibano Seraphicæ Charitatis exardescenti, adscribere licet: *Et species quarti, similis Filio Dei.*

Annal. Minor: Tom: 1.

23. Moral. cap: 18.

Dan: 3, 92

V. Sanctissimam TRINITATEM, seipsam nobis multipliciter communicare, & in dies in nobis operari, mellifluus affirmat Bernardus: *In homine est Trinitas Creatrix, Pater & Filius & Spiritus Sanctus. ex qua prouenit creata Trinitas, Memoria Ratio & Voluntas. & est trinitas in quam cecidit: impotentia, cæcitas, immunditia: & est trinitas per quam resurgit: Fides Spes Charitas. & sicut Fides parit spem, spes charitatem, ita Pater generat Filium, Filius cum Patre, spirat Spiritum sanctum,*

* CONCEP. Num: 5. Serm: 1. inter parvulo.

qui

qui est notionalis Amor, Patris & Filii. Simili modo totam vitam Beati Francisci, referre figuram imaginis DEI, similitudinisq; eius mysterio mirificè illustrari, numeri *vnius & trini* expressione, nulli dubium, & sole clarius est. *Ordinem conditurus*, inquit S. Bonauentura: *Cultor Trinitatis Franciscus, ter Euangeliorum Librum aperuit, trino à Deo exposcens testimonio, cultum propositum confirmari.* legitq; primò de imitatione Christi, secundò de abnegatione omnium, tertiò de baiulatione Crucis. Ad exordium conuersionis suæ, *tres Ecclesias* ruinis proximas, voce de cælo hortante vt subueniret, restaurauit. *S. Damiani, S. Petri, & Portiuncula.* Euangelicæ vitæ Regulam amplexus: vouit redditq; *triplex essentiale Religionis votum.* Approbator Regulæ eius, fuit Summus Christi in terra Vicarius, INNOCENTIVS III. anno Pontificatûs sui *decimo & tertio.* Religionis Minorum anno *tertio:* idque antequam aliæ subsequutæ Approbationes. Fratribus rigorem regulæ, impossibile seruare ratiocinantibus, Sanctoq; Patre in hoc dubio Christum consulente, ter de cælo Dominus intonuit: *Regula seruetur ad literam, ad literam, ad literam; sine glossa, sine glossa, sine glossa.* Eunti cum socio Senas, *tres Angeli,* in specie Virginum pauperum, statura ætate & formâ persimilium, obuiauerunt salutantes: *Benè veniat Domina paupertas,* quæ nunquam postea apparuerunt.

Cap. 3. Mai: Leg.

Wad: T. 1. ad init.

Idem T. 1. fol. 51.

Pis. Conf. L. 1. Fr. 9.

S. Bonau. vit. c. 7.

Ultra si desideras: *Trium Ordinum Fundator* extitit, inquitq; S. Bonauentura: *trinâ vice pro Fide Trinitatis, sui sanguinis effusione dilatandâ, versùs infideles se contulit;* Saracenos nimirum. Puellæ in Castro Beuanii, oculorum priuatæ luminibus, *in Trinitatis nomine,* ter sputo suo oculos liniens, lumen restituit. Fratres suos triginta, *tribus* panibus saturauit. Ac *triginta mortuos,* inter-

Cap. 9. Leg. Mai.

S. Bon: c. 12. Leg. Maior.

intercessione sua ad Deum, vitæ restituit. vt diserte deducit R. P. Pisanus. Mortuus demum ipse, manibus in forma Crucis super Fratres extensis, *tres benedictiones*, omnibus impertiuit. *Admirandus planè* inquit P. Didacus de Cea, *& frequentissimus ternarij concursus, qui in tota Seraphici Patris vita, sic inuenitur repetitus, vt nihil fecisse vel in eo factum apparuerit, quòd ternario non fuerit consignatum.* Quidni iam inferendum? nisi quod Franciscus *signo Tau, (syllaba trium literarum)* mira colorum varietate distincto, in fronte miraculosè notatus & descriptus: *Theologus sit*, electus à Deo & destinatus, ad imaginem Dei, mirificis vulnerum Crucis signis, stupendo Orbis miraculo impressis, explicandam.

Cõ for: 39 p. 2 S. Bon. c. 14. L. M.

Thesaur. Ter: S. c. 6

Confor. Fr. 5.

CAPVT II.

De 2. Scibili, Theoconomico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Nomen, Naturam, Partitionem, Obiectum, consideratáq; Theoconomiæ, declarans.*

I. GRæcos *Niceta referente*, Notitiam Diuinitatis, quæ cognitionem Dei tractat, dicere simpliciter *Theologiam*. illam verò quæ Christum & mysteria ad eum spectantia considerat, *Theoconomiam*. quòd Christus tanquam Paterfamilias bonus, diuitias cælestis scientiæ & gratiæ, distribuerit. Aliter nominari potest *Christologia*, seu Ratiocinatio de Christo, estque potius pars altera *Theologiæ*, quàm *species* aliqua.

Notat: ad Orat: S. Nazian:

II. Describitur: Est sacra Doctrina de Verbo Dei incarnato, gratiisq; eius, & actibus Diuinis & Naturalibus, instaurationem Generis humani, perfectionem vitæ, vltimumque Beatitudinis finem, concernentibus.

III. Diui-

III. Diuisionem Magister Sententiarum statuit: *primo* in Tractatum de Verbi incarnatione, *secundo* de Verbi Incarnati peregrinatione, *tertio* de peregrinationis Christi consummatione. At latiùs diuidenda est, nimirùm in *Notitiam omnium*, quæ Lex Antiqua de Christo narrauit. & *Notitiam horum*, quæ Legis Nouæ scripta, de Saluatore referunt. addendo Traditiones Apostolicas; Conciliorum determinationes; Sanctorum Patrum Relationes; ac cælitus de Domino factas Reuelationes. Tract. 45. præf. p. 18.

IV. Obiectum eius: CHRISTVS, seu *Deus Homo*, quâ Restaurator & Redemptor Generis humani. etiam cum gloria eius, vt Unigeniti æterni Patris.

V. An autem Intellectûs & Voluntatis Christi Actus, denominari propriè possint: *Omniscientes & Omnipotentes?* quòd sint *Dei & Hominis simul*, vel hæc resolutio amplectenda. Christum omnes rationales cæli terræq; Creaturas, *scientiæ suæ qualitate* superasse. & quòd magis Diuina erat. atq; per sapientiam gratuitò animæ communicatam, perfectè in verbo Dei, intellexisse & sciuisse omnia, quæ Deus scit. non ita tamen clarè & perspicuè sciuit, vt Deus ipse. ne sapientia eius æqualis esset Deo. Et per hoc dignoscitur: *Diuina Scientia Christi*, quà Dei Hominis, *à scientia propriè Dei.* Quod huius sit *Omniscientia.* illi verò competat solum, *Scientia cuiusuis perfectissima*, à Deo collata, iuxta capacitatem animæ eius rationalis. Quoad verò *Omnipotentiam Actuum*, hæc non erat. licet enim omnia sciuit quæ Deus scit, sed non omnia potuit quæ Deus potest. quia Omni potentiæ fuit incapax, quod esset Creatura. Patet igitur qualis virtutis sint Actus Domini nostri, quà Homo est. & quos *Theoconomia* præcisè tractans de Christo, vt contra distinguitur à *Theologia* per se tractante de Deo, considerat & explicat.

INVEN-

INVENTIO. Conceptibus V. *Assimilationem, mysteriorum Christi, Natiuitatis, Vitæ, Mortisq́, ac eius Exemplar Historicum, in Concrucifixione, repræsentans.*

* CONCE: I. ORaculi Doctoris Gentium, effatum: *Vetus homo noster, simul Crucifixus est, ita & vos existimate, mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo JESV Domino nostro.* in Concrucifixione Francisci Christo, sumpsisse effectum. Expleuit enim.

Num: 6.

Rom: 6.11

Mortuus vt viuas, viuus moriaris oportet.

cùm Crucifixione *mortuus est mundo.* vt tota vita ipsius, abscondita fuerit in Christo; & Christi vita, in vita & morte eius, manifestâ claritate pateret, elucesceretque iuxta ad Colossenses dignam colosso assertionem, *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita cum Christo in Deo, cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Quam *similitudinem à foris Crucifixionis* Viro Dei impressam, ne putaretur *simpliciter Redemptor,* Rex Jesse spiritu præuidens futura, videtur retulisse: *Frater non redimit, redimet homo.* non Frater Minorum, Concrucifixus Christo, sed Deus, *Habitu inuentus vt Homo.* Cui inquantum placuit Altissimo: pauperculus seruus Domino Omnipotenti, *Christiformis* apparuit. Dicere valens: *Christo confixus sum Cruci, viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* testatur alter dulcis Bernardus, Senensis Bernardinus: *Tanto amore tanto feruore, tranformatus in Crucifixum JESVM, vt miraculo omnibus sæculis inaudito, benignitas Saluatoris, in carne illius imprimeret similitudinem suæ Sanctissimæ Passionis.*

Col. 3.3.

Ps. 48. 8.

Gal. 2. 19.

Serm. 1. de S. Fran.

II. At

II. At lustrentur deuotæ sagacitatis oculo, circumstantiæ Natiuitatis Domini, & Serui eius, certè non remotâ dissimilitudine, & mysterii arcano, distant. Saluator mundi, natus in vmbra noctis. *Cùm nox medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, de cælo à regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminij terram prosilijt.* Franciscus Prouinciam *Vmbriæ*, ob montium celsitudinem vmbrosam dictam, locum Natiuitatis suæ, sortitus est. Nox qua Christus, *Iustitiæ Sol*, è thalamo Virgineo erupit, subitò resplenduit, & tenebræ insolitam luminis claritatem expauerunt. Ad exortum Serui eius, *lux & claritas in valle Spoletana apparuit, quòd omnes dæmones, qui in isto caliginoso aëre habitant, perterriti & stupefacti, iudicium timuerunt aduenisse.*

CONCEP num. 7. Sap. 18, 15. Barad: T. Concor: L. 8. Sp. S. Fr. Fab.

Christum Deipara, reclinauit in præsepio. boue & asino Dominum cognoscentibus. hunc Genitrix luci dedit, sub *tectis stabuli*, in comitatu animalium, *parere alibi impotens.* qui locus in Oratorium exurgens, hâc inscriptione vsq; modo; ornatus est.

Hoc Oratorium, fuit bouis & asini stabulum,
In quo natus est Franciscus: Mundi speculum.

Luc. 2. 2. Is. 1, 3. Wad. App. Ann.

Christum, Simeon vlnis strinxit & benedixit, arctius vlnis maternis stringendum reddens. Virum Dei, in specie perigrini apparens Angelus, dum reportaretur domum à thermis Baptismi, *complexus est & benedixit.* atq; in dextro humero, præcauens vt ab insultu dæmonum vario custodiretur, signo rubeæ Crucis signauit. Christus infans, Herodis *furori cessit*, & per dulcem Matrem suam, translatus in Ægyptum, ab amara morte defensus. Franciscum in *Conuersionis suæ infantia*, quia contemptum, & electam pati pauperiem dilexit:

Luc: 2, 20. Rud: Ann fol. 14.

Pertractum domi verberat, plus cunctis furens Pater.
Obiurgans, vincit, carcerat, quem furtim soluit Mater.

Off. de S. Fran. An.

CONCEP III. Actus quoq; vitæ Christi, vt in memoriam
num. 8. Christianis reuocarentur, multiformiter, *appropriatè*,
licet, & non nisi mysteriosè, in vita gestisq; Francisci
Luc.2.24. exprimuntur. Sapientia æterna incarnata, *in medio*
Doctorum assistens, resumebat docta placita, cum ad-
miratione Auditorum. Dato intellectu a Deo paruu-
Wad. T. I. lis, *stupore inuadente doctos*, quæstiones adeuntium se,
fol. 339. Theologorum enodabat, abditos aperiens sensus, Fran-
Ioan. 2.9. ciscus. Recreator mæstorum, *transubstantiauit aquam*
Marian.c. in vini hilarem haustum, ad nuptias. In Comitatu Nar-
niensi, molesta lassatus febri, aquam edito Crucis si-
gno, *in optimum transmutauit Falernum*, gratia Dei,
Franciscus. Piissimus Dominus, deserta petens loca,
Matt.4.2. *quadragesimale spatium*, sine vsu escæ & potûs transe-
git. In altumq; montium à spiritu delatus, præcipitii
Rud.f.303 consilium annihilauit. In *Perusinæ Insulæ* inculta so-
Reg. c. 3. litudine, (commendans etiam in Regula, hanc absti-
nentiam, quam suo jeiunio consecrauit Dominus) vno
medio pane, adiutorio Dei absoluit. A prædoneque
Conf.L.I. animarum, *de excelsa rupe præcipitatus*, impetum illæ-
Tit. 7. sus elusit, gratia Dei Franciscus. Sol justitiæ in glo-
Math.7.2. ria sua, *gloria quasi vnigeniti à Patre*, in monte Tha-
bor, lumine solis & nube decora fulgente, circumda-
tus apparuit. Franciscus visus est toto corpore suble-
S. B. vit. uatus à terra, *nubeculaq; lucida* irradiatus, *quòd mira cir-*
c. 7. *circumlustratio circa corpus esset*, virtute Dei. Verbum
Luc.5.3. Caro factum, turbis ne turbarent, in *cathedra nauicu-*
læ, semotæ a littore pusillum, promebat verba prædi-
cationis; Seruus eius, Caietæ ad mare stans & prædi-
S.B.c.12. cans, horrens applausum populi, præ deuotione ru-
entis in eum, in nauiculam adhærentem littori pro-
siliit, quæ seipsam *paululum à terra* subduxit, obstupe-
Luc.9.16. scentibus adstantibus. Panis cælestis, famelicæ turbæ,
non

non multis panibus, analectis fragmentorum abunde superuacuis, satisfecit. Franciscus virtute eius, numerosam suorum societatem, *satiauit modico pane*, micarum bellariis superfluentibus. veniens in mundum Dominus vocare peccatores, *respexit Magdalenam*, pænitentiæ consecrantem crines, glorificatam ab Euangelio. Leg. 3. §. Matt. 26. 3

Sub paupertatis regulâ, Patris Francisci ferulâ, Hym: Off.
Clara Christi discipula, luce respersit secula.
Cuncta pro Christi nomine, contemnens crine tonso, Ant. 3. Noct. 2.
Coram altari, Domino nubit æterno Sponso.

Christus exequens *mirabilia opera Altissimi solius, & gloriosa & absconsa & inuisa opera:* cæco à natiuitate, vnctione non perspicui collyrii *ex sputo & luto*, oculos perspicaces reddidit. Mutum surdumq;, immissis in auriculas & tangentibus linguam digitis, audire & loqui fecit. *Mirabilis Deus in Sanctis suis*, per Dilectum suum, similia operatus est: in Castro Meuanii, puellæ oculorum lumine orbatæ, trinâ *Unctione sputi sui*, concupitum visum, in nomine Domini restituit. Ad Castrum plebis, iuueni à natiuitate surdo & muto, in hæc verba prorumpendi: *Gloria Deo & Francisco Sancto, qui mihi loquellam præbuit & auditum*, gratiam impetrauit. Eccl. 11. 4. Ioan. 9. 6. Ps. 67. 36. S. B. c. 12. Id. ¶. 9. cap. 15. S. B. c. 12.

Christus, *claudis* salientes gressus; *paralyticis*, *hydropicis & leprosis*, sanitatem contulit. Vir Dei in Ciuitate Tuscanella, claudum Hospitis sui filium, manu eleuans, *exilire & exultare*, infirmitatemq; exulare fecit. In Ciuitate Narniensi, *paralyticum* omnibus membris destitutum, à capite ad pedem Cruce signans, incolumitate donauit. In Episcopatu Reatino, puerum adeò *hydropisi tumentem*, vt nullo modo crura propria cerneret. Et à Sancto Seuerino, Auctum nomine, totum *lepra infectum*, virtute Dei sanauit. Ibid: ¶. 10. S. B. c. 15.

Medicus de cælo, manantem ab annis duodecim,
Luc:8.43. *fluxu sanguinis* feminam, errogantem omnem substan-
tiam in Medicos, exsiccauit; manum contractam ex-
tenuauit; tumultuans *mare* fluctibus, & *furiosos ventos*,
Mat:8.28. inflatu, exauthorauit; *à spiritu malo* obsessum, sæpè al-
Luc:9.38. lisum, spumantem, discerptum, liberauit. Seruus Chri-
sti, ope Domini sui in Episcopatu Sorano, Mulieri Ro-
S. B: c.15. gatæ, 23. *annis sanguine defluenti*, à Medicis quam pluri-
mis multa frustra perpessæ, oratione metam posuit.
Eugubii, fæminæ ambabus *manibus contractis & aridis*,
sanitatem accipere instituit. Illo apparente in visio-
c.16. ne, horribilis *tempestas maris* disparuit, & serenus post
nebulas, visus est illucescere Phæbus. Fratremq; quen-
dam Religionis suæ, *vexatione diabolica* sæpè allisum,
c.12. distentum membris, sæpèq; discerptum, à malo libe-
rauit.

Luc:7.24 *Morsus Mortis*, adolescentem in *lecto feretri* cuban-
tem, exsuscitauit; & à somno mortis *puellam* excita-
Mat:9.24. uit. Mortuus mundo Franciscus, adolescentem por-
tatum in feretro, succisum falce mortis, ad *florem pri-
stinum vitæ*, parentibusq; restituit. In Castro Pomarco,
S. B. c.16. c.15. parentibus quoq;, vnicam *filiam rediuiuam* exhibuit.

IV. Christus Jesus, Hierosolymam, pullo
* asini subductus, pueris symphoniantibus, *palmas vestesq;*
CONCEP num: 9. spargentibus, intrauit. Franciscus infirmitate cogen-
te, adibat Urbes ad prædicandum, ab asello vili por-
Mat:21.8. tatus, pueris virisque, *ramos Oliuarum* pottantibus hy-
mnosq; cantionum præcinentibus. Magister verita-
Ant. L. S. tis, rudioris artis, *duodecim habuit discipulos*, è quorum
Mat:27.5. numero Judas dispensator, *mala in arbore* male finiuit.
Francisco, totidem erant simplicioris statûs, primi
Rudol:cit. fol: 67. Commilitones Ordinis sui, quorum vnus nomine Ca-
pella, errogandæ eleêmosynæ præfectus, laxioris vitæ

Fra-

Frater, *stricto fune vitam finiuit.* Dominus sciens quia venit hora, pro conualescentia mundi, *valedicendi mundo:* Paschalis Cænæ *conuiuium* celebrauit; *Testamentum* sacratissimi Corporis & Sanguinis sui ordinauit; *Joannem*, præ cæteris Discipulis suis, accomodando ei ceruical pectoris sui, adamauit. Seruus eius *pridie antequam moreretur:* panem signo Crucis consecratum, discipulis *benedicens & frangens* dedit. In testamentoq; apposito Regulæ, de *cultu & veneratione Eucharistiæ*, instrumentum confecit. Et præ speciali sanctitate, ac innocentia inter Fratres, *Bernardum* laudans singulariter; ante vitæ suæ terminum, quòd *magis dilexisset*, signis monstrauit. Ioan: 13. 1. Io: 21. 20. Wad: T. I. fol: 118.

CHRISTVS, Latronem pro incola Paradisi approbauit; *Matrem dolorosam*, stantem sub Cruce spectauit; nudusq; postquam orans satis clamauit, expirauit. Franciscus in Monte Aluernæ, *latronum vias latas*, conuertit in angustas vitæ, & alumnos Religionis effecit. Pro reali autem *Virginis MARIÆ*, stantis sub Cruce præsentia, atq; *Joannis* Apostoli, (cuius in sæculo intitulabatur nomine) locum mortis suæ, Ædem *B. MARIÆ de Portiuncula* elegit. Utque legeretur sibi Passio Domini *secundùm Joannem*, præcepit. ac decumbens in terra nudus, sacci veste deposita, manibus in modum Crucis transpositis, Oratione præmissâ, *Christo Crucifixo conformis*, viam vitæ terminauit. L: 23. 43. Io: 19. 26. Wad: cit: Ioan. 13. 1.

Saluator, quinis vulnerum, in manibus pedibus, latere, stigmatisatus est Characteribus. Franciscus similibus vulnerum signaculis: *in volis plantis latere, dum formam Crucis vellet gerere, corde ore & opere*, cum paritate clauorum, adornatus est. Ipsomet Beato Patre, in quadam apparitione enarrante: *Christus sicut vulnera in Cruce suscepit, ita in corpore meo impressit.* Inquantumq; W. f. 34 2. Ann: Min. fol: 315.

Col. 3. 11 tumq; similitudo Creati, cum increato, currere potest,
L. 1: Anr. Fran. *Omnia & in omnibus Christus*, iuxta dictum Apostoli, *factus*. Ritè attestante Volaterano: *Conseruatoris nostri, ferè per omnia typum gessit.*

* CONCEP unm: 10. V. Magno laudum præconio celebrandus est, magnanimus puer, B. Christophorus, trium annorum Heros Catholicus, sub Ferdinando Hispaniæ Rege, propè Toletum, ad Oppidum Guardia, à ferocibus Mauris hostiliter irruentibus, singulis tormentis Passionis Domini, in odium Christi excruciatus. Hic ad
Riccio in Tr. Cruc. columnam cæsus, os suum non aperuit; coronâ spinea læsus, non indoluit; ligno demum affixus, in vltimis quinq; plagis, effodienti sibi latus dixit: *si cor quæris: non in hac sed in alia, sedem habet parte.* conformatus profectò Crucifixo, atq; *Christifer* extitit. Paruulus Euangelicus, *Laudans nomen Domini*, Franciscus est: hic concrucifixus Saluatori suo, clarissimum exemplar vitæ & mortis eius prætulit. appellandus *Christophorus, Stemmatophorus*. Profectò sacri vatis verbis Dominus dilectum seruum suum alloqui potest. *Et tu vulne-*
Is. 24. 10. *ratus es sicut & nos, nostri similis effectus es.*

CAPVT III.

De 3. Scibili Mystico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Nomen & Naturam, Differentiam, Diuisionem, Obiectumq; mysticæ Theologiæ, declarans.*

I. MYstica, interpretatione nominis, à *mysterio* id est arcano, & *sacro* dicitur. vt sit *secreta & sacrata de Deo*

de Deo *sermocinatio.* vel vt Gerson eruditus, de mystica speculatione. *Est sapida scientia habita de Deo, dum ei supremus apex affectiuæ potentiæ rationalis, per amorem coniungitur & vnitur.* Part. 6. consid. 28.

II. Ab aliis *Theosophia*, *Mystagogia*, Amoris Diuini Sapientia, sacra in Deum eleuatio, ac *Flammigera* Theologiæ sacræ *Theoria* appellatur. Est autem iuxta Richardum: *Amor & dulcedo amoris intimi; à quo sapore denominatur sapientia, & quantò magis ardentius quis amat, tantò suauiùs gustat.* Tr. de diu: Offic.

III. Quamuis Theologia *Scripturalis & Scholastica*, sint quoq; occultæ de Deo sermocinationes, quia de secretis Diuinis reuelatis tractant, diuerso tamen respectu. nam vtraq; significat *discursiuum sermonem de Diuinis*, huius autem sermo est, a Deo & de Deo, mentis seu animæ mystico silentio quiescentis, per secretam ac superintellectualem reuelationem infusus; & vice versâ ab anima, sursum actus & eleuatus ad superna, absq; oris & labiorum vsu.

IV. Bifarie *Mystica Theologia* sumitur: prima est *Scripturalis*, Veteri & in Nouo Testamento tradita, ob sensum *mysticum spiritualem*, sub cortice literæ absconditum, appellata. Altera quæ propriè dicitur *mystica*, sumitur pro *sapida & Ecstatica Diuinorum notitia.* Asceticis Theologis, magis quam Scholasticis perspecta, consistens in eleuatione mentis puræ in Deum extraordinaria, quietissima contemplatione; ac Unione Dei; non *ratiocinatiuâ* cognitione Diuinorum, sed *Affectiuâ.*

V. Obiectum eius, pro Materiali: *Contemplatio Dei.* pro Formali verò sumptum, quo ab aliis Theologijs differat, sit *Contemplatio Dei Extatica*, seu per raptum & Excessum mentis *Vnitiua.* Est autem *suspen-*

sio

sto spiritus mystica in Contemplatione:- *Cessatio omnis operationis naturalis & moralis, in tranquillitate perfectissima animi, proueniens ex quiete passionum ac perturbationum, nec non ex reiectione specierum, puritatem Contemplationis impedientium.* Porro acquiritur ex frequentissimis *Orandi & Meditandi* Actibus; *mortificatione* Corporis & Affectuum; *Exercitiisq;* spiritualibus. *Extasis* autem *Anagogica*, nihil est aliud, quam *Vehemens & affectuosa mentis eleuatio in Deum, & ad Divinorum superintellectualem contuitum, experientiam & gustum.* & tunc mens, supra statum exercendi operationes suas naturali modo, diuinitùs posita, à sensibus externis eximitur, vt non operentur quidquam, nec operari possint, immo per externa Obiecta, nullatenus excitantur.

Differt verò *Raptus ab Ectasi.* quòd Raptum patiens, *celeritèr* diuinitùs abstrahitur, à communi cognitione & dilectione Dei, ac à sensibus auellitur, & repentè ad Contemplationem supernaturalium & fruitionem Amore Amicitiæ, subleuatur. Idq; aliquando cum *translatione corporis*, aliquando sine *eleuatione* eius. Extasim autem patiens, diuinitus, *sensim* abstrahitur ab imaginibus phantasmatum, non *inuoluntarieq;* & paulatim, ab Officiis sensuum amouetur, suauiterq; intra se colligitur, & dulciter in Deum transfertur.

INVENTIO. Conceptibus V. *Extaticam Libertatem Animæ, Raptûs mystici portas reseratas, Contemplatiuos extra se exitus mentis, Altißimæq; suspensionis animi gratiam: in Concrucifixione Christo, declarans.*

I. Cor-

I. CORpus, de limo terræ animæ rationalis palatium, * CONCE:
clausura arctans, & libertate carens, carcer est. n. 11.
inde ingemiscebat Propheta coronatus: *Educ de custodia animam meam.* ingeminabat & vas electionis: *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius!* Ps. 141. 8. R: 7. 20.
ex his tamen catenis carnis, Justi anima, *Contemplationis & dilectionis alis*, post crebra desideria & suspiria: *quando veniam & apparebo ante faciem Dei*, solet excessu mentali *exire*, & raptu extatico *extra se ire*, auolareq; ad haustus *dulcedinis absconditæ timentibus Dominum*, ad degustandum *quàm suauis sit Dominus.* Talis libertatis exitúsq;, Christi *Cruci Confixio* Francisci, in corpore eius peropportunas extruxit per vulnera portas, animam eius *liberam*, in clausura reseratæ carnis, habitare permittens. Quòd compos factus sit illius desiderii Doctoris Gentium: *Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* etenim vulneribus JESV, compago corporis ipsius dissoluta est; & Anima accessit ad Christum, *Concrucifixione*, Dilectioneq; vnitiuâ. Refert S. Bonauentura: *Suspendebatur multoties tanto contemplationis excessu, vt supra semetipsum raptus, & vltra humanum sensum aliquid sentiens, quid ageretur circa se exterius ignorabat.* Firmiter & P. Vitalis Sardiensis, admirabiles singularesq; *Viginti Extases* & Mysticos raptus describens, refert: *Totis ardebat feruebatq; medullis, erga Christum in Cruce pendentem Franciscus, frequenter in aëre, non modo mentaliter, verùm & corporaliter, eleuabatur à terra, insomnes ducebat noctes, totumq; JESVM, visceribus texit mortuum, vulneratum, transfixum lanceâ, absorptus in illum, marmoris instar, extaticus hærebat cælo.* Ps. 41. 3. Ps. 30. 20. Sap. 15. 1. Ph. 1. 23. L. M. c. 10 Chr. Alh. fol. 67.

II. Princeps Apostolorum, de carcere Herodis non alio modo euasit liber, nisi *somno sepultus;* nisi sentiens *percussuram* lateris. *Ecce Angelus Domini adstitit,* * CONCE: Num. 12. Act. 12. 6.

 percusso-

percussoq; latere excitauit eum dicens, surge velociter, & ceciderunt catenæ de pedibus eius. Franciscus, de carcere corporis sui, non aliter liberam expediuit animam, nisi portâ apertâ *percussi Stigmate lateris*; nisi *instante somno*, obdormitionis Christi in Cruce, signis mortis, insé expressæ. Domino, exspirantem puellam, *dormientem* appellante. Quemadmodumq; percutiens *Ange-*
Luc. 8 5. *lus* Petri latus, facilem è carcere præbuit exitum: ita Christus in *specie Angelica Seraphica*, impressit signa, latusq; transfigendo aperuit. Ut daret spatium animæ migrandi & euolandi ad cælestia.

* CONCEP n. 13. III. Non philosophando, nam *tota in toto, & tota in parte*, sed moralisando, protulit Propheta: *Anima mea in manibus meis semper.* sequutus sententiam Job:
Ps. 118. 9. *Animam meam porto in manibus meis.* Vir Dei, signis Crucis decoratus, de anima sua, *in manibus* portas
Iob. 13. 14. Vulnerum habente, præferre potest: *Saluasti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manibus inimici.*
Ps. 30. 9. inimici nimirûm Carnis, aduersæ spiritui. *Caro con-*
Gal. 5. 17. *cupiscit aduersus spiritum.* Sed & quæ vltra prosequitur Sacer Vates, proferre Sanctus potest: *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* idest spatioso non coarctato, ad excessus exitusq; contemplatiuos mentis. Hinc in *Monte Aluernæ* (loco Stigmatum) *B. Patrem desideriorum cæ-*
Wad. T. I. fol. 313. *lestium flammâ succensum, quotidie dum commorabatur ibi, sublatum fuisse in aëra, plus minusue eleuatum, iuxta mensuram interni fauoris & gratiæ Diuinæ*, testantur Annales Minorum. Frater verò Leo, à secretis conscientiæ, indiuiduusq; comes ipsius testatur: *Vidisse eum aliquando altas fagos superasse, & aliquando ad tertiam aëris regio-*
L. 3. Soc. *nem euolasse, ita vt oculis attingi non posset* Ipso Filio Dei, reserante Vulneribus corpus dilecti Serui sui, ad liberum *exitum animæ*, ad locandum *in loco spatioso pedes eius.*

IV.

IV. Jacob, factus athleta cum Phanuele decertan- *
do, quòd non ſperabat, Angelum ſuperabat. Spiritus CONCE:
cæleſtis in arctitudinem manuum eius intrare potuit, *Num:* 14. Gen. 32.
exire non, rogauitque: *Dimitte me iam enim aſcendit* 26.
aurora, de cælo ſum, cur manus tuæ, manere me in
terra cogunt? non tamen dimiſſus, donec benedictio-
nem obtulit. *Et benedixit illi in eodem loco.* Ecquid ſpi-
ritum *non exire* fecit? certè non aliud: niſi manus con-
ſtringentes, quibus Angelus in ſpecie corporali exi-
ſtens, coarctabatur. non erant diſiunctæ diſruptæq; ad
invicem, ideoq; contentum detinebatur. Quid autem
exire permiſit? non aliud niſi *poſita conditio* Benedictio-
nis, quæ more Catholico, *ſigno Crucis*, moderno tem- S. Greg.
pore perficitur. nimirùm ſigno: *ſolutionis è vinculis in-* Orat. 2.
ferni, *manibusq; mortis.* Filius hic Patriarcharum, de de Cruce.
cuius manibus euolauit cæleſtis ſpiritus, *Minoris titulum*
aſſumens orando, *Minor ſum cuctis miſerationibus tuis*; atq; Gen. 32.
de mane certamen cum Angelo expediens, *Luctabatur* 10.
cum eo vſq; mane: figurare poteſt Franciſcum. non ſo-
lùm in Orationibus *humiliatum cor* gerentem; ſed ſta-
tu Ordinis, *Minorem*; ſuſcipientem in *Lucta Concrucifi-*
xionis Stigmata, *quodam mane circa feſtum Exaltationis*
ſanctæ Crucis. Utque Jacob, præterquam fatigauit lu- Lect. Off.
ctando *manus ſuas*; læſione quoq; pedis debilitatus eſt, Stigm.
Ipſe verò claudicabat pede. ita huius, fatigatæ vulneribus
manus; ac pes vterq;, vulnere læſus. Spiritus itaque
Franciſci, *Angelica Vitâ* viuens, non claudebatur vin-
culis manuum conſtringentium, cùm eſſent diſruptio-
ne vulneroſâ apertæ. Cruciſq; ſignum, *Benedictionum*
Chriſtianarum teſſera, impreſſum eſt corpori eius. proin-
de etiam non impeditum in cælum iter, animæ eius
patuit; facultaſq; è corpore ſtigmatiſato, *gradibus con-*
templationis excundi ad ſupernas Emphyreas ſedes, con-
ceſſa.

 V. Acta

* CONCE: Num: 15. V. Acta Sororum S. Claræ referunt: in Hetruria, Corthonæ, Margaretha, paupertatis Minorum Tertii Ordinis pretiosa Margarita, offerens postulata sua Sponso Virginum, vt dolorum Deiparæ stantis sub Cruce quando:

Martyrium MARIÆ, *dependens in Cruce* CHRISTVS.
Martyrium Christi, sub Cruce Mater erat.

particeps fieret, impetrauit. Rapta igitur extra se maioris Hebdomadæ feria sexta, orans in templo Fratrum, ad horam tertiam corde afflicta est; vt mortua ab adstantibus, subleuantibus eam putaretur. Ubi verò nonam adesse, horologia dixere, (quâ horâ Caput nostrum Christus, inclinato capite terminauit vitam) inclinato & ipsa capite, manibus extensis, postea demissis, absq; motu & sensu, vsq; ad vesperarum horas, (quibus depositus est de Cruce Dominus) permansit. totoq; triduo quasi mortua videbatur, vsq; ad lætum Resurrectionis diem, quo hilarior vultu, corpore iterum robustior, apparuit. facta *repræsentatio* extasi suà, dolorum more gladii pertransientium cor, prædilectæ JESV Crucifixi Matris. Non Minor Seraphica suâ filia Pater sanctus, maioriq; à Filio Dei fauore præuentus. nam præter raptus *Contemplationis* extaticos, in quibus spiritus eius deserebat corpus, nec ligabatur sæpiùs sensibus. refert Marianus: *Semel per Burgum, S. Sepulchri Castrum vtiq; populosum, pro debilitate corporis subuectus asello, obuias habens turbas, in eum præ deuotione ruentes: tractus & detentus ab eis, compressus quoq; ac multipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad omnia, & velut exanime corpus, de his quæ fiebant circa ipsum, nihil penitùs aduertebat.* extitit quoq; *viua præsens sibi*, excessus Passionis Domini. *Dicebant excessum eius quem completurus erat in Jerusalem*, repræsentatio. Nouus factus,

Chr. S Fr. p. 3. (margin, at "trum, ad horam tertiam")
Chr. c. 25. (margin, at "Sepulchri Castrum")
Luc. 9. 31. (margin, at "Passionis Domini")

Beniamin Adolescentulus, *in mentis excessu.* adolescentulus, quia vt Beniamin, *junior Frater erat:* ita hic, *Minor Fratrum.* Beniamin verò appellandus, seu *Benoni filius doloris*, ob condolentiam & Concrucifixionem dolorosam Christo, Patri saluandorum, & futuri sæculi. Ps. 67. 28. Ge. 35. 18

CAPVT IV.

De 4. Scibili, Ascetico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Nomen*, *Descriptionem*, *Diuisionem*, *Obiectũ*, *Consideratáq́ mystica*, *Theologiæ Asceticæ*, *declarans.*

I. AScetica, mysticæ Theologiæ, est Ministra. quòd si nomen scire desideras? *Asceterium* ex Græco, significat claustrum. *Asceta* verò, idem quod Vir *Religiosus.* ad exercendum se in contemplatione Diuinorum, *relegatus* ac separatus.

II. Nihil itaq; aliud est, quàm *Claustralis Doctrina* Regularis Obseruantiæ, Studii Virtutum, notitiæ mortificationis internæ, & praxis *bonarum operationum*, *Deiq́ ac Diuinorum*, *sobriè sapida scientia.* à quo termino posteriori, *Theologia dicitur.*

III. Doctrinam Asceticam, triplicem esse: *Incipientium*, qui & *Animales* vocantur. quod in vita spirituali, nec *ratione* aguntur, nec trahuntur *affectu;* nonnisiq; vel *Authoritate* permoti, vel *doctrina* commoniti, vel exemplo prouocati, bonum approbant & imitantur. vel iuxta Seraphicum Doctorem: *quòd incipiens nondum cognoscens quæ sunt spiritus Dei, circa corporis compositionem, primò occupari debet, vt illud domet, nec calcitrare* S. Bern. de Tr. statu. vit. Sp. Lib. de pr. Religioso

trare permittat. Altera *Proficientium* qui *Rationales*, ob ſcientiam Diuinorum, ac notitiam practicam ſpiritualis vitæ, appellantur. Tertia *Perfectorum:* quando perfectione vitæ, adhærent ſoli Deo, ſuperata inordinatione affectuum, paſſionum, vitiorum. Et hanc *Sapientiam*, olim mortificationi Paſſionum dediti Philoſophi, aſſequi ſatagebant. ſed quia ignari Finis vltimi, volebant at non valebant.

IV. Obiectum *Materiale* adæquatum, ſtatui poteſt: *Externa & Interna Mortificatio*. Pro *Formali* verò; *Religioſa perfectio*, Deo placens.

V. Et hæc perfectio *conſummata* ſpiritualis, in tribus conſiſtit: *in plena Dei ac Proximi Charitate; in ſolida Virtutum poſſeſſione; ac in perpetua Deo adhæſione.* clarius à S. Bonauentura explicatur, diſtincta in Perfecti- Annot. ad Nouit. onem *Neceſſitatis*, *ſupererogationis*, ac *Priuilegiatæ ſanctitatis*. Prima: cuilibet Fidelium habenda, & ſufficit ad vitam æternam obtinendam. Altera: concernit *Religioſos* Chriſtum imitantes, non ſolùm ſecundùm *Legem Præcepti*, vt ſit in prima perfectione, verùm etiam ſecundùm *Legem Conſilij Euangelici*. Unde *ſuperabundantiæ* Aſcetica, dicitur. Tertia *vltimæ plenitudinis*, ſpecialiſſima & myſtica, ad quam, modo nonniſi extraordinario Contemplationis & vnionis, peruenitur.

INVENTIO. Conceptibus V. *Euangelij conſiliorum Sigillum, Normam Paupertatis Apoſtolicæ, Religioſitatis & Mortificationis exemplar: in Concrucifixione Chriſto, repræſentans.*

I. Æter-

I. ÆTerna Altissimi præordinatio, cûm determinaret Primarios Religionum Patres & Fundatores: *quartum Patriarcham, Franciscum Authorem Ordinis Minorum*, ad obseruanda *Euangelij consilia*, ad exequendum Genus vitæ Euangelicum, suscitauit & animauit. Audito enim Libri Euangeliorum verbo, in Sacrificio Missæ perlecti, *de non ferendo auro argentoq́; de non portanda duplici tunica, & virga; de abnegatione sui, baiulationeq́; Crucis.* sicut à Domino, Apostolis ad prædicandum missis, intimatum est: *Lucæ 9. Matt: 10. Marci 6.* præscripta Eeuangelii, obseruanda suscepit, & seruauit. Potestq́; id euidenter ex sensu, verbis, contentisq́; Regulæ, quæ sic incipit: *Regula Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri* J E S V *Christi, sanctum Euangelium obseruare.* quam B. *Cæsarius de spira*, totam esse *Euangelicam*, probauit, nec quidquam habere, quod non sit in *Euangelij codice*, è regione vniuscuiusq́; periodi, *locum apponens textûs Euangelij*, demonstrauit. Sed & S. Mater Ecclesia testatur. *Franciscus Euangelicum nec apicem, vel vnicum transgreditur jota.* * CONCEP. n. 16. Wad. T.I. an. Rel. 1. R. c. 1. init. Exp. Reg. literali.

Quemadmodùm igitur *Euangeliorum singuli Libri*, mysterio Crucis, in Lectionibus de Passione Domini, concluduntur. vt tanquam *Sigillo Mortis Saluatoris*, sint obsignati: pari modo humilem & pauperem, Euangelicæ vitæ Obseruatorem, dextera Omnipotentis, *Sigillo vulnerum Christi*, confirmauit & roborauit. vt aperta existerent & euidentia documenta Consiliorum Euangelii, Ordini suo ab ipso propositorum. Of. ad Vesp.

II. Institutio Euangelii docet: arctam tenere manibus *paupertatem*, dum non tenere argentum, peram perdere asserit: *Nolite possidere aurum, neq́; argentum, neq́; pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neq́; duas tunicas.* Stigmatisatæ manus, eruditionis huius, effe- * CONCEP. Num: 17. Mat. 10. 9.

ctum

ctum declarant: ob vulnera realia, pondus auri nec eleuare, nec comprimere, nec capere, nec numerare, valentes aut volentes.

Inclamationi Spiritus Sancti: *Diuitiæ si affluant,*
Ps. 61.11. *nolite cor apponere*, obtemperauit cor Francisci in Latere stigmatisato, magnâ Vulneris apertione, abscondendo diuitiarum affectui, non permittens locum. sed potiùs ferreo non aureo, diræ lanceæ hospiti.

Ordinatio demum Paupertatis, pro *membris pedum:*
Luc.10.4. sine *baculo*, adminiculo pedester iter agentium; & absq; *calceamentis*, vt iter peragatur: in Stigmatisatione, effectu proprio gaudet. Caro enim pedum vulnere affectorum, *corium calceamentorum* respuit, & non habet charo; *baculum* etiam, vulnere occupatis manibus, in adiutorium pedum, ferre impotentibus. verè ille: *qui post aurum non abiit; nec sperauit in pecunia, &*
Eccl.31.8. *thesauris.*

III. Dilectus Deo Samuel Propheta, his præconiis
CONCEP n. 18. celebratur: *Ante tempus finis vitæ suæ & sæculi, testimonium præbuit in conspectu Domini & Christi, pecunias & vsq;*
Ec:46.16. *ad calceamenta, ab omni carne non accepit.* Franciscus quoque, digne his celebrandus. Etenim ante *tempus finis vitæ suæ*, biennio scilicet ante mortem, testimonium præbuit in *Conspectu Christi*, testimonio Vulnerum, eorum tesseras portans in corpore suo. Etenim vt Samuel, *paruulà tunicâ* contectus erat, atq; *intus & foris*
Reg. c.4. *repetiatà.* etenim *pecunias non accepit, & vsq; ad calceamenta.* Uniuersis sui Ordinis, dans Euangelicam institutionem: non recipiendarum pecuniarum, non portandorum calceamentorum, nisi vrgente rationali necessitate.

L.16.20. Alter profectò, mysteriose effectus, pauper ille Lazarus Euangelicus: Vulnerum *vlceribus plenus;* micis de

cis de *menſa diuitis* ſuſtentatus: cùm plenus ſacrò vlcere Stigmatum; voluntariè pauper; delectaretur *Micis* oſtiatim expoſtulatis. libenter gloriando cum Dauid diuite: *Ego autem mendicus ſum & pauper.* Nec abſq; arcano euenit, quòd Romæ, exoranti donum *altiſſimæ paupertatis*, apparuerint Petrus & Paulus Apoſtoli, alloquentes: *Franciſce exauditus es, Magiſter noſter Chriſtus, miſit nos annunciare, conceſſam tibi Virtutem, Euangelicæ paupertatis.*

IV. Præter Conſilia Euangelii, Magiſter ſummæ perfectionis, inter alias doctrinas, maxime commendauit diſcipulis ſuis *Charitatem*, intimans: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Apoſtoluſq; ipſius: *Super omnia autem hæc, Charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis.* Laterale Vulnus Franciſci, non ne totum eſt, in expreſſionem Charitatis datum? quando *languore Charitatis*, cum ſacra Sponſa: *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis Dilectum meum vt nuntietis ei, quia amore langueo*, æxeſtuans liquæfiebat. Utq; charitatis effectus eſt, Patientia, *Charitas patiens eſt.* ita cor languens amore, in læſo vulneratoq; latere, non abſque materia Patientiæ.

* CONCEP unm: 19.
Io. 13. 34.
Col. 3. 14.
Cant. 5. 8.
1. C. 13. 4.

In myſticis Meditationibus, exarſiſſe ſcintillas Charitatis, aſſerit Regius Propheta: *Dolor meus renouatus eſt, concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea, exardeſcet ignis.* ſimiliter & Franciſci Meditatione de Paſſo & mortuo Redemptore, *Viro dolorum & ſciente infirmitatem*, concrucifixione ipſi, *dolor renouatus*, & Chriſti doloroſarum plagarum, *noua* expreſſio facta. *Concaluit cor eius, & ignis exarſit:* Seraphicæ Charitatis. à Domino in ſpecie Seraph, ardentiſſimi amoris ſpiritu, apparente; *alis expanſis*, quaſi ad excitandum accendendumque in compoſitis lignis Crucis, ignem.

Pſ. 38. 4.
Iſ. 53. 3.

quem *mittere venit in terram, & ardere voluit.* Ait de actu Impressionis Historiographus Aluernæ: *Peruolitat abstrusa mysteria reserans sapientia Filij, inijciens intimis præcordijs flammam. Aliger tandem Spiritus Amor, Seraphicas flammas incendit interius, ita vt præter Apostolos, antonomasticè Seraphicus nuncupetur.* Et cum Charitatis cælitùs infusæ Fidelibus, *Mors Christi,* causa sit. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Vt quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundùm tempus pro impijs mortuus est.* Cur Francisco Charitatis eiusdem, per magis & per amplius, non adscribere dona? pro quo & Christus mortuus; cui & sacra mortis suæ signa obtulit; & cui *ex Charitate nimia concrucifigi complacuit.* vt officii eius relatio testatur. Perstatq; versus antiquus.

Vit. Sard. in Al. f. 85.

Rom. 5. 5.

Lect. Stig.

Sic trasformatur cor amantis, in id quod amatur.
Vt per signa foris: virtus prorumpat amoris.

* CONCEP num: 20.

V. Sat nimis laudabilia sunt, *Consiliorum Euangelij & Charitatis opera*, non tamen adeò perfectum reddunt Ascetam, si desit *Mortificatio externa corporis.* curandum est, ne *Cor* diligat mala, appetatq; nociua; satagendum, ne *manus* arripiant aliena, extendantur in proximum; laborandum, ne *pedes* declinent, a recta iustitiæ semita, & currant in viis peccatorum. Cæteraq; ne exorbitent corporis membra. *Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis.* Vir Dei, dum in Latere Manu Pedibus, Vulnera Crucis Christi sustinet: Religiosæ mortificationis, interioris & exterioris hominis; Carnisq; non solùm mortificatæ, sed & *mortuæ*, clarissimum Asceticum extitit Symbolum. *Hoc scientes quia vetus homo noster, simul concrucifixione simili, crucifixus est, vt destruatur corpus peccati.*

Gal. 5. 24.

Rom. 6. 6.

CAPVT

CAPVT V.

De 5. Scibili Agyographico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Nomen, explicationem, Diuisionem, Obiectum, Consideratamq́; Scientiæ Agyographicæ, declarans.*

I. AGyographia, id est *Dei Scriptura.* Agyos enim connotat Deum; Graphium, Scriptum aut Stylum scripturæ. Scripta autem Veteris & Noui Testamenti, *Libri Pandectarum*, ab aliis dicuntur. *Bibliorumq́;* nomine, per excellentiam appellantur.

II. Diuus Gregorius, Notitiam sacræ paginæ, sic describit: *Est epistola Omnipotentis Dei, ad suam Creaturam.* potest quoq; sic describi: *Est notitia sacra, intelli-* Com. in Pſ.
gentiæ Verbi Dei scripti, iuxta Fidei & reuelationis, tradi-
tionumq́; dogmata. Legunt enim multi, sed non intel- L.4 Ep. 84
ligunt. Eunucho legenti Isaiam, Philippo responden-
te: *Putasne intelligis quæ legis? qui ait: & quomodo possum,* Act. 8. 31.
si non aliquis ostenderit mihi.

III. Hebræi, *vetus Testamentum*, Esdrâ Authore,
iuxta numerum literarum suarum, in *viginti duos* diui- Is. Eth. L. 6
dunt Libros. Et *Legis*, quinque statuunt, *Pentateuchus* dicitur. Ordinem Prophetarum, ex octo componunt. *Tarista* autem, id est *12.* Prophetas, quia sibi pro breuitate adiuncti sunt, pro vno Libro accipiunt. Sancta au-
tem scribentium, seu *Agiographorum*, 9. numerant: *Iob,* Hie. in Pr.
Psalterium, Prouerbia, Salomonis, Ecclesiastem, Cantica Canti- Galeato.
corum, Daniel, Verba dierum, seu Paralipomenon, *Esdram* qui in duos apud Latinos, & Græcos, diuiditur Libros

 ac

ac *Hester*. Nonnulli *Ruth*, & *Rinoth*, id eſt Lamentatio-nem Ieremiæ, Agyographis adiiciunt, & 24 volumina faciunt. iuxta aſſiſtentiam in conſpectu Domini 24 *ſeniorum*. reliquos pro Apocriphis cenſent. In *Nouo* autem *Teſtamento*, duos ordines eſſe Canonicorum Librorum: primus *Euangelicus*, in quo ſunt: Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes. alter *Apoſtolicus*, continens Pauli 14. Epiſtolas, Petri duas, Joannis tres, Jacobi & Judæ, ſingulas, Actus Apoſtolorum, & Apocalypſim.

IV. Obiectum S. Scripturæ materiale: *Verbum Dei ſcriptum*, pro *Formali* vero: *verbi Dei ſcripti veritas*, ſeu *Infallibilitas* quod Deus fallere & falli, non poſſit.

V. Tam autem Agyographiæ amplum eſt argumentum & materia, vt tractet *omniscibile*, diſciplinas omnes, & quidquid ſciri poteſt. Eſtq; vniuerſitas ſcientiarum, omnes vel *formaliter* vel *eminenter* continens. *Phyſica* enim primæua & à ſui origine, traditur in Geneſi, in Eccleſiaſte, in Iob. *Ethica*, breuiſſimas gnomas, in Prouerbiis, Sapientia, Eccleſiaſtico, explicat. *Metaphyſica* patet in Iob & Pſalmis, quibus per hymnos, Dei potentia ſapientia immenſitas, opera eius & Angeli, celebrantur. *Hiſtoriam & Chronologiam*, ab ipſo mundi exordio, ad Chriſti Tempora: in Geneſi, & Exordio, in Libro Ioſue, Iudicum, Regum, Eſdra, Machabæis, inuenies. Quoad Theologiam de Deo, Deiq; attributis: in Prophetis maioribus, in Libris Euangeliorum, L. 2, c. 31 reperitur. ſolidâ autem argumentatione & *Logicâ*, quòd ſacra pagina vtatur, & *Sophiſticen* damnet. docet S. Auguſtinus, in Libris de *Doctrina Chriſtiana*.

INVENTIO. Conceptibus V. *Sacræ Paginæ in Figuris prænuntiata, Literales textus*,

tus, & sententias, Testimoniaq; Apostolica: in Concrucifixione Christo repræsentans.

1 CRucis Christi imperium, cui trina machina Orbis, genu subicit suum, a mundi cunabulis, ænigmatum per latibula, cæpit functionis mysteria peragere. Protoparentis enim nostri fictilis icon, quum Optimus Maximus *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ:* passis vlnis tensisq; brachiis, *Crucis*, prætulisse figuram a multis asseritur. Quamdiuq; *Arca Crucis*, ad littus Montis Caluarij non appulit: Sulcauit *Oceanum Figurarum*, in vniuersa sacræ scripturæ pagina, mysteria *Crucifixionis Iesu* prædicentium & describentium. * CONCEP num: 21.

Pie quoque inferre liceat, quod diuinitus Francisco impressa vulnera, ob *Concrucifixionem Christo*, ad Crucis ipsius mysteria, spectabant. & tanquam *inde emanantia*, aut quasi correlatiua, à Sacræ *Scripturæ* textu declarata sint, idq; tam in crepusculo Figurarum, quàm lucido sub radio Sensûs literalis, prænuntiata & præsignata. verissima esse D. Bonauenturæ verba: *Apparuit gratia Dei saluatoris nostri, diebus istis nouissimis in seruo suo Francisco, omnibus verò humilibus, & sanctæ paupertatis amicis, qui super affluentem in eo Dei misericordiam venerantes, ipsius erudiuntur exemplo, Christo conformiter viuere.* Prout S. Scriptura, prædicens futura, *diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne bonum opus instructus.* Verbi æterni, in primo scripti verbi Diuini Libro, exaratum verbum: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis.* non ironice sed verè, in vulnerato Francisco, expletum videtur. ex tribus enim Personis Diuinis, scilicet Dei Filio humanato Crucifixo, impressione

Exord. L. Prolog.

2. Ti. 3.16.

Gen: 3.

one stigmatum assimilatus, & *quasi vnus.* Textuque
ilio: *vixit Adam centum triginta annis*, & *genuit filium*
ad similitudinem suam. qui difficultatem parit, nam Adam
cum filios alios, valde sibi in naturalibus & moralibus
similes habuerit, cur quæso *Seth* solum genitum ad *ima-*
Gen. 5. *ginem & similitudinem eius*, scriptura specificat? cum &
Abel similis poterat esse Patri. nihilominus tamen non
distinxit. Hoc mysterium similitutdinis explicari po-
test, quibuscunque illæsis sensibus, in Beati Francisci
Concrucifixione Christo. hunc Christus, secundus Adam
primo perfectior, fecit ad imaginem & similitudinem
suam, paritate & *similitudine Crucifixionis.* cuius gratiâ
Ant. Off. *non est similis inuentus ipsi.* En igitur *quasi vnus factus,*
Conf. Pon. en Seth tui plastis Adæ, ad similitudinem tuam ô Je-
Gen. 35. su Crucifixe, en hic *Benoni* filius doloris tui, cui quin-
it. 43. que vulnerum partes, *in mensa Crucis* apposuisti. præ-
dicente à longè scriptura, mirabile stigmatum opus.
* II. Aggæus quoque Propheta, ad illa verba: *In die*
CONCEP *illa dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel serue me-*
num. 22. *us dicit Dominus, & ponam te quasi signaculum.* aliqui-
Agg. 2. bus coloribus depinxisse B. Franciscum videtur. nec
quisquam dissentiet, qui Authorum expositiones soler-
ter expenderit. Licet enim Christo Prophetiam ado-
Lyr. ad pr. ptant. *Lyranus & Glossa ordinaria*, in sensu literali:
Loci præt. quod ipse sit *imago Dei.* quem *signauit Deus Pater, vt*
quicunq; crediderit in Deum, hoc quasi annulo consignetur.
expositio tamen hæc, aliis non est ad gustum. Chri-
stus enim diminutiuum *signaculum* nequit appellari,
quod significat *sigillum paruum*, nec illi competit *serui*
titulus. siquidem vt Deus, imago est Patris ipsiusque
substantiæ forma; Filius non *seruus.* Non quoq; pro-
prie de *Zorobabele* hæc intelligenda, exponit Rabbi
Salomon, Lyrano decidente: *non videtur conuenienter*
expo-

exponi de illo ex Persona propria. ſiquidem mutatio regnorum, de qua Prophetia erat, accidit iam vita functo Zorobabele. Itaq; iuxta Expoſitores, cum nec Chriſtum, nec alium, verba Prophetiæ exprimant: etiam de Franciſco piè intelligi poſſunt. quem S. Bernandinus ſenenſis, huius oraculi ſubiectum dicere non veretur. Tom. 2. S. 60. Ille enim *Chriſti ſignaculum, & ipſius paupertatis extitit imago, ab ipſo Ieſu quinque plagarum ſtemmate inſignitus.. ſeruus, dilectus & electus.* Aptè D. Bonauentura protulit: Prol. Leg. maior. *ſignaculum ſimilitudinis Dei viuentis, Chriſti videlicet Crucifixi, quod in corpore ipſius fuit impreſſum.* ſed & nomen conuenit Sancto. ſiquidem Zorobabel, tantumdem ſit: (Diuo Hieronymo in expoſitione nominum Hebræorum ſentiente) ac *Alienus à confuſione* vel à *ſæculo*, aut *Babylone.* & ſanctus Pater, nonne fuit alienus à vanitatibus ſæculi, à confuſione, * CONCEP. n. 23. à ſuperbia, auaritia.

III. Stupendo certè miraculo oraculoq;, Sanctus Iob, *dolores & patientiam ſtigmatum, vitamq; ſtigmatiſati*, Iob. 16. 13. in duodecim circumſtantijs propriis, deſcripſiſſe videtur. ordine ſequentibus punctis. *Ego ille quondam opulentus, repente contritus ſum, tenuit ceruicem meam confregit me, & poſuit me ſibi quaſi ſignum, circumdedit me lanceis ſuis, conuulnerauit lumbos meos, non pepercit & effudit in terram viſcera mea, concidit me vulnere ſuper vulnus, irruit in me quaſi Gigas, ſaccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam, facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt. Hæc paſſus ſum abſq; iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.* Etenim ſeraphicus Vir, fuit *Opulentus quondam*, Wad. T. I. fol. 14. locupleſq; parentela eius, inter Optimates Aſſiſienſes erat. *Repente contritus eſt.* cum repentino neſcientis tarda molimina ſpiritus ſancti motu, *Cor contritum & hu-*

Pſ. 50. 19. *& humiliatum*, proiectis procraſtinationibus, aſſumpſit. *Tenuit ceruicem eius:* iugum ſuaue Chriſti, cui ceruicem ſubdidit, iuxta: *Tollite iugum meum ſuper vos.*
Ma: 11. 29 Poſitus eſt *quaſi ſignum*, factus enim in ſignum Concrucifixionis Domini, atteſtante Eccleſia: *ſignaſti Domine ſeruum tuum Franciſcum, ſignis Redemptionis noſtræ.* Circumdatus eſt *lanceis:* latus enim ipſius, effectu lanceæ vulneroſo circumdatum. *Concißus vulnere ſuper vulnus* nam conciſæ vulnere manus, *ſuper vulnera pedum & lateris.* Irruit in eum quaſi *Gygas.* ipſemet nimirum Chriſtus, celeri de cælo volatu irruens ad imprimenda
Pſ. 18. 6. ſtigmata, qui *exultauit vt Gygas ad currendam viam, à ſummo cælo egreßio eius.*

Saccum conſuit ſuper cutem ſuam, Operuit cinere carnem; facies eius intumuit à fletu; & palpebræ caligauerunt. nam veſtimentis ſuis, coram Epiſcopo Aſſiſienſi depoſitis, & Parenti ſuo reſtitutis, oblatam vilem lacernam, ipſe ſibi in tegumentum *conſuit.* communeq; ei fuit, cutem ornare *ſacco.* vnde & præſcripſit: *Fra-*
Reg. c. 2. *tres omnes veſtibus vilibus induantur, & poßint ea repeciare de ſaccis.* cinere quoque non ſemel ſe aſperſit, confundens pulnerem carnis ſuæ, cum pulueribus cineris.
Ioan: 3. 6. *Abiecit veſtimentum ſuum a ſe & indutus eſt ſacco & ſedit*
Wad: T. 1. *in cinere.* Caliginem autem oculorum eius, præ fletu
Off. ipſi9, Ant: continuo, hiſtoriæ narrant, & ab Eccleſia vocatur: *vt Iacob cæcutiens.* Dixit quoq; Iob. *hæc paßus ſum abſq; iniquitate, cum haberem mundas ad Deum preces.* Franciſcus itidem impreßionem ſtigmatum paſſus, non ob iniquitatem, ſed ob vitæ ſanctitatem. *Mundas* coram Deo, in Monte Aluernæ cum funderet *preces.* quadragenarium quoq; abſoluendo tunc ieiunium. imitatus
Act: 14. 22 Apoſtolos, qui *orabant cum Ieiunationibus.* Quemadmodumq; patientiſſimus Iob, *tactus vlcere, à planta pedis vſq;*

vsq; ad verticem. similiter & ille, *vlcere plagarum Chri-sti*, de quo Propheta: *A planta pedis vsq; ad verticem, non est in eo sanitas*, ornatus oneratusq; , tactus & tectus est. Is. 1. 6.

IV. Libri sapientiæ effatum *simili autem pæna, seruus cum Domino afflictus est, & popularis homo, similia Regi passus.* euidentissime in viro Dei, sumpsit effectum. nam in obsequio Altissimi, humilis seruus fuit *Domini sui Jesu Christi*, similiq; pæna vulnerum eius, afflictus est. Et popularis homo, *de populo Dei*, ac pauper, *Regis Iudæorum* spinis coronati, in throno Crucis exaltati, similem passionem perpessus. *vita vestra est abscondita cum Christo in Deo, cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso, mortificate ergo membra vestrra, quæ sunt super terram.* Confidenter Christus Franciscum, & Franciscus Christum alloqui potest: *vniuersi respondebunt & dicent tibi: Et tu vulneratus es, sicut & nos, nostri similis effectus es.*

* CONCEP n. 24. Sap. 18, 11. Colos. 3. Is. 14. 10.

V. Sed & Noui Testamenti sacer Textus, enarrat mysterium stigmatum, sonitu Tubæ prædicationis, Diui Pauli, per totum Orbem clangente: *De cætero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini Jesu, in corpore meo porto.* Quod Thema non Apostolo sed Francisco, *per se, proprie, literaliter*, conuenire asserit Theologus: *Fuit B. Franciscus declaratus per Apostolum Paulum, qui & si diceret de seipso, propter verbera, Christi amore pluries accepta, de nullo tamen alio, possunt præfata verius dici, quam illo.* Asserunt & Docti expositores: *Non æquiualenter vt Apostolus, sed realiter vere, stigmata Jesu portasse virum Dei Franciscum.* Sacræ paginæ textibus, singularissimum Concrucifixionis Christo bonum & donum, pangentibus, & à longe, *mysteriose* prædicentibus.

* CONCEP Num: 25. Gal. 6. 17. Pis. L. 1. Confor. de Proph. Cornel. à Lap. in Loc. cit.

CAPVT VI.

De 6. Scibili Hypomnegraphico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Nomen, significata, Modum, Obiectum, consideratаq; Hypomnegraphiæ, declarans.*

I. VSurpatur hîc nomen, pro *Expositione Glossa Commento.* Complexo autem termino: Diuinorum aut scripturæ, interpretatio & explicatio dicitur. *Paraphrastica* aliter appellanda. Porro *scriptura* antonomastice vocatur. quasi ea sola scriptura sit, quæ sacra.

II. Pro comperto habendum: quod *omnis Prophetia scripturæ, propria interpretatione non fit.* sed dantur a Deo, *alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.*

2. Pet. 1. 20. 1. Cor. 12. 8.

III. Primordia Interpretationis, illuxisse in Ecclesia, ab ascensione Christi in cælum. *Taumaturgiam & Interpretationem Scripturæ,* Fidelibus testamento consignantis. quando valedicens Apostolis, *aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.* & ipsi edocerent suos discipulos. sic traditas sibi docent Dyonisius S. Pauli, & Clemens S. Petri, alumni. Ait Ruffinus: *Diuina volumina non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis & Auctoritate, & ex Apostolicæ successionis intelligendi Regula, interpretandа sunt.*

Luc. 24. 46.

Lib. 11. Hist. 9.

IV. Obiectum Scibilis huius Materiale: *S. Scriptura.* Formale autem *Interpretatio eius.* quæ iuxta determinationem Ecclesiæ, cuius est iudicare de vero sensu interpretationum, fieri debet.

Concil. Trid. ses. 4.

V. Verbum Dei Scriptum, duplicem habere sensum: *Literalem seu Historicum, & spiritualem seu Mysticum.* Literalis, alius *est proprius,* ideſt per voces & verba ea-

ba earundem rerum, immediata historicâ significatio. vt de Christo, quòd fuerit Homo. alius *improprius*, qui per easdem voces & verba, eiusdem rei figuratam & translatam, importat significationem. vt de Christo, quòd sit *Leo de Tribu Iuda.* non propriè sed figurate. Sensus *Mysticus* idem est, quòd per res, iterum aliarum rerum spiritualis significatio, siuè illæ res significent propriè siue impropriè. v. g. dum scriptura dicit, *Moysen exaltasse serpentem in deserto.* literalitèr significat, verum exaltasse. *mysticè*, Christum exaltatum in Cruce. Porro *Sensus Mysticus* est triplex: *Allegoricus Anagogicus & Tropologicus*, seu Moralis. Sensu *Allegorico*, Gesta in veteri Testamento, significant ea: quæ in Nouo gerenda erant. *Tropologico*, Gesta Noui & veteris testamenti, indicant ea: quæ ad mores spectant, quæ nos facere oportet. *Anagogico*, hæc quæ accidunt in Ecclesia militante: significant illa, quæ sunt futura in triumphante. Ioan. 3.

Litera: gesta docet. quid credas, Allegoria.
Moralis: quid agas. quid speres Anagogia.

INVENTIO. Conceptibus V. *Sensus Literales S. paginæ, Mysticos, Allegoricos, Tropologicosque: in Concrucifixione Christo repræsentans,*

I. INnocentissimus Christi Discipulus, cuius cor amore cæteris ardentius incaluit, aliis acutiori oculo mentis, in futura reuolutione temporis, animaduertit Franciscum, *Magistri sui similitudinem* deportaturū. cumque in Angelo delineauit & denuntiauit, inquiēs: *Vidi alterum Angelum, ascendentem ab ortu solis, habentem signum* * CONCEP n. 2 6. Apoc. 7. 2.

signum Dei viui. quod literaliter, de insignito stigmatibus Christi Patriarcha Minorum, sumendum, D. Bonauentura affirmat. *B. Franciscus S. Apostoli & Euangelistæ, vaticinatione veridicâ, sub similitudine Angeli, ascendentis ab ortu solis signumque Dei viui habentis adstruitur, non immeritò designatus.* id autem Seraphico Doctori, reuelatione fuisse traditum, affirmat Doctor *Illuminatus,* ipseque refert : *Ad literam de B. Francisco, præfatum locum, fide indubitabili, interpretandum.* Prædicat item S. Bernardinus : *A Ioanne Euangelista, habere sic Sacra stigmata, descriptus est cum ait : vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui.* Approbante Leone X. Summo Pontifice. *Ad vineam suam excollendam primo mane, oriente iam sole, ipse Paterfamilias, Angelum illum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, B. Franciscum vocauit.* Virum nempe puritatis Angelicæ, Charitatis Seraphicæ, plagis Dei, Hominis Crucifixi signatum.

Prol. vit. S. Fr.

Pis. Conf. 31.

De Euang. æter. ser. 6c.

Bull. Ite in Vin. Leon. X.

II. Extat Allegoria perpulchra, in Relatione Prophetæ maioris, hunc destinans Altissimus ad Israel, futura & voluntatem suam tali anunciauit symbolo : *sumam de medulla cedri sublimis, & ponam, & plantabo super montem excelsum & eminentem.* ad finemque de effectu subdit : *Ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile, siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum, ego Dominus locutus sum & feci.* Cuius ænigmatis sensus *literalis,* erat de Zorobabel ad regnum assumendo ; de exaltatione eius ; & benedictionibus futuris. *Mysticus* autem *primarius,* de Christo Iesu, eius arbore Crucis, Regno & germine Ecclesiæ. *Mysticus* verò *secundarius, Moralis & Tropologicus :* Francisco signo Crucis Iesu ornato, non *attractâ interpretatione,* accommodari potest. singulis Prophetiæ verbis, *mysterium stigma-*

* CONCEP n. 27.

Ezech. 17. 22.

Corn. à Lap. Cit. Loc.

stigmatum enarrantibus. Prado ait: *Cedrus sublimis*, est Deus Pater; *Cor & medulla*, est Vnigenitus, qui est in sinu Patris, quem plantauit in *monte excelso*. idest in vtero Virginis, meritis excelsæ. De hac igitur medulla Cedri, accepit Deus Pater, & posuit in carne Francisci, quando *Filii sui Incarnati*, similitudinem Crucifixionis, reposuit. *Repositaque medulla Cedri*, nam sicut rubescens est medulla: ita vulnera inflicta, rubentia.

III. Porro illud: *Et plantabo super Montem excelsum*, septuaginta Interpretes legunt: *suspendam illum, in Monte sublimi Israel.* idest, vt Theodoretus: *Crucifigam Christum, in Monte Caluariæ.* in Francisco etiam verificatur. quando in *sublimi Monte Aluernæ* (cuius Petræ in morte Christi, sicut petræ Montis Caluariæ, scissæ sunt) ab ipso Iesu, vulnerum Crucis, impressio facta. in specie Seraph, quasi *suspensi* in Cruce, in formaque Crucifixi, pro tunc apparente, vicinis circumquaque illustratis Montibus. * CONCEP n. 28.

IV. *Tener Ramus* (quo decorabatur tenellus & lactens adhuc, nepos Ioachin) figurat *tenellum Minoritate*, & paupertate paruulum Franciscum. cùm autem dicitur: *de vertice ramorum eius tenerum, distringam*: supplet id *ramorum carnis*, idest manuum & pedum, *distrinctio vulnerosa*, manu Dei peracta. *Distrinctione*: denotante dissectionem ferro, iuxta Martialem: * CONCEP n. 29. Ezech. 17. 22.

Pergamus has misit, curuo distringere ferro. Epigram. L. 4.

& Tullium: *gladium distrinxit, iurauitque se illum occisurum.* prout in Corpore Concrucifixi, gloriosum, *Clauorum ferreorum Christi*, mysterium est. illisque *distrinctio & dissectio*. Lib. 3. Offic.

V. Factus Seraphicus Vir, *in Cedrum magnam, erumpentem in germen*, nam *Iustus vt palma florebit, sicut Cedrus Libani multiplicabitur*, plurimosque Ordinis *germinauit* * CONCEP n. 30.

ſpirituales filios. imò Ordines ſtatûs triplicis: virorum, Virginũ ſexumque capientium vtrumque, ſeu Tertii Ordinis ac *fecit fructum*, nempe dignos fructus pænitentiæ, conuerſione multorum peccatorum. Exaltauit Deus, *lignum humile*: impreſſione vulnerum Ieſu, cuius Crucifixio, *exaltatio* vocatur: *Exaltari oportet filium hominis.* Quodque myſterioſius, in feſto *Exaltationis Sanctæ Crucis*, peracta. Ac prout Ezechiel præfatam allegoriam, terminat hiſce: *Ego Dominus locutus ſum.* ita ipſe Dominus loquutus eſt ad Franciſcum, *Verbum Crucis.* illud autem quod addit Propheta: *Et feci*, verificatum quoque, ipſe enim Dominus Ieſus, appoſitis manibus ſuis benedictis, impreſſionem ſtigmatum fecit.

Ioan. 3. 15

Chron. Al uer, P. Vit

At qui *Allegorici ſensûs* S. Scripturæ, in arcano ſtigmatum myſterium compleuit, is *allegoricâ Apparitione*, affuturam votis ſuis amicam conceſſionem ſedis Apoſtolicæ, intellexit & animatus eſt. completo enim duodenario ſociorum primitiui ſtatûs ſui, abiit Romam approbationem Regulæ petiturus: eunti illinc, oſtenſa de cælo *figura arboris celſitudinis magnæ*, plenæ volucribus cæli, & fructibus terræ. cumque ipſius altitudinem miraretur, ſubito leuabatur in altum, vſque contingeret cacumen, eiuſque ſumma, facile inclinaret ad ima. Præoſtendente viſione, impetrationem deſideratorum, futuram in facilitate & felicitate.

Wad. T. 1. f. 61.

CAPVT VII.

De 7. Scibili Theomatico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Nomen, Deſcriptionem, Diuiſionem, Obiectũ, conſiderataque ſcientiæ Theomaticæ, declarans.*

I. Sci-

I. SCibile Prophetiæ (vt quamcunque *Prænotionem* & *Prædictionem* futurorum connotat.) à *Prognosti*, vel *Præsagitione*, sortiri nomen. (vt autem est *Diuina*, ex gratia Dei futura prædicens. *Theomantia* seu Prophetia, appellanda. Prout illa, quam homines, ex variis coniecturis & diuinationibus comparant, *Dæmomantia* dicitur.

II. Describi potest: est Diuina inspiratio vel reuelatio, rerum futurarum euentûs, certa & immobili veritate, prauidens & prænuntians. *Diuina* dicitur - *Non enim voluntate humana, allata est aliquando Prophetia.* 2. Pet. 1. 20.
quoad verò *immobilem veritatem*, intelligendum est, de Prophetia absoluta, *sententiæ siue præscientiæ*, cuius euentus prædictioni respondet, & semper. quòd tunc res considerantur, prout in ipso existunt, & ab eo dependent, qui est immutabilis. non de *Condicionata*, idest *Comminationis & Consilii.* quatenus in ea res sunt, vt à causis secundis dependent, quæ sunt mutabiles. vt *Ionæ prophetia* ad Niniuitas. *Esaiæ ad Ezechiam.*

III. Prophetiæ diuiduntur: *in viuæ vocis & non viuæ, oracula.* seu per Allocutiones Diuinas, & per signorum Obiecta, cælitus monstrata. Et quidem *verbum Propheticum*: est vaticinium, quo Spiritus Sanctus mentali quadam *locutione*, occulta Prophetis dicit. vt Is. 8. 1.
Isaiæ, *sume tibi Librum*; aut *voce in aere* formatâ, vt Gen. 22. 11.
Abrahæ dictum, ne necaret filium. *Visio* verò, est Prophetia, qua mens spirituali oculo cernit Obiectum propheticum, cælesti lumine sibi præsentatum.

IV Pro Materiali Prophetiæ: est *subiectum Prædictionis*, qualecunque sit. Pro Formali verò: *Prædictionis congrua Qualitas.* nimirum iuxta præexigentiam præuisionis Diuinæ, concernentem Personarum & Rerum status, idque in veritate.

V. Quoad

V. Quoad *Naturam Prædictionis Propheticæ*, S. Gre-
Homil. 1 in Ezech. gorius docet, trinum amplecti tempus: *Præteritum, Præsens, & Futurum.* in futuro, vt *Ecce Virgo concipiet*; de præsenti, *Ecce Agnus Dei*; de præterito, *In principio creauit Deus cælum & terram*; Tertulianus autem asserit: *Prophetia de officio præfandi vocatur, ergo propria tantum est, de futuris Prophetia.* S. Augustino dicente: *Omnis Prophetia, imago est futurorum.*

Apolog. 18.

INVENTIO. Conceptibus V. *Prophetias sacras, Prædictiones Sybillæ, signa futurorum & Vaticinia: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP n. 31. I. FIdelis Deus, in cunctis promissionibus & verbis suis. prout nomine eius Propheta declarauit:
Amos 3. 7 *Non facit verbum, nisi seruis suis, secretum reuelauerit.* ita non fecit prodigium stigmatum, ad mortis suæ renouationem Redemptis: quin ad seruos suos, ante reuelaret, vt prædicerent illud cælestibus prophetiis suis. Extat enim inter Prophetas Minores, de Patriarcha Minorum Vaticinium: *Et tuli virgam meam, quæ voca-*
Zach. 11. 10. *tur Decus, & abscidi eam, vt irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis.* additque: *& præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus, vt dissoluerem germanitatem, inter Iudam & Israel.* Et quidem prima *virga decoris abscissa*: denotat Iesum Crucifixum, *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* alloquen-
Cant. 1. 15 Is. 53. 8. te ipsum sacra sponsâ. qui, *Virgâ Crucis*, abscissus est de terra viuentium. Causa autem vulnere crucis, abscissionis eius? est irritatio fæderis percussi cum populo. *Non*

lo. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* per Mortem Christi reconciliatoriam cum Deo, irriti & annihilati. *Peccata nostra, ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus* Porro virga altera, dicta *Funiculus* : notat Franciscum. tum præ *diminutiuo* termino, quod *imminutus* esset omnibus terrenis ; *Modicusque Minoritate.* tum quia *fune præcinctus* erat. Idem asserente expositione Lyrani. *Præcisa* autem est, *virga Funiculi*, quando Iesu Christi, *vulnerosis præcisionibus* stigmatum, insignitus est. Et *causa præcisionis* non alia : nisi vt dissolueretur *Germanitas* inter Iudam & Israel. idest bonorum & malorum. prout factum prædicatione & exemplaritate Viri Dei, cum multi spretis mundi illecebris, conuersi sunt in Israel, seu *videntes Deum.*

Gen. 6.3. 1. Pet. 2. 24. In Locum cit: Zachar.

II. Sybilla Erythræa, quam inter alias, quinto recensuit loco, Marcus Varro. & vixisse tempore Achaz vel Ezechiæ, asserit D. Augustinus : duos Patriarchas, Ordinum eodem tempore Institutores. S. Franciscum & S. Dominicum, in Orbem venturos, vaticinata est: *Erit autem bestia horribilis, ab Oriente veniens, stellæ quoque duæ surgent contra ipsum, & non obtinebunt, donec veniat abominatio, & voluntas Altissimi consumetur.* Per *Bestiam* horribilem: Machumetem ; per *stellas* binas, dictos Beatos, pietatis fulgoribus micantes, intelligentibus: *Ioanne Gierzon, Roberto à Licio, Gulielmo Pepin, Bartholomæo Pisano.*, & aliis.

* CONCEP n. 32. Lib. 2. rer Diuin Lib. 18. de Ciuit.

Nec absque mysterio, *stellæ* assimilauit Sybilla Franciscum, cuius anima, in specie stellæ, super candidissimam nubem, dum moreretur, transire in cælum, apparuit. Nam vt stella, minus cæteris astrum est ; *lucis rubeæ* ; radiorum *acuminatorum* : ita Concrucifixus Christo, *Minor* humilitate & nomine ; lucidus *purpura* san-

Pis. Lib. Confor. Schedul. Comm. in vit. S. Patr Lib. 3. in Orac Syb. Serm. 2. de S. Fran. Wad. T. 1. appar. Hist. Vit. B. Patr.

ra sanguinis; radiisque *clauorum acutorum*, irradiatus?
Velut luna micans, inter stellas minores.

* CONCEP n. 33. Apoc. 7. 2. Libr. de Concord. vtr. Test.

III. Vltra memoratas Prophetias. Ioachim Ord: S. Benedicti Abbas, ex Calabria oriundus, in Diuinis scripturis solers, suoque tempore creditus vates, centum ante Franciscum annis, cum multa de illo depromeret, quæ postmodum exitus rerum probauit. *Apocalypseos* verba: *vidi alterum Angelum habentem signum Dei viui*, exposuit: *veniet homo, qui erit insignitus characteribus Iesu Christi.* Quod confirmando, eundem cum habitu, chorda, quinque stigmatibus, amussiuo depinxit opificio, in Cathedrali Ecclesia Venetiarum, prout chactenus patet oculis. verum est igitur, quia

Amos. 3.

non facit Dominus verbum, nec fecit verbum Crucis, concrucifixione expressum: quin *non reuelet ad seruos suos*, prædicendo & futura annunciando.

* CONCEP n. 34. Annal: Ord. p. 1. It. de Vir. Ill. Chró.

IV. Prophetauit & Martyr illustris, S. Angelus, Ordinis Carmelitarum, dum enim Romæ, ageret Ecclesiasten in Basilica S. Petri, finita concione, Franciscum qui tunc aderat cum S. Dominico, amplexatus est, aggratulando: quod *portaturus esset insignia Saluatoris in corpore suo.* Diuo Patre Dominico, ad prophetias vtriusque, respondente *Amen*. Prænotionem conferente Deo mysterii stigmatum: vt magnalia eorum,

Ps. 91. 17

patienti sufferentia doloris Iesu, clarificarentur. iuxta: *Et bene patientes erunt, vt annuncient, quoniam rectus Dominus Deus noster.*

* CONCE: Num: 35. Chron. vitæ, initio.

V. At præter rationales Prophetias, multa præcesserunt alia signa, prænunciantia gratiam stigmatū. Recenter enim natum Franciscum, domumque à Baptismo relatum, Angelus in specie peregrini apparens, accipiens in vlnas benedixit, & in humero dextro, *Cruce* signauit. quam postea non iam ætate puer, sed hu-

militare parvulus, *toto præferret corpore.* Fratri Pacifico, *Cruce fulgida*, instar literæ T, in fronte diuersis coloribus expressæ, insignitus apparuit. Fr. Siluester, procedentem ab ore eius, magnam *auream Crucem*, conspexit. Frater Leo, a Perusii vrbe, vsque ad Portiunculam Assisii, cernens ante ipsum in via, præcedentem *Crucis figuram*, Deum laudauit. Fratribus Conuentûs Arelatensis, prædicante B. Antonio, absens, præsentialiter *Crucifixus* expansis brachiis præsentatus est. Quando pergebat in Syriam, visæ tum temporis fuerunt multæ in cælo Cruces, in quarum vna, forma Crucifixi erat. signum inquam, quòd illuc *signifer Christi futurus*, veniret. hoc accidisse anno 1217. manet probatum in *Floreto*, in *Monte Seraphico*, & *Theatro*. Refert item Vulgaris Historia: in specu Montis Aluernæ orante Viro Dei, aduolasse cateruas auium, vtrinque peruolitantium. ædiculæ tectum & latera vbique occuparunt; intrepidè foris & intus manserunt; gestientes & concentu mirifico garrientes, quasi *eloqui aliquid*, & annunciare satagendo. incussit hoc stuporem Francisco, & cum intelligere significationem desideraret, sonuit de cælo, illico articulata vox: *hoc tibi signum, quod Dominus in loco isto, magnum fauorem facturus est.* vnde statim socio suo & Patri spirituali, commisit curam omnium, vt solùm vacare posset præparationi, cùm lachrymis secretum ipsi communicans: *Dominus mihi sacra stigmata conferret, in hoc loco.* Sed per Animata & Inanimata prænuntiata, sufficiat de futura annunciatione mysterii Seraphicæ Concrucifixionis.

Wad. Annal. T. 1.

Vital. Sar. Hist. Aluer.

Chron. Mõt. Alu. fol. 60.

Pis. Confor. L. 1. fr. 8.

CAPVT VIII.

De 8. Scibili Apocalyptico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Nomen, Descriptionem, Diuisionem, Obiectum, considerataque Doctrinæ Reuelationum, declarans.*

I. APocalypsis ex græco, *Reuelationem* significat. & Liber *Apocalypseos* dicitur. quod reuelatis multis arcanis refertus sit. Non est autem aliud *reuelatio:* quàm diuinitùs, *velaminis sensûs remotio*, ad percipienda supernaturalia, dicta vel Obiecta.

II. Describi potest: *Est manifestatio soli Deo cognitorum secretorum, atque supernaturalium rerum, siue ad prædicandum, siue ad prænoscendum aliquid, cælitus facta.*

III. Inspirationis reuelantis aliquid, seu Illuminationis, duas Theologi ponunt species: *Imaginariam*, quæ fit per sensibilem repræsentationem, ex qua mentis conceptio nascitur. & *Intellectualem*, quæ non per sensus vel imaginationem oritur immediatè, sed per lumen infusum intellectui, & per species intellectuales: idque vel Diuina virtute, *de nouo inditas*, vel *præxistentes*, ad naturalem mentis conceptionem formandam applicatas.

IV. Notitiæ Theologicæ, de *Reuelationibus*, Obiectum Materiale: *Res aut dictio reuelata.* pro Formali, *Intelligentia Reuelatorum*, cælitus præstita. Quæ ex diuersitate Modi, occasionisque effectuum, specificatur.

V. Contingit *Sensibilis Reuelatio*, dum alicui Christus, vel Sancta eius Mater, vel Angelus vel quispiam Beatus,

Beatus, oculis corporeis, ſeſe videndum, aut audiendum, aut palpandum, offert. vt ex hoc ipſo, Spiritualis recreatio, intenſius Deo ſeruire inducat, animaque iuſti conſoletur. Porro accidit in *vigiliis*, præſertim in *exceſſu mentis*. quando per figuras & formas, à ſenſibilibus rebus acceptas, ſubita immiſſione & repræſentatione imaginationi, videnda & audienda, cælitus obiiciuntur. ſic Ezechieli, Danieli, & aliis, Noui & veteris Teſtamenti, factæ reuelationes. Accidit item in *Somno*: vel per *Oraculum*, cum Chriſtus, Angelus, Pater naturalis, Amicus, vel quiſpiam apparet. aliquid euenturum vel non; faciendum vel non; denuncians. uel per *Apparitionem*, cum quis videt aliquid, quod eodem modo, quo apparuerat, euenit.

Superintellectualis autem *Reuelatio* diuinorum myſteriorum fit: per ſpecies infuſas, ac puriſſimas imagines, ſimilitudinesq́; & lumina intellectualia, extraordinaria. ita Dauid, reuelatum ſibi Myſterium S. Trinitatis, expreſſit dicens: *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus*. Et S. Petrus, de Diuinitate Chriſti, cum proferret: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Ps. 66. Matt. 16.

INVENTIO. Conceptibus V. *Reuelationem Diuinam, viſionem ſcalæ Iacob, Rubiq; ardentis, & alia reuelationum ſacra: in Concrucifixione Chriſto, repræſentans.*

I. ORbi Chriſtiano, apprecationis Apoſtolicæ: *Et vobis qui tribulamini requiem nobiſcum, in Reuelatione Domini Ieſu de cælo, cum Angelis virtutis eius*, Seraphicus vir compos factus eſt: *tribulationis Concrucifixiuæ Chriſto*, poſſeſſor; & *Reuelationis Domini Ieſu expreſſione* * CONCEP n. 36. 2. Thes. 1. 7.

sione vulnerum, viuum exemplar. *Nec sanguis aut caro*, magna cælestium sacramenta, *in carne concrucifixa & effuso sanguine eius* reuelauit: sed ipse Deus Omnipotens, ipse clementissimus Saluator, vt gloriari possit:
Gal 1.12. *Non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: sed per reuelationem Iesu Christi.*

* CONCEP n. 37. Gen. 28. 12. II. Iacob, pulchræ Rebecæ filius, tali Reuelatione cælesti recreatus est: *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei descendentes & ascendentes super eam, & Dominum innixum scalæ.* At & Franciscus, eiusdem reuelationis
Antiph. Off. mysterio recreatus est. quem, *Iacob benedicentem filios Ordinis sui*, vocat S. Ecclesia. vt sicut Iacob, fuit Esau, *Frater Minor*, sic ipse etiam è gremio *Fratrum Minorum*. Ille ob benedictionem ab Isaac receptam: reliquit domum cum deliciis; matrem cum blanditiis; & in Syriam, terram alienorum abiit. Hic, ob *Iesu Christi figurati ab Isaac*, auditum in Euangelio verbum, de re-
Matt. 20. 29. linquendis *patre, matre, uxore, filiis, propter nomen eius*: a parentum blanditiis, vt a quisquiliis; à diuitiis vt à vitiis, aufugit, Christumque sequutus est, Iacob vidit Angelos ascendentes & *descendentes*. hic, spectauit *Dominum Angelorum*, in terram descentem, specie Seraphicâ venustum; & post impressionem, in cælum ascen-
Ioan. 3.13 dentem. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis.* Scala autem, iuxta S. Chrysosto-
Orat. 2. de Cru. mum: *Figura Crucis Iesu*, nonne patet in effectu plagarum Crucis, inflictarum? nonne in *baiulatione Crucis suæ* ad imitationem Redemptoris, elucescit? Demum, vt in loco *Reuelationis* Iacob, lapides fuere, quos *tulit & supposuit capiti suo.* Aluernæ quoque lapidosus mons, præruptisq; rupibus asper, locus fuit *Reuelationis stigmatum*.

III. Moy-

III. Moyses, ad Montem Horeb, gratiâ *reuelationis* huiusmodi præuentus: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis, de medio rubi, & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* in Concrucifixione Christi, similia videre est. sicut enim Moyses, vix natus, statim infans natans, vnde & ab aquis sortitus nomen. ita Franciscus infans Apostolicus; adeoque flumini lachrymoso pænitentiæ *immersus*, vt oculorum perspicaciam cæcutiens amiserit. Illi, Rex Crucifixus, *coronâ spinea* redimitus, quasi inter *vepres Rubi*, apparuit. ab ariete Abrahæ, pro filii victima, olim suppetias dante, & *in vepribus* hærente, præfiguratus. Quod si quæras? *Rubi natiuos aculeos*; & è punctura Rubi, sanguinis profluuium? inuenies hæc, in *acumine clauorum*, carnem pungentium, sanguineque carnem pingentium. Inextinctus autem *Rubi incombusti* ardor: in flammis Charitatis Seraphicæ; & in flammis Montem Aluernæ tunc illustrantibus, cernitur clarissimus.

* CONCEP. n. 38.
Exod. 3. 2.
Exod. 2. 10.
S. Bon. c. 5.
Ioan. 19. 2.

Vertex Montis inflammatur, vicinis cernentibus.
Cor Francisci transformatur, amoris ardoribus.
Corpus verò mox ornatur mirandis stigmatibus.

Hymn. Vesp. Off.

IV. Mirabile & difficile quid, in Reuelatione Prophetæ demonstratum, de quo sic compendiose: *In medio eius similitudo 4. animalium, similitudo autem vultus eorum, facies hominis, & facies Leonis, a dextris illorum quatuor, facies autem bouis à sinistris eorum quatuor, & facies Aquilæ desuper eorum quatuor, & pennæ eorum extensæ desuper, aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum.* additurque. *& totum corpus oculis plenum.* quod idem refert Apocalypticus Propheta. Hanc visionis difficultatem, inter alia mysteria Catholicorum, arcanum stigmatum repræsentare potest. In Francisco enim lucet *similitudo 4. animalium,*

* CONCEP. n. 39.
Ezech. 1. 5.
Apoc. 4. 6.

Prou. 28. *lium*, nam vt *Homo*, eſt *animal rationale* ; in quantum
1. Iuſtus, *quaſi Leo confidens, abſque terrore* ; in quantum
laborioſus in iugo Chriſti, cordeque ſimplex, inſtar
Ps. 72.22. iumenti, iuxta: *vt iumentum factus ſum apud te* ; aquila
demum, quod in Minoritana paupertate, nullius po-
ſeſſione onuſtus, facile eleuabatur ſurſum. expletum
Ps. 102. 5 in illo : *Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua.* Sed tan-
gendum veremur forſan, *ignitum animalium aſpectum?*
hic in Franciſci ardente rogo Seraphicæ Charitatis,
Eccl. 48. ſuauis eſt. qui, vt alter *ſurrexit Elias Propheta: & ver-*
bum ipſius, quaſi facula ardebat. Animalibus *aderant*
pennæ. huic, cum appellatur Seraphicus : quis Ange-
licas contemplationis denegabit. alas ? cùm & *Aqui-*
læ expanſis alis præditus, aureiſque cum vnguibus, ad
Legend. 3. Soc. defendendum Ordinis ſui Patronos, à Fratre Leone,
poſt mortem eius, per apparitionem, viſus eſt in aere
conſpicuus. Inſtar verò *oculorum* in Reuelatione ap-
parentium, *ante, & retro*: ſunt concaua vulnera, *Ante*,
ſcilicet in latere *anterius* vulnerato ; *Retro*, ſcilicet
in traſfixione manuum & pedum, transparentia. Ac
quemadmodum, de carne ſua, vulneribus vlcereque
Iob. 19, 26. afflicta, protulit Iob: *Et in carne mea, videbo Saluato-*
rem meum : ita Seraphicus Pater gloriari poteſt : in
carne ſua vulneribus Chriſti conciſa, vidiſſe & viſu-
* rum ſe Deum Hominem, *Saluatorem Mundi.*

CONCE: V. Reuelatio ſalutaris & laudabilis fuit, de qua
Num: 40. gloriabantur Sancti: *Vidi Dominum, & ſalua facta eſt*
Leg. Maior. 1. P. & 2. *anima mea.* B. Franciſcus, nobilibus quoq; Reuelatio-
nibus & Viſionibus, clarificatus eſt. *Primò*, adhuc
ſæculari, in ſomno, Diuina Reuelatio facta, oſtenden-
do palatium, armis Cruce ſignatis plenum, & illud
promittendo ipſi. *Item* in Eccleſia Sancti Damiani, de
Cruce alloquente Chriſto, vt repararet ruinas eiuſdem
templi.

templi. *Tertio*, quando in ſylua oranti apparuit Dominus, cum Virgine Glorioſa, S. Joanne Baptiſta, & Joanne Euangeliſta. *Quarto*, in Viſione quadam dicente Domino: *Omnia contemne relinque, ſi meam vis cognoſcere voluntatem. Item*, in Eccleſia S. Jacobi de Galatia, vbi reuelatum eidem, Ordinem eius per Orbem diffundendum. *Sexto*, præcauente Chriſto, in colloquio ſingulari: *Si Fratres in ſua vocatione permanerent, omnem tribulationem amoturum ſe à mundo. Item*, in Eccleſia Portiunculæ, dum omnium peccatorum, Plenariam impetrauit Indulgentiam. *Octauo*, Solicito & turbato de malis exemplis Fratrum, reuelauit ſe Chriſtus, reprehendens nimiam curam eius, quod ipſe eſſet, & non ille, principalis Author Ordinis. *Nono*, dum oraret pro quodam nobili, vt gratiâ Dei, ſperneret mundum. *Decimo*, Cùm Virgo Beatiſſima, paruulum puſionem, diuiniſſimum Filium ſuum, portandum conceſſit. At maior his omnibus, *Reuelationibus eſt*: in Monte Aluernæ facta, quando Dominus ipſe JESUS Chriſtus, *abſconditum à ſapientibus mundi myſterium Paſſionis ſuæ*, in carne Franciſci, realiter reuelauit. Non ſemel nec *quinque*, ſed bis quinque, *in honorem nimirùm quinque plagarum Crucis*, ſpecificas *decem* præparatorias, præmittens Reuelationes.

Leg. 3. Socior. Piſ. L. 2. Fr. 11.

CAPVT IX.

De 9. Scibili, Leuitico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Nomen, Deſcriptionem, Diuiſionem, Obiectum, Conſiderataq; Doctrinæ Sacrificandi, declarans.*

I. SCibili de Sacrificiis, adaptatur nomen, ex *Libris S. Scripturæ*, continentibus præcepta ceremonialia, circa oblationes & sacrificia. Unde Græcis & Latinis, *Leuiticus*: idem est ac *Sacrificatorius*. a materia de Sacrificiis, & muniis Leuitarum.

Cornel à Lapi. in Leui. Arg.

II. *Sacrificare* latine dicitur, *à re sacra facienda*. Hæbraice, significat, *mactare & occidere*. Est autem *Sacrificium* ex communi sensu: *Externa oblatio rei sensibilis, à legitimo Ministro, facta Deo, cuius mediante destructione, significatur supremum Dominium Dei, ac subiectio sacrificantis*.

III. Sacrificium vt sic, diuidendum in Sacrificium *Legis Nouæ*, quod sine vlla præscriptione, ab Adam & Moysen durabat. Et nato mundo, Abel primus Deo, *obtulit de primogenitis gregis sui*. post ablutum verò Mundum aquis, primus ædificauit Noe, altare Domino, & obtulit holocausta. Item, *Legis Moysaicæ*, a Moyse ad Christum nouum Adam. Erantq; quatuor species: *Holocaustum*, in quo tota Oblatio comburebatur; *Victima pacifica*, id est pro pace & incollumitate; *Hostia pro peccato*; & *Sacrificium*. Ac *Legis Euangelicæ*, quod Saluator cruenta in Cruce, pro expiatione totius mundi celebrauit. Sub speciebusq; Eucharisticis, *incruente* exequendum, instituit.

Gen. 4. 4. c. 7. 20.

IV. *Missam*, in qua sacrificium incruentum Noui Testamenti celebratur, aliqui putant dici ex Hæbraico *Missach*. quod oblationem significat de qua dicit Deus per Prophetam: *O Sacerdotes qui despicitis nomen meum, & offertis super altare meum, panem pollutum, non est mihi voluntas in vobis. in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo, Sacrificium & Oblatio munda*. sic explicat Concilium Tridentinum. aitq; S. Augustinus *Manducare Panem in Nouo Testamento, esse Sacrificium Christianorum*.

Mal. I. 7. 11.

Lib. 16. de Ciuit. c. 1.

V. Finis

V. Finis & Causa, instituti Sacrificii, est Actus *Religionis & Latriæ.* ad Dei venerationem debitam, & cultum exteriorem. Utq; in Lege Veteri, variis typis, ratio & dignitas Sacrificii Christi in Cruce peracti, adumbraretur; atq; vt offerens propitiationem & postulata, à Maximo omnium, referre possit.

INVENTIO Conceptibus V. *Hostiam Sacram, Agni Sacrificium, victimas & Oblationes mortificationis, Officiaq; Leuitica: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. MAndatum & Consilium saluberrimè promulgatum ab Apostolo: *Estote ergo imitatores Dei, sicut Filij Charissimi, & ambulate in Dilectione, sicut Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, Oblationem & Hostiam Deo, in odorem suauitatis:* pauper Patriarcha Minorum expleuit. Factus enim *imitator* JESU, Vitâ Apostolicâ, & baiulatione *Crucis.* Et factus *Imitator sicut Filius.* nam *Infans humilitate, & Minorita.* Atq; *ambulauit in dilectione*, quia præ Charitate Dei, vsq; Seraphicus. demùm, *obtulit semetipsum in Hostiam*, cùm corpus suum, Vulneribus Crucis, in qua Christus peregit Sacrificium, obtulit. Atq; *sicut Christus, tradidit semetipsum Hostiam Deo.* sic, talibusq; Stigmatibus, insignitus. juxta: *Exhibeati corpora vestra, hostiam viuentem sanctam Deo placentem.*

* CONCE: Num: 41. Phil. 5. 1. Rom. 12. 1

II. Agni tollentis peccata mundi, *quasi Agni mansueti ad victimam deportati*, cruentum Sacrificium in Cruce, præfigurabatur designabaturq; *holocausto Agni*, Veteris Legis. *Cædetur agnus immaculatus, anniculus in holocaustum Domini.* prout de sua quoque hostia vates:

* CONCE: Num: 42. Ioan. 1. 2. Ier. 11. 19. Leu. 23. 12

Nam erit ille mihi semper Deus, illius aram:
Virg, Egl. 1. *Sæpè tener nostris, ab ouilibus imbuet agnus.*

Franciscus, *pascuæ Petri* commissus Agnus; *Agni immaculati* pretioso redemptus sanguine; præ mansuetudine eius, vulgò *Pecorella* dictus; figuram Agni, aras sanguine imbuentis, idq; fermè *quoad singula*, manifeste expressit. Ut enim Agni, *diuisæ* sunt naturaliter *vngulæ*: vnde & comestioni Judæorum, ob diuisam vngulam concessus; item vt vngulæ eius, *nigræ & acuminatæ*: ita manus & pedes, *vngularum quatuor instar*, vulnere disruptæ; cum infixis clauis *nigris & exacuatis*, vt de illo videatur dictum: *Et vngulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos.* multorum conuersione à mundo, à vitiis. Agnus Holocausti, tenellus erat, *Agnos anniculos offeres duos*; cremabatur rogo lignorum impositus; sanguine rigabatur; *Vulneribusq; quinque*: in medio, ad *viscera eximenda*, & in quatuor pedum membris, *amputatione eorum*, feriebatur. *Sanguinem verò illius fundent super altare filij Aaron per circuitum, diuidentq; membra caput & omnia, quæ adhærent iecori; & ponent super ligna, quibus subiiciendus est ignis, intestina verò & pedes; lauabunt aquâ.* In Concrucifixione, est materia flammarum Charitatis, *Lignum Crucis*; est aspersio *cruore*, copiose illum plagis fundentibus, vt sæpius vestes *consperger et*; sunt *Quina Vulnera* in medio lateris, & extremis corporis membris. Proutq; Oblatio, fiebat in *altari lapideo*. similiter Stigmatum Holocaustum, in Lapide & Petra Aluernæ montis, peractum. flammas & ignes pro tunc, *Vicinis cernentibus.*

Ioan, 21. 15. 1. Petr. 1. 19. Leuit. 11. 3. Mich. 4. 13. Leuit. 1, 11. S. Bonau. in Vit. Hymn. S. Stigm.

III. Prophetia Jeremiæ: *Venient de Ciuitatibus Iuda, & de circuitu Jerusalem, & de terra Beniamin, & de Campestribus, & de montuosis & ab Austro, portantes holocaustum & victimam, & sacrificium & thus, & inferrent*

* CONCE: Num: 43. Ier, 17. 26.

obla-

oblationem in Domum Domini. Videtur expressa in Concrucifixione Francisci: ille enim de *Montuosis* Patriæ locis, vbi natus; de *alto Monte* Aluernæ, vbi *signatus*; de circuitu *Jerusalem*, vbi binâ vice peregrinatus; & hucusq; in Fratribus suis, inhabitantibus ibidem pænes Sepulchrum Domini, locatus: *venit in Domum Domini*, Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, portans *Sacrificium & Victimam*, nimirùm portans in corpore suo, *Stigmata Domini nostri* Jesv *Christi*, quæ Sacrificium & victimam in Cruce, exprimunt & declarant.

IV. Gloriabatur Rex Isai, in conspectu Creatoris sui. *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, sicut oues occisionis.* Virum Seraphicum, gloriari oportet, *mortificationem Crucis*, non totâ die, *sed totis diebus integri biennij*, iugiter deferentem in Concrucifixo corpore suo. iuxta gloriationem Apostoli: *æstimati sumus, sicut oues occisionis.* Et quidem *tanquam Agnus & Ouis Holocausti*, completione in illo sacri textus: *Deductus quasi agnus ad victimam.* non iuxta comminationem Dei, sed per gratiam & miseratione, clementissimi Dei. At audi: Franciscum qui oblatos Deo expressit agnos; mirifice edocentem agnos, vt Creatori suo offerent *Sacrificia laudis*. Habebat ouiculam in æde Portiunculæ commorans, hanc admonuit, vt secum laudibus Diuinis intenderet. mirum! Ecclesiam ingrediebatur audito signo, flectebat genua, Sacratissimamq; Eucharistiam, flexis poplitibus venerabatur. Alterum iterum habuit Agnum, quem nobili Matronæ, *Jacobæ de septisolijs*, conseruandum tradidit, is Dominæ ad Ecclesiam eunti adhærebat, ac domi, de nocte, cornibus & balatu, ad orandum sæpiùs excitabat.

* CONCE: Num. 44.
Ps 43. 22.
Rom. 8. 36.
Ier. 11. 40.
S. Bonau. c. 8.
Wad. T. I. fol. 275.

V. Nec sine mysterio, Seraphicus Patriarcha, *sacro ordine Sacerdotij* insigniri noluit, officio contentus Dia-

* CONCE: Num. 45.

conatûs. cùm enim repræſentaturus erat, impreſſione Stigmatum, Leuitica Sacrificiorum munia & myſteria, *Officio Leuitarum*, in quorum locum ſucceſſerunt Diaconi, atq; *Leuitici dicuntur Ordinis*, decuit fungi Virum Dei. Pulchrè S. Bernardinus Senenſis, exponens illud Danielis: *Species quarti ſimilis Filio Dei.* inter præcipuos *inquit* Eccleſiæ Catholicæ Leuitas, quartus numeratur, & apponitur Franciſcus. ſcilicet inter *Stephanum*, *Laurentium*, & *Vincentium*.

Tom. 2. Ser. 60.

Accidit quendam Caietanum ciuem, nomine Bartholomæum, in architectura Eccleſiæ ipſius Aſſiſii laborantem, ruente trabe, grauiter conquaſſatum fuiſſe. vicinus morti, ſacrum à Fratre adſtante poſtulauit Viaticum, ille tam celeriter fieri id non poſſe cernens, ſubito enim mori videbatur, dixit illi teſtimonium S. Auguſtini: *Crede & manducaſti.* ſequenti itaq; nocte, apparuit ei Franciſcus, cum vndecim Fratribus ſuis, in pectore portans agnum, alloquioq; ſuaui exhilarans: *Hic eſt agnus quem petebas, deſiderio eum ſuſcepiſti, cuius virtute ſanitatem vtriuſq; hominis habebis.* tangenſq; vulnera manu, diſparuit, & æger factus integer. Sancto, apparitione cum Agno ſacrificato, ſanitatem virtute Dei conferente, & Leuiticum adminiſtrationis ſacrificiorum, adimplente prodigiosè officium.

Wad. Ann. fol: 381.

Tract. in Ioan. 29. Tom. 9.

CAPVT X.

De 10. Scibili Ritualico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Deſcriptionem, Explicationem, Diuiſionem, Obiectum, Conſiderataq; Scientiæ Rituum, declarans.*

I. Ritus

I. RItus significat *recte ordinate*, vel *ex more Actum*, Sacris mysteriis Religionis adhiberi solitum. Idque aut ad maiorem sacrorum venerationem & maiestatem; aut ad piam populi signis *sensibilibus* excitationem; ab infidelibusque distinctionem. 1. Cor. 14. 10.


II. Scientia Rituum describi potest; Est notitia Theologiæ subordinata, tractans de externis, Actibus & signis Religionis, in sacris celebrandis adhiberi solitis, vt conuenientius & ordinate peragantur. iuxta: *Omnia autem honestè & secundùm ordinem, fiant in vobis.* 1. Cor. 14. 10.

III. Religionis veri Dei, *Antiquæ Legis ritus*, de quibus Propheta: *Quæ est enim alia gens sic inclyta, vt habeat cæremonias, iustaque iudicia & vniuersam Legem*, erant triplices: *Sacrificales*, quæ circa Sacerdotes & eorum officia versabantur; *Morales*, spectantes ad præcepta & præscriptionem Diuinam, de certis obseruationibus Morum & praxium, Gentem ab aliis distinguentium; & *Iudiciales*, circa Leges & Traditiones.

IV. Nouæ Legis, multiplices esse Cæremonias. aliæ *Sacramentorum*, aliæ *Sacramentalium*; aliæ circa *Missæ sacrificium*, aliæ circa Diuinum officium; aliæ Officii Personarum Ecclesiasticarum, aliæ dignitatis sæcularis officialium, aliæ *Feriarum*, aliæ *solemnitatum*. rectè asserente D. Augustino: *Quod est sal carnibus, cortex arboribus gladio vagina, folia arboribus, seps hortis: id Religioni sunt cæremoniæ, absque his nullam Religionem, subsistere diu posse.* Lib. 19. contr. Manich.

V. Doctrinæ huius, Obiectum: *Ritus Sacer*, seu *Cæremonia*, idem enim significant. nisi quod ille dicatur à *Ratione*, vel *Ratificatione*, quòd rationem mysterii habeat Religionis, & non nisi ratificati ab Ecclesia, approbatique admitti debeant Ritus. *Cæremonia* autem

dicitur,



Val. L. 3. de Sacerd. dicitur, à *cereo vel cera.* quòd accensis communiter cereis, sacra absoluantur. ac à *cæterorum monitu.* admonent enim populum, ad sacra venerabundè peragenda.

INVENTIO. Conceptibus V. *Officium Cæremoniarii Summi Pontificis, Ceremonialia Legis veteris, Sancta Sanctorum, Ritusque Benedictionum: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP n. 46. I. DOminus Dominantium, familiæ seruorum suorum, in Domo veteris Testamenti, ordinem cultus Diuini præscribens, *Magistrum sacrorum rituum*, Exod. 18. 19. Moysen præfecit. *Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas quæ dicuntur ad eum, ostendasque populo cæremonias, & ritum colendi.* In Domo autem Ecclesiæ Legis Nouæ, Franciscum elegit, vt *referret & ostenderet populo,* solemnem, concrucifixione suà, *Mortis Iesu ritum*, cæremoniasque Crucis edoceret. Vt quemadmodum pænes Maximum Pontificem Vicarium Christi, est sacrorum rituum *Cæremoniarius, Crucifer, signifer.* ita summi ipsius Pontificis Iesu, specialis *sacrorum rituum Crucis*, esset Magister. alterq; Moyses Legis Nouæ. vt enim ille *Ritum Crucifixionis Domini*, Ioan. 3. monstrauit populo, *expositione in ligno serpentis ænei.* ita hic, non *figuræ serpentis*, sed ipsius figurati Redemptoris; non in *ligno*, sed in propio corpore; exaltauit & monstrauit mysteria. Et si terrens grauitate Tulliani Styli *Tertullianus*, laudibus effert Catholicus Cæremonias, vsu signi Crucis: *Atque ad omnem progressum &* De Corō. Milit. 3. & 4. cap. *promotum, ad omnem aditum atque exitum, ad vestitum & cal-*

& calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos exercet conuerſatio, frontem Crucis ſignaculo terimus. Franciſcus magis hàc Cæremoniâ *ſigni Crucis*, toto corpore ſignatus, decoratus, & dulcoratus eſt.

II. Inter Cæremonialia *Vaſorum Sancti*, Legis veteris, præcipuum erat *Arca Domini.* in ea autem *non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes.* Huius ſimilitudine B. Antonius Paduanus, Ordinis Minorum Thaumaturgus, ob locupletem Sacræ Scripturæ memoriam, à Gregorio XI. inſignitus, dictus *Arca Testamenti.* Sed magis appellari poteſt, ſtigmatiſatus Sanctus, *Arcæque veteris* titulo, inſigniri. vt enim in *Arcæ concauo reconditorio*, repoſitæ erant duæ tabulæ Legis, ſic in concauis vulneribus, non ſolum ſunt repoſitæ *duæ Tabulæ*, myſterium ſcilicet, duorum lignorum Crucis Chriſti; ſed ipſemet extitit Tabula digito Dei ſcripta, teſtatur Seraphicus Doctor: *Deſcendit Angelicus vir de monte, ſecum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis, vel ligneis manu figuratam artificis, ſed in carneis membris, deſcriptam digito Dei viui.*

* CONCEP n. 47.
Reg. III. 8. 9.
Surius Vit. c. 8.
S. Bon. Vit. c. 13.

Porro in *ſenſu Morali*, de Arcæ ſpiritualis contento, ait S. Gregorius: *quid eſt Sacerdotale cor, niſi arca teſtamenti, in qua, quia doctrina ſpiritualis viget, procul dubio, Tabulæ Legis iacent.* ex qua aſſertione, inferendum ſimile de corde ſtigmatiſati, in quo, ac in *corpore exterius*, doctrina Euangelica, de *tollenda Cruce*; Doctrina Apóſtolica, de *Confixione Cruci Chriſti*; ſapientiaque *verbi Crucis*, manifeſto documento *Poſitionum & Concluſionum Crucis*, repoſita eſt.

L. 7. Reg. Epis. 30.
1. Cor. 1. 18.

III. Mandato Dei, in Lege Moyſaica fabrefactum eſt Candelabrum, inter vaſa ſancti, *vt appellabantur*, non poſtremæ venerationis. *Facies & candelabrum*

* CONCEP n. 48.

Exod. 25, 31. *ductile, de auro mundissimo, hastile eius & calamos, Scyphos & Sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia.* Hoc quia *ductile* erat: non sine malleatione productum & efformatum. erat item, ex *auri vno talento ;* atque concauum & paruum; asserentibus id Expositoribus. Lux
Cornel. à Lap. in Loc. præf. Euangelica, *lux Mundi* Franciscus: in hoc candelabro positus est. eiusque euidenter expressio, stigmatibus peracta. *Aureus* extitit, ignito & puro auro Charitatis Seraphicæ; *Ductilis malleatione* extitit, nempe effectu clauorum Crucis, carni, quasi *malleo impactorum*; *Concauus* extitit, profunditate vulnerum; *Paruus* extitit, Minoritanâ humilitate. si autem *lumen & splendorem* aspicere desideras, lampadarum Candelabri? lucent
Cant. 8 6. in *Amoris & Zeli* igne. *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lampades ignis atque flammarum.* Testatur S. Cardinalis Minorum: *Excreuerat in eo insuperabile amoris incendium boni Iesu, in lampades ignis*
S. Bon. L. 1. c. 13. *atque flammarum.* Et iterum: *Caritatem feruentem, qua sponsi Amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat. totus namque quasi carbo quidam ignitus Diuini amoris flammâ, videbatur absorptus.*

Exod. 25. 40. Quantum ad Exemplar Candelabri, à Domino porrecti. *Inspice & fac secundùm exemplar, quod tibi in Monte monstratum est.* quod tropologice explicans D.
In Loc. Exod. cit. Gregorius ait: *Inspice exemplar, Obedientiæ, patientiæ, fortitudinis, charitatis contemptûs mundi omniumque virtutis, quod tibi in Monte Caluariæ ostensum est.* Ad id quoque exemplar, in *Monte Caluariæ expositum*, concrucifixus est vir Dei. Commentatore sacri textus huius, sic ad-
Corn. à Lap. in Exod 25. ad f. dente: *Hoc Christi exemplar assidue inspexit S. Franciscus, vt illud in se exprimeret, ideoque non tantum in mente sed & in corpore, sacra eius stigmata diuinitus impressa sunt.*

IV. Be-

IV. Benedictio ritu Catholico, nonnisi sub Cru- *
cis tessera datur, manu sacerdotum formante salutare CONCEP.
signum. vnde Iacob Patriarcha, futuræ Ecclesiæ Chri- n. 49.
sti mysteria adumbrans, *manibus in modum Crucis compositis*, filiis Ioseph, contulit benedictionem. *Extendens manum dextram, posuit super caput Ephraim, minoris* Gen. 48.
Fratris, sinistram autem super caput Manasse. & quidem 14.
hac de causa, quòd Ioseph, Manassen filium suum natu maiorem, ad dextram posuit Iacob, Minorem verò Ephraim ad sinistram, & magis vellet Iacob, Minorem natu benedicere. Franciscus vnice diligens signum Crucis, à *Iacob Noui Testamenti*, Patre duodecim Apostolorum, Saluatore Mundi, (quem ille prior præfigurauit) non aliter nisi *formâ Crucis*, per totum protracta corpus, benedictus est, per communicationem
vulnerum Crucifixi Domini. Sed & ipse pridie ante- Mar. Vlis.
quam moreretur, conuocatis ad se Fratribus denuo sip. c. 30.
benedixit eis, & collocato Fratre Bernardo, vitæ suæ spiritualis primogenito filio, ad læuam; & Fratre Ægydio ad dextram lectuli partem, cancellatis manibus, transpositis figurâ Crucis, ita vt dextra super caput Bernardi, læua in Ægydio esset, *more Iacob*, affectuosè benedixit.

V. Seraphicus vir, vniuersali signo benedictio- *
num Christianarum, scilicet *signa Crucifixi Iesu* possi- CONCEP.
dendo: quibus Moyses benedictionibus locupletauit n. 50.
Nephtali, præuentus & honoratus est. *Nephtali abundantiâ perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini,* Deut. 33.
mare & meridiem possidebit. vt enim Nephtali signifi- 8.
cat: *Comparauit me Deus, & Comparata sum.* iuxta textum Chaldaicum. vnde Rachel edito in lucem infante dixit: *Comparauit me Deus cum Sorore mea, & inualui, vocauitque eum Nephtali.* Ita Franciscus, impressis Gen. 30. 8

 impress-

impressis vulneribus Christi, *Christo vulnerato comparatus est.* Porro in benedictione dictum : *Abundantia perfruetur*, cum Hæbrei legant: *satur erit voluntatis* : in Dilectione Dei Seraphica, quæ in voluntate consistit, (vnde & Amor Diuinus, Spiritus Sanctus, a voluntate æterni Patris & Filii spiratur,) completur superabundanter. *Mare* autem benedictione, subiectū Nephtali, atque splendor Meridiei ; signatur mari rubro Passionis Domini, communicatæ a Christo, *clarissimo Sole*, illuminante tunc Aluernæ montem splen-
Mal. 4. 2. doribus, iuxta: *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* in pennis Crucis.

CAPVT XI.

De II. Scibili Hierarchico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Nomen, Descriptionem, Diuisionem, Obiectum, considerataque Doctrinæ de Ecclesia, declarans.*

I. INter Scibilia Sacra, datur *Ecclesiasticum.* quod alii Hierarchicum appellant. idest de *genere vitæ*, quoad statum, Ordinem, & Priuilegia, spiritualium personarum. Et vocula, pro Congregatione Angelorum sumitur, sed additâ particulâ *Cælestis.* ad distinctionem statûs *Reipublicæ Ecclesiasticæ*, quæ in terris.

Ethym. L. 1. II. Est autem Ecclesia secundum Isidorum : *Congregatio Fidelium Christi.* aut *Est res totius populi fidelis, cuius caput Christus est.* Rempublicam Ecclesiasticam, *denominatiuè* describendo.

III. Nuncupant quidam : Ecclesiam traxisse originem,

ginem, à tertio Mundi homine Abel. quòd illum præ cæteris, inprimis, *iuſtum* Chriſtus appellauerit: *A ſanguine iuſti Abel.* Apoſtoluſque, in Sacrificiis eius, fidem affulſiſſe dixerit. vnde & S. Auguſtinus: *Ciuitas Dei initium habuit ab Abel, ſicut mala Ciuitas, à Cain.* Sed cum Abel, annis quinque millibus ducentiſque, ante Chriſtum extiterit, vt Scripturæ Chronicon tradit. & Chriſtus caput ſit Eccleſiæ. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam,* non eſt intelligendum, quòd *immediate* proceſſerit, ſed in tantùm, quatenus Abel, vitâ & Morte ſuâ innocua, præfigurauit venturum Chriſtum. *qui venit dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea.* Matt. 2. 35 Hebr. 11. Sup. Ps. 142. Eph. 1. 22. Eph. 5. 2

IV. Caput itaque Eccleſiæ Catholicæ, Chriſtus eſt. eius primus in terra vicarius, Petrus Apoſtolus fuit, vt clare narrat ſcriptura. Petro ſucceſſit *Clemens,* qui ſe indignum Pontificatu arbitratus, humiliter reſignauit. in eius locum poſtea, Linus ſuffectus eſt, qui *Anacletus,* ſecundùm Euſebium dicitur. cui canonicâ electione, reliqui ſucceſſerunt legitimi Petri ſucceſſores. Porro *electionem ſummi Pontificis ab hominibus fiendam,* Paulus teſtatur: *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, in his quæ ſunt ad Deum.* quem Sanctorum Patrum, ſententiæ ſubſequutæ ſunt. Et ſicut Aaron, *ſigno ſenſibili* virgæ trondeſcentis, electus in ſummum ſacerdotem; atque Petrus, Chriſti ſenſibili voce electus: ita nunc vſque, ſenſibiliter ab hominibus, *prouidentiâ Diuinâ* dirigente, *quòd ſpiritui Sancto* & Electoribus videtur, inſtituuntur. Matt. 16. it. 18. Ioã. 20. 21 Hebr. 5. Lib. 8. quæſt. 1. c. Ap. & 79. diſt. c. Elect.

V. Corpus vnum eſt Eccleſiæ, prout *vnus Deus, vnum Baptiſma,* membra tamen, & Officiorum Eccleſiaſticorum munia, diuerſa. *Cardinales,* coadiutores ſunt ſummi Pontificis. prout Aaron, in primæuo ortu

Sacerdotii, collaterales habebat Sacerdotes, Leuitici Ordinis. *Eleazarum*, *Ithamar*, & Filios. Petrus Verò ab initio, Linum, Cletum, Clementem, quibus seipsum & Ecclesiam credebat in Christo. Dignitas autem *Episcoporum*, quadripartita est: sunt enim Patriarchæ, Metropolitani, Archiepiscopi & Episcopi. & quidem Patriarchæ 4. *Constantinopolitanus*, *Alexandrinus*, *Hierosolymitanus*, & *Antiochenus*. loco eorum qui *Protoflamines*, apud Gentiles dicebantur. *Sacrorum* verò in Ecclesia *Ordinum*, septenarius gradus est. scilicet: gradûs *Præsbiteratus*, Diaconatus, Subdiaconatus. Acolytatus, Lectoratus, *Exorcistatus*, & *Ostiaratus*. Prima vero *Tonsura* & *Cantoratus*, non adnumerantur propriis ordinibus. Cardinalitia quoque dignitas, in linea Ordinum non ponitur, vt tamen includit munus Episcopale & Sacerdotii, est gradus præeminentior, aliis statibus spiritualibus.

INVENTIO. Conceptibus V. *Materialis, Ecclesiæ formam, Mysteria Originis Ecclesiæ, Laudemque Sacerdotii magni: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP. Num: 51. Ps. 92. 5. I. DOmus Domini Materialis, in terra repræsentantis Vnicam Christi Sponsam Ecclesiam, mysteria in stigmatibus elucescere, à multis rationibus constat. vt quasi instar Templi Dei, cuius *Domum decet sanctitudo*, efformata sint. Prout enim Gens Catholica, *Crucem collocat & colit in templis*: ita Crux vulnerum Iesu, in corpore Francisci, *quasi in Basilica* collocaretur, & exposita censeretur. Quemadmodum autem

autem ponuntur *Fundamenta Ecclesiarum*, in montibus vel in aliquo celsiori loco, *Fundamenta eius in Montibus Sanctis*, idque *effosis ruderibus*. Sic in *Monte Aluernæ*, effosis vulnerum *profundis hiatibus*, posita fundamenta. Templorum autem *fenestras*, vt Daniel: *fenestris apertis contra Ierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo.* Item *Ostia Templi*, prout *duo ostia erant in templo, & in Sanctuario.* Francisci manus transfixæ, instar *fenestrarum* apertæ, exprimunt. Et vulnera pedum, *ostia* denotant: ad *exitum* sanguinis, & *transitum* Claui, non occlusa. Iuxta: *Membra vestra, templum sunt Spiritus Sancti* Specimen quoque altaris, Templi in medio, cuius in Foramine, S. Martyrum reliquiæ, reponi solent, *vidi subtus altare animas interfectorum, propter Verbum Dei*: in medio stigmatisati lateris vulnere, cernere licet. Etenim iuxta sententiam Diui Gregorii: *Altare, à latere deriuatur, vt in ipso tanquam in altari, cor Deo offeratur.* Aggratulari Sancto Patri, *Ecclesiæ Catholicæ* mysteria exprimenti, necesse est: *Templum enim Dei Sanctum est, quod estis vos.*

Ps. 86. 1. Dan. 6. 10. Ezech. 41. 24. 1. Cor. 6. 19. Apoc. 6. 9. Homil. 16 in Ezech. 1. Cor. 3. 16.

II. Sagacioris intellectûs, ac deuotioris affectûs quisque animaduertisse potuit ac debuit: Saluatorem nostrum, nullum vulnus aliud, crebrius, Dilectis suis exhibuisse & monstrasse: quam *Lateris*. quia vti Cordis, ita & amoris signum erat. simulque mysterii Ecclesiæ, & nostræ generationis fons & origo. ait D. Augustinus: *ascendat sponsus Thalami sui lectum, dormiat moriendo, aperiatur latus eius, & Ecclesia prodeat virgo. vt quemadmodum Eua, facta est ex latere Adam dormientis, ita Ecclesia formetur ex Latere Christi, in Cruce pendentis.* Pater Minorum, Passionis Christi effigiem, singularitate Priuilegii præferens, manifestâ sat claritate, illius do-

* CONCEP n. 52 De symb. ad c. 6.

documenta repræſentauit. *Lateris tamen vulnus*, ſingulariſſimo eluceſcebat ſpecimine, inquit Doctor

S. Bon. de Trans: S. Patr. Seraphicus: *Cum igitur in candidiſſima carne, claui nigreſcerent, plagâ lateris, vt vernans roſeus flos rub ret.* Nec alia de cauſa: niſi vt myſterium *Originis Eccleſiæ*, in abſentia Chriſti, lateris patulo vulnere, nouo miraculo, Fidelibus in memoriam reuocaret. Apoſtoli ver-

Col. 1. 24. ba, appoſitè illi conueniunt: *Adimpleo ea quæ deſunt Paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.*

* CONCEP num: 53. III. Numen cæleſte, Sacerdotem magnum, Simonem Oniæ filium, his effert præconiis: *in vita ſua ſuf-*

Eccl. 50. 1 *fulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum, templi enim altitudo, ab ipſo fundata eſt. duplex ædificatio & excelſi parietes Templi. in diebus eius, emanauerunt putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt, ſupra modum.* Quæ præconia, in ſingulis quibuſuis, fortiſſimo Zeloti, & Eccleſiæ fideliſſimo Filio, Franciſco conueniunt. *ſuffulſit & corroborauit Templum.* immò Templa proximam enim ruinis, Eccleſiam S. Damiani, voce Chriſti

Ant. Off. de Cruce alloquente: *Vade Franciſce repara Domum meam, quæ labitur,* tum oblatâ pecunia Præsbitero loci, pro qua ſæcularis adhuc, dura à Patre ſuo ſuſtinuit;

Chron. Ord. T. 11 tum opere manuum ſuarum; *& corroborauit, & labentem ſuſtulit.* item, vetuſtate collapſum *Templum Sancti Petri,* à lapſu vindicauit. atque Eccleſiæ dictæ *Portiuncula,* verticem iniuria Temporum, ad ima tendentem, erexit. concinnè decantantur Laudes viri Dei.

Leproſis fit obſequio, quos antea deſpexit.
Sub typo trium Ordinum, tres nutu Dei præuio, Eccleſias erexit.

* CONCEP num: 54. IV. Sed quid myſterii eſt, *de apertis puteis aquarum,* tempore Oniæ Reſtauratoris Templi Domini? *qui quaſi mare*

mare inundauerunt. forsan *Baptismi & Pœnitentiæ*, Sacramentorum aquis inundantium, vmbra fuere? facilisq; de tali mysterio, illatio. Franciscus nihilominus, & hæc exprimit: *Putei profundi aquarum*, sunt putei vulnerum, vt aquam, sanguinem fundentium; aut *Oculi* eius, aquam lachrymarum, Passo Domino condolentium, fundentes. *Maris autem adimpletiones*. amarum Christo Concrucifixionis, denotant dolorem. vnde & dolentem in Cruce Christum, aut animam pie ipsi condolentem, alloquitur Propheta: *Magna est velut Mare, contritio tua, quis medebitur tibi.* Thren. 2. 13.

V. Videtur Sanctus Rex, in persona Seraphici Patris, loquutus: *Narrabo nomen tuum Fratribus meis, in medio Ecclesiæ, laudabo te.* etenim Nomen, *Iesu Nazareni Regis Iudæorum*, in Cruce scriptum, Concrucifixione sua, in memoriam reduxit: tam Fratribus *Fidelium Ecclesiæ*, quam *Fratribus suæ Religionis*. Hinc quantum Ecclesiæ Catholicæ vtilis foret, ante expostulationem approbationis Regulæ eius, vel huius visionis declarat decisio. *Vidit in somnis Pontifex ipse Romanus, Lateranensem Basilicam, ruinæ fore iam proximam. quam quidam homo pauperculus, modicus & despectus, proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat. cum igitur in famulo Dei, suis comparente conspectibus, sapiens contemplatur Antistes, simplicis animi puritatem, mundi contemptum, paupertatis amorem, animarum zelum, igniturn voluntatis Sanctæ feruorem. vere inquit hic est ille, qui opere ac doctrina Christi, sustentabit Ecclesiam.*

* CONCEP n. 55. Ps. 21.

Offic. Lect. 3. Noct. 2.

CAPVT XII.

De 12. Scibili Catechistico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *No-*

men, Descriptionem, Qualitatem, Modum, Diuisionemque Doctrinæ Cathechisandi, declarans.

I. CAthechiso significat *Instruo in fide*, estque Cathechistica doctrina: Instructiua Dogmatum Fidei, maxime quoad Essentialia *Credendi & Agendi*: Et Rudimentalis: quod versetur circa Tyrocinia, vel baptismo initiandorum, vel recenter baptisatorum. Appellari potest Theologia *Methodica, Practica*, instruit enim fidei symbola, non vt intellectu speculatiuo
Iacob. 2. 20. concipiantur: sed practico, cum *Fides sine operibus mortua est.*

Præfat. f. 10. II. De modo docendi, Cathechismus, S. Concilii Tridentini, iussu editus, disserit: *cum autem in omni re tradenda, plurimum intersit. vtrum hoc an illo modo, aliquid doceas, tum vero hoc in populi Christiani institutione, maximi momenti existimandum est. Obseruanda enim est audientium ætas, ingenium, mores, condicio, vt qui docendi munus exercet, omnibus omnia efficiatur. vt omnes Christo lucrifaciat, & seipsum fidelem Ministrum, & dispensatorem probare possit:*

III. Cum multa sint, quibus *perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*: totius huius salutaris Doctrinæ ratio, in 4. capita diuidi potest: *Apostolorum Symbolum, Sacramenta, Decalogum, Dominicamque Orationem.*

IV. Omnia, quæ Christianæ Fidei disciplinâ tenenda sunt; siue ad Dei cognitionem; siue ad Mundi creationem; eius gubernationem: siue ad Generis humani spectent Redemptionem; siue ad bonorum præmia & malorum pænas pertineant; *symboli* doctrina con-

nâ continentur. Quæ autem ſigna ſunt & tanquam inſtrumenta, ad Diuinam gratiam conſequendam: hæc ſeptem *Sacramentorum Doctrina*, complectitur. iam verò quæ ad Leges referuntur, quorum finis eſt Charitas, *Decalogo* deſcripta ſunt. Quicquid denique ab hominibus optari, ſperari, ac ſalutariter peti poſſit: id *Dominica Oratione*, comprehenditur.

V. Reccomendat hanc Doctrinam Deus ipſe: *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitiis ſuis, ſed in hoc glorietur, qui gloriatur ſcire & noſſe me.* Ier. 9. 23.

INVENTIO. Conceptibus V. *Baptiſmi myſteria, Legis veteris Circumciſionis arcana, Sacramentique Pœnitentiæ conſiderata: in Concrucifixione Chriſto repræſentans.*

I. IAnua Sacramentorum Baptiſma, inter alia arcana, reconditoria Mortis Domini, arca eſt. *Baptiſmo autem debeo baptiſari, & quomodo coarctor, vſq; dum perficiatur*, de Morte ſua, narrante Saluatore. Sed & Apoſtolus, baptiſatos: in Sanguine Domini ſubmerſos aſſeruit: *In morte ipſius baptiſati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo, per baptiſmum in mortem.* Franciſcus vt paruulus Apoſtolicus fieret: ſtatum infantiæ Euangelicæ, factus Minorita, elegit. *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Itaque in altera Morali infantia, diuinum ſecretum Baptiſmatis, nempe *Mors & Paſſio Chriſti*, in ipſo reſeratum exaratumque. *Vulnerum Ieſu communicatione, & conſepulturâ, cum Crucifixo Redemptore.* Nec ſine myſterio

[Margin: * CONCEP n. 56. — Luc. 12. 5. — Rom. 6. 3 — Matt. 1. 3.]

sterio factum, quòd à Lauacro Baptismatis, domum reportatum, Angelus in specie perigrini apparens, post suaues amplexus osculaque, dextro dorso eius Crucis signum impressit & reliquit. Athletam futurum Christi instituens.

Wad. in app. annal, §.17.

II. Theologorum consensu, Legis antiquæ Circumcisionem, ad delendum peccatum Originale, institutam fuisse, sed *in meritis Passionis Messiæ futuri*, non verò virtute suæ institutionis. Proindeque instar Baptismatis, vel figuræ adumbrantis illud, extitisse. Viri Dei in signis vulnerum, huius mysterium non obscurum. etenim circumcisione Mortis Christi, caro eius circumquaque, stigmatisatis pedibus, manibus, latere, *incisa est*. Apostolo, Passionem Domini nostri, supplere Circumcisionem, affirmante: *In quo & circumcisi estis, circumcisione non manu facta, in expoliatione carnis, sed circumcisione Christi, consepulti ei in Baptismo.*

* CONCEP. n. 57.

Col. 2. 11.

III. Abrahæ, Circumcisionis, primi Executoris: Deus *in carne stare fecit testamentum & in tentatione inuentus est fidelis, ideo iurerando dedit illi gloriam in gente sua, crescere eum quasi terræ cumulum.* Concrucifixi quoque Christo, in corpore, Altissimus stare fecit *Testamentum*: vulnera nimirum, mortui Filii sui vnigeniti, qui Passionem suam, Testamentum appellauit. *Hic est enim sanguis meus, noui Testamenti, qui pro multis effundetur.* Nec sine *gloria* fecit eum, in *Gente sua*, scilicet Catholicorum, vt dicere valeat: *Mihi autem absit, gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Et fecit Deus eum, crescere *quasi terræ cumulum*. Multiplicatis per vniuersum Orbem, Ordinis eius alumnis, præ *vestimento terrei coloris*, cum Abraham opportunè dicere valentibus: *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis.*

* CONCEP. n. 58.

Gē. 17. 23

Eccl. 44. 21.

Matt. 26. 28.

Gal. 6. 14.

Gē. 18. 27

IV. Me-

IV. Mediator Dei & Hominum Christus, pro peccatoribus, omnibus membris suis, satisfecit infinitæ iustitiæ. ait D. Ambrosius: *Christus ore suo, fellè & aceto potato: os nostrum est, per quod Patri loquimur, atq; iram eius placamus. corde suo, quod lanceâ transfixum est: cor nostrum est, per quod Patrem amamus. oculi eius sanguineis lachrymis fluentes, oculi nostri sunt: per quos Patrem videmus. manus eius clauis confossæ, manus nostræ sunt: per quas nos Patri offerimus. pedes eius vulnerati, pedes nostri sunt, per quos Filij prodigi, redimus ad Patrem.* Quod tota, per Sacramentum remissio peccati: fluat è Passionis Domini fontibus. Cùm igitur Omnipotens suscitauit Seruum suum Franciscum, ad prædicandum pœnitentiam (nomine Joannis, in Baptismo insignitum) tanquam Joannem Baptistam inclamantem: *Pænitentiam agite.* (vnde Ordo, primitus, *Prædicatorum Pænitentiæ*, nomen habuit) vt efficacius exhortaretur ad pænitentiam, præferre ei vulnera JESU, in corpore suo, concessum est. Quatenus secundùm Diui Ambrosii Sententiam, *Vulnere manuum suarum*, prædicaret vulnera manuum JESU: quibus se Peccatores Patri cælesti offerrent; *Vulnere Lateris*, commemoraret vulnus lateris JESU: cuius corde Deum Patrem, homines amare possent; *vulnere item pedum*, intimaret peccatoribus, Vulnera pedum JESU: quibus aberrantes Prodigi filii, ad Patrem omnium redirent.

* CONCEP. n. 59. 1. Tim. 2. 5.

Lib. 1. de Isaac & anima, c. 8.

Wad. App. An. T. b.

V. Pleno instinctu mysterii, INNOCENTIVM III. Summum Pontificem, Sacramenti Pænitentiæ partes: *Contritionem, Confessionem & Satisfactionem*, vulneribus Crucifixi Domini assimilasse: *prima* inquit *pungit cor, propter variam cogitationem; secunda pungit os, propter vanam locutionem; tertia pungit manus & pedes, propter iniquam operationem. Prima pungit per dolorem, secunda per pudorem, tertia per laborem.* Quibus Partibus Pæniten-

* CONCEP. n. 60.

Lib. de Sp. Cor. Chr.

tiæ Sacramenti, addita *Absolutio*, (quæ nonnisi cum signo Crucis datur) etiam Virtutis Crucis Christi, symbolum & memoria dici potest. Quemadmodum autem D. Chrysologus, contemplatus pænitentiam Joannis in deserto, dixit: *Ioannes totus pænitentia formatus incedit*, Similiter Beatus Pater Christo Concrucifixus, omnibus vulneribus prædicat pænitentiam, partesq; pænitentiæ annuntiat: *Confessionem*, patulo ore vulnerum; *Contriti compunctionem Cordis*, vulnere & punctura Lateris; *Satisfactionem*, vulnere manuum & pedum. vt certè eximius effectus sit, Pænitentiæ Prædicator efficacissimus, & zelosissimus, *totus formatus pænitentiâ*.

Serm: 19. de Pænit:

CAPVT XIII.

De 13. Scibili Panærethico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Interpretationem, Descriptionem, Diuisionem, Cautelam, & Dogmata Prædicatorum, declarans.*

In Cit. L. Salom.

I. PAnærethos, Ecclesiasten significat. & huius nominis, meminit S. Augustinus. græce *Ecclesiastes*, latine *Concionator* dicitur. vnde JESV Filii Sirach, Opus, Ecclesiasticum appellamus. Aliis Ars Concionandi: *Oratoriam Verbi Dei*, aut *Rhetoricam cælestem* significat.

II. Describi potest: est peritia, recollectâ examinatâq; dictione, intimandi res sacras, siue ad cognoscendum siue ad exequendum illas. allegatione Verbi Dei, cum Sacris Patrum testimoniis, ac rationibus sufficientibus:

III. Triplex dicendi Genus Oratoribus: *Demonstratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale.* primum quod laudes respi-

respicit, concernit munus Prædicatorum, Christi & Sanctorum Festiuitatibus exercendum. sed *temperanter.* Hyperboleq; vitanda, vt laus solidior sinceriorq; sit. vti grauitatem functionis Apostolicæ decet. secundum Deliberatiuum, seu *Persuasionis*, vsitatissimum est Concionatoribus & magis necessarium. *ad persuasionem boni & dehortationem mali.* vltimum Judiciale, ad Actionem & Defensionem spectans & hic non quadrat.

IV. Bonis Prædicatoribus non est laudi, *belissimos conceptus & discursus proferre, pulpita tundere, brachia iactare, ac pæne triumphare.* ignorante interim Auditore, quæ dixerit, aut dixisse voluerit. Item, nihili ducendum, vniuersi laboris præmium tale: *Fuit pulchra concio.* nam vulgi & oris, solum vocula. sed si curæ est Diuinus honor, dicat *vtilia & necessaria.* quam nunquam audita, audituq; grata.

V. Qui bonus & acceptus velit audiri Concionator, hæc multa paucis complexa seruet: *Exordia sint breuia*, & è dicendis ducta. *Themaq;* Euangelii proprii Festi sumatur, non quod aliis seruire & adaptari possit. Euang. *Secundo*, Materia petatur ex sola Sacra pagina, & S. Patrum Scriptis, tanquam vtilior & selectior. Et potest quidem eruditione profanæ Literaturæ aspergi, sed non perfundi, aut fabellis maculari. *Tertio*, omnis Concio sedulò scribenda, & proferenda non ad verbum vt scripta. disponendaq; prius quam narranda. *hora* autem perorando non excedatur. *Quarto*, vitia acriter reprehendenda, sed nemo nominatim perstringatur. & quæ dicit Concionator, faciat. alioquin nemo credet dicenti; nec benè vnquam perorabit, *si gratiam Spiritus Sancti non exorabit.*

INVENTIO. Conceptibus V. *Cathedram*

Concionum, mysterium Verbi Dei, Affectu Prædicationis, Virtutemq́: in Concrucifixione Christo, repræsentans.

* CONCEP n. 61.

I. APostolico zelo concionandi modum, administrãdiq́; in spiritu Verbum Dei, multiplici vitiante abusu. vt per profanas & Scholasticas speciosæ eruditionis doctrinas, obrueretur *Verbum Crucis*; & non Christum sed seipsos, mundani spiritus Tullii & Quinctiliani, prædicarent. Idcircò ne euacuaretur *Verbum Crucis*, quod *pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salui fiunt, idest nobis, Dei virtus est*: Suscitauit DEVS *Prædicatorem nouæ cælestis Rhetorices*, Franciscum verba Crucis loquentem: in eiusq́; corpore, quasi *Cathedram Resonantiæ*, eiusdem Verbi Crucis, repositis nimirum Vulneribus Crucifixi Domini, efformauit. Proferre accomodate potest: *Prædicamus Christum Crucifixum*. Sancta Ecclesia sic decantante laudes prædicationis eius:

I. C. I. 17.

I. Cor. 2.

Ant: ad L. 2. & 4.

Hic prædicando circuit, & quem non homo docuit
Fit doctis in stuporem.
Virtutum verba loquitur, nouumq́; noua sequitur
Militia Ductorem.

Atq́; iterum: *Doctus doctrice gratiâ, doctus experientiâ*
Quæ sunt perfectionis.
Hæc Fratres docet omnia, tam factis quàm frequentiâ
Melliflui sermonis.

* CONCEP n. 62.

II. Sermo Dei cuius naturæ esset & qualitatis, explicauit Apostolus: *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsq́; ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoq́; ac medullarum.* Viro Dei impressum *Verbum Crucis*, nonne penetrabilius *acuti more gladij?* nonne *diuidens* corporis compagem, ac medullarum? Rectè Cardinali Ostiensi, cum præsen-

Heb. 4. 12

præsente ipso, coram Fratribus capitulariter congregatis, verba faceret præbente testimonium: *Verè Deus est in isto pauperculo, & per os eius, loquitur potentiæ suæ magnalia, qui eum audit, non hominem sed Deum audit, & qui spernit eum Christum spernit, de ore enim ipsius exiit verbum Dei, tanquam gladius acutus, ad medullam cordis pertingens.*

III. Verbum æternum, nouum Genus Prædicationis exhibuit, nempe *Corde loqui*, & sanguine pectorare: * CONCEP n. 63. Iug. Elog 76.

Elatus in Cathedram, veri Magister Amoris
Idiomate amantum, posthac loquuturus
Ore clauso, cor aperit.

Prædicator Christo Concrucifixus, in aperto plagâ latere, *corde & corde* loquitur: quæ amoris Dei sunt, quæ, sunt dilectionis proximi. affectu meliori, quam illorum qui *in corde loquuti sunt* vanitates. Quemadmodumq; sanguini Abel, *vox cælum tangens*, tribuitur. ita sanguini stigmatum, vocem quis denegabit? *Mirabilia Redemptionis signa*, deprædicantem. Et si *sanguine prædicare*, intelligitur patientia? iuxta, *& bene patientes erunt, vt annuntient.* Patientissimus Vir id compleuit: *Prædica Verbum, insta oportune, importune, argue obsecra increpa, in omni patientia.* Ps. 11. 3. Gen. 4. 10 Ps. 91. 16. 2. Tim. 4. 2.

IV. Prædicatores Euangelii, Iacobum & Ioannem, filios Zæbedei, Saluator, vocifragum appellauit tonitru. *Imposuit eis nomina Bonaergos, quod est filii tonitrui.* Apostolicus Obseruator Euangelii, illis non absimilis. Calicem enim, quem an biberent, interrogati a Christo? promiserunt. *Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptisor baptisari? possumus.* hauseruntque, dum *vnus Hierosolymis alter sub Diocletiano*, mortis gustarunt amaritudinem: Seraphicus Pater bibit * CONCEP num: 64. Mar. 3. 17 Mar. 10 38.

bit Calicem, nimirum Domini in Horto Getsemani oblatum, quando Passionis vulnerumque impresssorum particeps effectus. *Tonitru etiam prædicationis*, an non fuerit? dum sonans verbo Dei, compungensque Corda hominum, & (tonitrua sequentes) excitauit ignes, Amoris Dei; & (concomitantem tonitrua) pluuiam, lachrymarum pœnitentium eduxit, *Terrens & Conterens* dura corda peccatorum.

* CONCEP num. 65. Serm. 2. in Euang. Luc. 8. 21 V. *Efficacissima est auditæ doctrinæ executio, tradita per verbum Dei.* ait S. Bernardus. Eius non postpositionis, in symbolum amoris & in præmium laboris, est illa Domini allocutio: *Fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.* Huius Diuini verbi, non obscura obseruatio, in vita Francisci enituit, & maxime in Concrucifixione: cùm verbum mysterii Crucis, in vulneribus, quasi in cistulis repositum, & *seruatum ac obseruatum.* Idcircoque *sanguine vulnerum*, Iesu vulneribus similium, *Frater* meruit appellari Do-

Eccl. 33. 31. mini sui, iuxta: *si tibi est est Seruus fidelis quasi anima tua sit tibi, quasi Fratrem, sic eum tracta, quoniam in sanguine animæ, comparasti eum.*

CAPVT XIV.

De 14, Scibili Thaumaturgico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Explicationem, Descriptionem, Diuisionem, causasq; Thaumaturgiæ, declarans.*

I. THaumaturgia: Miraculorum Operationem: significat, aut dignoscentiam *Mirabilium supernaturalium.*

II. Est notitia intelligendi, *præter, & supra naturæ vi-*

ræ vires, producti effectus a Deo, vel homine per Deum, ad declarandam Omnipotentiam, ad Fidei veræ stabilitatem, vel fidelium consolationem. Porro talium cognitionem, necesse fieri quoad principium supernaturale; vim veritatis inquisitæ; & processum facti seu Historiæ.

III. Mirificum opus, diuiditur in *Miraculum*: id est opus arduum & insolitum, supra spem & facultatem admirantis, sola virtute increata producibile. vt *Actus Resuscitationis*, quo demonstratur, Deum ipsum esse Authorem *mortificandi & viuificandi*. vt cæcum à natiuitate illuminare. &c. diciturque *Miraculum simpliciter*. Item in *Mirabile*, idest aliquid extraordinariè, indebito tempore, loco, modo, *virtute naturæ vel Artis* factum. in admirationemque sui trahens, vt ciere pluuias & ventos, ope dæmonis; sanare morbos, ope Secretioris Galeni; prædicere futura ex Morbis & lineamentis physiognomiæ &c. & vocatur *Miraculum secundùm quid*, Sap. 16.13

IV. Causa prima & principalis Miraculi : *Benedictus Dominus Israel, qui facit mirabilia solus.* idque constitutiue & imperatiuè. Sanctorum autem Thaumaturgia, seu à Causis Secundis, fit impetratiuè & communicatiuè, ex alto data virtute. Magi autem *propriè* sumpta miracula, non possunt facere ope dæmonis, nec operari *absolutè mira*. licet possint *secundùm Quid*, Dæmone adiuuante, Deo permittente. Et vel maxime *delusione* phanatica, circulatoria, deceptione, astu, mendacio, sensus humani deludendo species. Ps. 71.18.

V. Nec postremus finis *veri miraculi*. Nominis interpretatione, compendiose narrante : dicitur enim à *Miro Cultu*. quòd ad cultum Omnipotentis, qui solus illud facere potest, homines incitat, quodque efficax

ficax medium sit, ad Fidei authoritatem adstruendam; vel ab *Admiratione*, admirantur enim Miracula, & Factor eorum mirabilis censetur.

INVENTIO Conceptibus V. *Miraculi raritatem, Miraculum resuscitati Lazari, Miraculumque Miraculorum: in Concrucifixione Christo, repraesentans.*

* CONCEP. n. 66. Eccl. 18. 4. Ps. 4. 4. 1. Cor. 12. 21.

I. RENouans mirabilia sua Omnipotens, sicut olim virtute dexteræ eius, *amplificatus est Elias in mirabilibus suis*: ita Franciscum stigmatibus Christi decoratum, nouum & insolitum Vniuerso Orbi, exhibuit miraculum. *Mirificauit Dominus sanctum suum, mirificauit omnes voluntates eius.* dicere valet: *signa Apostolatus mei*, vitæ Apostolicæ, *facta sunt super vos, in omni patientia, in signis & prodigiis & virtutibus.* Attestantibus id Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, aliisque dignissimis Prælatis Ecclesiæ. Alexandro IV. summo Pontifice, Bulla huius Exordii: *Grande & singulare miraculum, quo B. Franciscum, omnium Sanctorum splendor & gloria, Dominus Iesus Christus, decorauit.* Roberto Bellarmino, Cardinali: *Hoc signum omnium maximum & singulare, & quasi prodigium omnium prodigiorum, sacra illa stigmata fuerunt.* Roberto à Licio Episcopo Aquinatensi: *stigmata Sancti Francisci fuerunt miraculosa, ratione vitæ, non enim potuisset per naturam viuere duobus annis, plagatus in quinq; locis spasmosis, ex quibus continuo fluebat Sanguis.*

Firm. 3. Ord Tr. 1. p. 2. Conc: Louan Dom. Sexag. Serm. 2. de stigm.

CONCEP. num. 67. Ioan. 11. 44.

II. Miraculorum Saluatoris Mundi, præcipuum fuit illud, dum Lazarus vita recedente morti, & morte iterum cedente vitæ, rediuiuus surrexit; & post se-

minationem in fouea sepulchri, assurgens: vegetatus, animatus, apparuit. Miraculi huiusmodi, hic non obscura repræsentatio, regnantis vitæ; quæ prius subacta morti erat; mira harmonia: vt Franciscus sit viuens & Mortuus, Lazarus alter mortuus prodigiosè viuens. Quemadmodumque ille, fuit inhabitator *Castelli à Bethania*; fuit *languens*; & *mortuus*. Vir Seraphicus similiter, erat *inhabitator Castelli*, scilicet Cellæ Religiosæ, *Castellum contra impetus Vanitatum Mundi*, a S. Basilio dictæ. Erat *languens*, amore Charitatis, cum S. Sponsa dicente: *Amore langueo.* erat *mortuus*, nempe mundo, *vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus*, ac commortuus Christo Crucifixo. L. de soli-tud. vitæ. Cant. 2. 5. 1. Petr. 2. 24

Ut tibi Mors felix contigat, viuere disce.
Vt felix possis viuere: disce mori.

III. Consideranda in Resuscitatione Lazari esse ista: quòd fuerit Frater Magdalenæ, *pænitentiæ operibus* laudabilis; quòd *Amicus* Christi fuerit; quodque mortem eius, *somnum* Dominus appellauerit. *Lazarus amicus noster dormit.* Seraphicus Pater, nonne Frater Magdalenæ *pænitentis*? idest Ordinis Minorum, ab initio, titulo *Pænitentiæ Prædicatorum*, per Innocentium III. decorati. nonne *Amicus Christi*, imitatione Vitæ Apostolorum? quibus dixit Dominus: *Vobis autem Amicis meis*. Mors in Christo, nonne dormitio dicenda, siquidem in *lectulo Crucis*, commortuus Iesu, requieuit. *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* * CONCEP. num. 68. Ioã. 11. 44. Wad. T. 1. App. Annal. Luc. 12. 4. Iob. 29. 18.

IV. Christus mortuum resuscitans Lazarum, *conturbatus est spiritu & illachrymauit.* ac de seipso protulit: *Ego sum resurrectio & vita.* Hic similia, *Iesus enim Crucifixus*, in specie Seraph apparuit; qui in Horto Passionis, turbatus est. in Cruce *perfusus lachrymis*, vt testatur Apostolus. Item, est *Resurrectio & vita*, * CONCEP. num. 69. Matt. 26. Hebr. 5. 7.

nam Crucifixus & viuens pendendo in Cruce, stigmata imprimens apparuit. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Vir Dei, Lazari resuscitati complens mysteria, proferre potest: *Quasi morientes & ecce viuimus.* illamque quæstionem soluere: *Putasne mortuus homo rursus viuet.* Sed & mirifica Meritorum eius, in resuscitatione mortui, operatio, stupendo miraculo, *viginti quinque* numero, dum adhuc viueret, resuscitatos mortuos, superans & excedens. *In Ciuitate Rodrigo Castilliæ regni, Episcopus quidam, vitam in mortem commutauit, cuius dum sepultura celebrabatur in Ecclesia more solito, sub tempus officii defunctorum, surrexit de loculo intonans: Damnatus fui, sed Diui Francisci meritis, ad pænitentiam resuscitatus sum.* Et beneficii non immemor, ex tunc pro suggestu & deinceps, promulgator fuit miraculi, laudans Deum mirabilem in sanctis suis.

Rom. 6. 9. 2. Cor. 6. 9. Iob. 14. 14. Epilog. Arbor. Ord. 1. Chrō. Minor. p. 1. L. 8. c. 21.

V. Coronatus Propheta, quod admirationi omnium, subiecit axioma, *Tanquam prodigium factus multis:* hoc conuenire Viro Dei cernimus. etenim præter plenam semper & vbique, miraculis & prodigiis vitam eius: stigmata, *miraculum sunt miraculorum*, & Maximum, quasi *Genus* aliquod, duodecim miraculorum. I. *quia non solùm perforata erant membra manuum & pedum, sed & conclauata, clauis in eis apparentibus.* II. *quòd materia clauorum erat nigra, cum tamen carni & neruis, ex quibus facti erant, similis deberet esse.* III. *quòd capita clauorum apparebant repercussa, cum tamen nec martellus, nec incus affuerint.* IV. *quòd licet claui essent carnei vel neruei, erant fortes duri & solidi.* V. *quòd claui non erant breues, capita tantum habentes sed longi ad partem aliam resultantes.* VI. *quòd claui ex altera parte fuerunt recuruati, vt digitus, intra recuruationem, im-*

* CONCEP num. 70. Pis. L. 3. Conf. 31. Didac. de Gea in Thes. Hieros. L. 1. c. 6.

mitti valeret. VII. *quòd cum ex vtraque parte manuum & pedum, resultarent & excederent claui, non tamen pedes & manus erant deformatæ vel contractæ.* VIII. *quòd claui erant circumquaque, à carne alia separati, vt petiæ circumquaque ponerentur, propter Sanguinis restrictionem.* IX. *quòd claui mouebantur, & tamen nec à manibus nec à pedibus remoueri potuerunt: cum id facere B. Clara, & alii attentassent.* X. *quia in loco ossoso & neruoso, stigmata sunt impressa, idque in certa forma, quod vires naturæ difficultat & superat.* XI. *quòd plagarum cicatrices per duos annos & vltra, non corruptæ, non putrefactæ.* XII. *quòd lateris magno vulnere, maximum ingerente dolorem, & sanguinem iugiter perfundente, tamdiu à susceptione stigmatum, viuere poterat.* Ob quæ & alia Concrucifixionis Miracula, Franciscus vere, *tanquam prodigium factus multis.* Ps. 70. 7.

CAPVT XV.

De 15. Scibili Martyrologico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Nomen, Descriptionem, Diuisionem, & Efficaciam Martyrii, declarans.*

I. MArtyrologia, est notitia Actuum, pro Deo & fide, heroice mortem Subeuntium, aut duraquæque sufferentium, & a *prælectione* talium actuum publica, in Ecclesia nomen sumit.

II. Martyrum Fortitudo, describi sic potest: *est firmitas & constantia animi, in aggrediendis & sustinendis atrocissimis quibusque tormentis, atque ipsa morte ferenda, propter Amorem Dei, fidei, virtutis, sine repugnantia voluntatis.* Differt à forti militari animo, in aggredi-

endo bello, & ſuſtinenda morte. *Audacia* enim potius eſt; hic *Fortitudo animi*. Miles, nolens mortem, mala eius ſtrenue aggreditur. Martyr *ſine repugnantia voluntatis*, ex actuque extraordinariæ Charitatis in Deum, ſubit mortem.

III. Diuiditur Martyrium, in *Actuale*, quando in odium Chriſti vel Religionis, veritatis aut virtutis, trucidatur aliquis, vel excruciatur. & *Affectuale*, ſeu in voto:

Martyrium ſine cede placet, paſſura voluntas
Sufficit: & ſumma eſt, teſtatio voti.

IV. Efficacia aſſimilatur virtuti Baptiſmatis, quod dum quis aſſequi non poſſit, cum voto eius, ſupplet Martyrium. Baptiſmuſque ſanguinis dicitur. facile ſanguinis voce, perueniente ad aures Dei, amoremq; recommendante.

V. Diocletiani perſecutione, Sacrâ Scriptura, & Eccleſiæ monumentis combuſtis, Euſebius Epiſcopus Cæſarienſis, à Conſtantino Auguſto poſtulauit, vt quicquid ſit geſtum erga Sanctos Dei per totum Orbem, Iudices iudicibus ſuccedentes, ſolicitâ perſcrutatione, monumenta publica diſcutiendo perquirerent. & qui Martyrum, à quo Iudice, in qua Prouincia vel ciuitate, qua die, quaue perſeuerantia, paſſionis ſuæ obtinuerunt palmam, de ipſis archiuiis ſublata, adnotarent ipſique perferrent. vnde poſt ſeptem Diaconos, à S. Clemente Romano Pontifice, ad perquirenda ſollicite & legitimè geſta Martyrum inſtitutos, primus inſtaurauit memoriam in Oriente, hiſtoriaſque Martyrum conſcripſit. Quæ cum in Eccleſia qualibet legerentur, *Martyrologia* appellata fuere.

S. Hier. Epiſt. ad Chrom.

INVEN-

INVENTIO. Conceptibus V. *Affectu Martyres Legis Antiquæ, Martyrium Crucis, Apostolorum, mysteriaq; : in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. ISaac holocausti Paterni Phænix, oblatus in victimam Deo, & gladio non cadens: quòd affectum moriendi pro Deo, inscius tunc mysterii, non habuerit. an in cathalogo Martyrum ponendus sit? à nonnullis dubium agitatur. Interpretes Recentiores, Martyrem censent, & specimen Martyrii. siquidem mortem magis amplecti voluit, quàm viui Dei voluntati, cognitæ à Patre, resistere. Quodque magis, Iesu Christi primi capitis Martyrum ; *figuram Martyrii in Cruce*, pertulit. Franciscus, *religiosa Obedientiæ victima*, Isaac alter potest dici quem ipse *Pater Credentium*, Christus nimirum ; licet vt Isaac non mactauit, sed tamen æterno Patri suo obtulit, & vulneribus Crucis, sacrificauit. Neque solùm est Isaac, figuram Martyrii Iesu præferens, sed actum signaque realia. *nouus Amoris, nouus Crucis Martyr.* ad praxim deducens affectum Apostoli : *mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum.*

* CONCE: num: 71.

Ph. 1, 21

II. Legis Antiquæ Martyr, censetur & *Ioseph.* qui ob conseruatum castitatis florem, pestiferæ mulieris afflatu, traditus carceri, licet liliatum corpus suum, in rosam martyrii non mutauit ; neque ferrum senserunt viscera eius ; de eo nihilominus sacer textus ait : *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius.* & hac de causa, quia magis affectauit mori quàm inhonestè amari, & cum inhone-

* CONCEP n. 72. Gé, 39. 19.

Ps, 104. 19

sta commorari. Pater Seraphicus, talis Martyrii prærogatiua itidem decoratus. qui, vt Ioseph, carnis *curam* non habuit; vtque euaderet, *vestem sæculi* abiecit; fugaque è Babilone, consuluit sibi. Etenim mortifi-
Rom. 8. 1. catione, emortua eius caro, iuxta: *Fratres debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Vestimenta item abiecit, quando denudatus coram Antistite Assisiensi
Wad: T. 1. Ann: initio. stetit, parentique expetitas, reddidit vestes. atque fugit de ignibus Sodomæ, de Ægypto sæculi memor il-
1. Tim. 6. 11. lius: *Tu autem o homo Dei, hæc fuge, sectare verò iustitiam.* Compedes autem *ferrei* Ioseph, exprimuntur vulneribus, *quasi ferreos in manibus & pedibus clauos*, continentibus. ferrum verò *pertransiens animam eius*, expletur communicatione Passionis Domini, assimilitatæ ferro pertranseunti animam, a Sene Simeone, Ma-
Luc. 2. 35 tri Virgini, de ea dolorem prædicente: *Tuam ipsius animam, pertransibit gladius.*

* CONCEP n: 73. Lanip. Hom, 54. de Pass. Domini. III. Sancta Dei-parens, stans sub Cruce Unigeniti Filii sui morientis, particeps Passionis eius, simulque commoriens appellatur: *Diuisit Christus, vulneris lateris iniuriam cum Matre, vt ipse quidem persecutionem & vulnus exciperet, sed cùm dolorem non sentiret, Mater verò huius vulneris, in se pænam & dolorem reciperet.* Unde cum plagas suas, quasi gloriabundus recenseret tacito lateris vulnere, solas manuum pedumq; plagas recensuit:
Ps. 21. 17. *Foderunt manus meas & pedes meos.* non addendo latus, *quia ipsius dolorem Matri suæ communicauit.* ipso vulnus percipiente, sed post mortem inflictum, non sentiente. Patriarchæ Pauperum hanc gratiam, collatam censemus. quando Stigmatisatione, Christi Martyr effectus. inter vulnera alia, dulcissimi JESV, plagam lateris,

teris, *viuus* inflictam recepit, sensumq; doloris percepit tulitq;. *Mortui & non sentientis in Cruce Redemptoris dolorem,* suum arbitratus, & tanquam suo delectatus.

IV. Juxta: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Magistrum Passum, Discipuli imitati sunt. quando Petrus & Andreas, *Crucis supplicio* perempti, manibus & pedibus *clauis* transfixi. quando Thomas Scrutator JESV lateris, *lancea feriente latus eius,* crudeliter confossus est. *Vir Apostolicus,* vt vocat eum Ecclesia, memor Suauissimi consilii, *Qui non accipit Crucem suam, & non sequitur me, non est me dignus.* Martyrium Crucis Christi accepit, vulnera in plantis volisq; sustinens, *Christo confixus Cruci.* Latus quoq; eius, expresse sensit scindentis lanceæ ictum. Directumque est cor ipsius, in Charitate Dei & patientia Christi passi, *linea lanceæ,* iuxta: *Dominus autem dirigat corda vestra in Charitate Dei, & patientia Christi.*

* CONCEP n. 74. 1. Pet. 2. Ioan. 19. 27. Ant. Offic Matt. 10 38. Gal. 2. 19 2. Thess 3 5.

V. Martyrium voluntati non voluntas martyrio defuit. idcirco intonat Ecclesia: *O Martyr desiderio Francisce, quanto studio compatiens hunc sequeris, quem passum, Libro reperis.* nimirum in trina apertione Euangeliorum Libri, semper obuiam Passionem Domini reperientis. Refert S. Bonauentura: *ad soldanum Saracenorum Regem, cum Euangelio pergens, adeò velociter cucurrit affectu & spe martyrii tractus, quòd licet esset corpore imbellis, socios præcederet.* Auget mysterium, quòd apud Saracenos in Regno Miramolini, missi ab eo cum prædicatione fidei. *Quinq. Fratres,* Berardus, Petrus, Adiutus, Otto, Accursius, in ipso Ordinis exordio, sexto ante mortem S. Patris anno, cum summa spiritus ipsius lætitia, crudeli morte, Martyrii palmam, consequuti sunt. Quorum etiam Patriarcha, *quinque vulne-*

* CONCEP n. 75. Ant. ad Bē. Vit. c. 13. Wad. T. 1. f. 113. Ann. Ord. T. 1. 2.

vulnerum Iesu, futurus esset præclarus Martyr. testatur sacra Historia: *vt Amicus ipse Christi prænosceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, totum in Iesu Christi Crucifixi, expressam similitudinem transformari.*

Offic. stig. 1. Noc. Lect. 2.

CAPVT XVI.

De 16. Scibili Exorcistico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Nomen, Descriptionem, Diuisionem, Obiectum, Praximque Exorcistarum, declarans.*

I. **E***Xorcismus*, ethymologice interpretatur: *Exoratio Dei vt accedat & Execratio Dæmonis*, vt recedat. Item *Exercitatio & Munitio*, exercentur enim dæmones, vt fugiant; & muniuntur Maleficiati, præseruatiuis sacris, vt non redeant, vel noceant illis.

II. Exorcistica describi potest: *Est notitia practica, potestate desuper data, & ab Ecclesia approbata, malefícia soluendi, dæmonia eiiciendi ac arctandi, præuia pia dispositione Ministri, per applicationem sacrorum verborum, & rerum consecratarum.*

III. Exorcismi diriguntur ad tria: *Deum*, petendo vt peccatis obsessi dimissis, dæmones comprimat & expellat. ad *Sanctos*, vt intercedant pro Obsesso, tanquam Dei Amici. item ad *Dæmones*, imperando & arctando nominibus sacris, & adiurationibus; vituperandoque proprios sathanæ defectus. Quodsi quæras de sensu verborum Exorcismi. triplex quoque, quoad Dæmones, *Adiuratiuus, Exprobratiuus & Imperatiuus.* Item quoad Maleficia, *Manifestatiuus illorum, Dissolutiuus &*

nus &

uus & Destructiuus. Ac *Condemnatiuus & Maledictiuus*, dæmonum & maleficiorum. *Absolutiuusque* maleficiatorum.

IV. Materiale Obiectum, *Dæmonium*, vt autem consideratio eius, differat ab aliis de eo notitiis, pro Formali ponendum: *vt maleficians & obsidens*. Obiectum autem Finale: *Expulsio Dæmonis* hominem obsidentis, vel *solutio Maleficii*. S. Isidorus inquit: *Malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur*. nisi dicere velis, Maleficium ceu *male afficiat*, vel *malum facinus sit*. L. 8. Ethym. 9.

V. Remedia *Maleficiorum, Obsessionumque* hæc existima: *primo*, viua fides Dei, resistendo *Diabolo fortiter in fide, sumendo scutum Fidei, aduersus tela ignita*. cum enim dæmon, sit substantia spiritualis, armis etiam spiritualibus oppugnandus. *Secundo*, Pænitentia, si enim anima, mortali repletione grauis existat, tam generali quam particulari confessione expianda. è pænitente nonnisi Magdalena, septem dæmoniis recedentibus. *tertio*, tutissimum Antidotum est: *Sacrosancta Eucharistia*, corpus & animam roborare, & efficaciæ innumera exempla. *quarto*, Ieiunia & Elemosyna. *quinto*, Oleum infirmorum, ab Episcopo benedictum, morborum magicorum & obsessorum, salutare est remedium, atque aqua specialiter ad id benedicta. *Sexto*, visitatio sacrorum locorum, & deportatio Sanctarum reliquiarum. *septimo*, Benedictarum campanarum, in Ecclesia Catholica pulsum, adiuuare ad destruenda maleficia, dæmoniaque propulsanda, asserit *Durandus*. Saluberrimum quoque, Diui Chrysostomi consilium, ad machinamenta dæmonum eludenda, vt quotidie signo Crucis facto, proferatur breuis hæc Exorcisatio. *Abrenuntio tibi Sathana, coniungor tibi Christe.*

1. Thess. 5.

Prat. Flor. L. 5. c. 20

L. 1. Rat. c. 4.

Contr. Gent. ser. 16. de Fide

INVENTIO. Conceptibus V. *Amuletum dæmonum, sathanæ elusionem, victoriam & terrorem mali spiritus: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

*

CONCEP I. n. 76. Num. 21. Ioan. 3. 14. IEsus Saluator, destructor Inferni, *exaltatus sicut serpens æneus in deserto.* positusque pro signo contra plagas & mortes serpentum ignitorum: Diabolum *serpentem reptantem super terram*, potentissima Cruce sua, attriuit & annihilauit. *Signum Crucis tollit omnē* Serm. 2 de Cruce *magiam, salutiferum est vexillum, contra insultus dæmonum,* ait D. Athanasius. Huius amuleti efficacissimi, Iesus Crucifixus, aliud vices sui implens in similitudine: Franciscum signis Crucis decoratum & roboratum, contra infernales orci furias, technas & tumultus, constituit & concessit. Et quemadmodum figura serpentis ænei, in virtute Crucis Domini, in deserto Chr. Alu. fol. 220. mortiferos serpentes sustulit. ita stigmata, & spirituales *serpentis inferni* nequitias sæpe extinxerunt; & naturalium serpentum morsus, represserunt. Refert P. Saluator Vitalis: *expiatus est anguibus mons Aluerna, nimiumque notabile est, quod nunquam ibi cum tot sint rudera, cauernæ, scissuræ, scrobes, hiatus, nemora, syluæ, viperam aspidem colubrum, serpentemque inuenies, vera adstruo, vera profero, hyeme, vere, æstate, autumno, bufonem non reperies, nisi in horto qui est inferius ad montis fimbrias.* Sacratus enim impressis vulneribus Domini, Spec. Vit. eius locus, sicut signa illorum, serpentes inferni, *ranæ illæ maledictæ* timent: ita a venenatis serpentibus terræ, virtute Crucis signorum, liber existit. *Estque Relatio vitæ:* Nato Francisco, turbatum fuisse infernum, &

tantum

tantum terrorem & commotionem excitatam, vt Luciper & alii putarent, Christum ad extremum iudicium aduenisse. & ob hoc deputata vna Legio fuit, vt illum vel in cunabulis ipsis, tanquam hostem multa damna illaturum, suffocarent. vnde & Angelus in specie peregrini apparens, præcauit parentes, & sedulam custodiam paruuli commendauit. signans dextrum humerum eius *Crucis signo*, molesto dæmonibus. L. 1 Conf. fr. 3. Wad. T. I. An. Appar.

II. Voluit sed non valuit, nocere Christo, sæpe Sathan. at princeps tenebrarum, non inuenit in eo quicquam, & sicut in ligno decepit hominem, proiecitque in terram; ita virtute Crucis, prostratus ipse, irritis confunditur conatibus. ait D. Chrysostomus: *Duxit Iesum in montem, adorationem & præcipitium suadebat, sed ipse de Monte Caluariæ præcipitatus, pendentemque in Cruce, capite inclinato, perhorruit, atque inferni genu, submittere coactus.* Francisco orante in monte Aluernæ, perhorrescebat cerberus, vlulabat Acheron, ipse demum Luciper aggressus, *à summo vertice montis, cum saxo in quo orabat violenter protrudit. præruptæ autem rupis, profundum præcipitium erat, fuissetque mortuus, nisi Diuina gratia esset adiutus, nam cum volueretur, cubitos ternos peragens, mirabile dictu, dilatata est rupes & molliter in sinum suum, vt cera mollis facta, recepit. & hucusque impressi in lapide corporis forma, cernitur & tangitur.* Itaque ipse Cacadæmon protrusus de monte est confusibiliter, in quo *Crucis Iesu signa* seruo eius impressa. casu irrito Cocyti ignominiose in loco illo, vbi in corpore stigmatisato *vexillum Mortis Christi*, quo debelatæ sunt potestates aereæ, erigendum erat, & expansum est. * CONCEP n. 77. Serm. 2. de Cruce. Hist. Seraf. L. 3. Chr. Ord. p. 2. L. 2.

III. Lu-

* CONCEP n. 78. III. Lucifer Seraphinorum Princeps, affectauit *ascendere in Montem Testamenti, & similis esse Altissimo.*
Is. 14. 14. at superbia eius detracta, & in infernum laci detrusa. Fundatorem autem Minorum, ob eximiam humilitatem, ad eiusdem sublimem sedem, exaltatum
S. Bon. c. 6. ¶ 7 & sublimatum esse, à multis pie refertur & creditur. Prout Fratri Pacifico, eximiæ Sanctitatis viro, & S. Patris socio, reuelatione detectum est. oranti enim illo insimul in Ecclesia, sedes vna aliis dignior, pretiosis ornata lapidibus, in cælo præparata apparuit,
Pis. L. C cumque miraretur cuinam destinata? vox cælestis sonuit: *Luciferi hæc sedes fuit, & nunc humili seruatur Francisco.* Et conueniebat hanc gratiam præstare Seruo Dei, qui ascendit in *Montem Caluariæ* Crucifixionis Iesu. Ille Angelus Castitate; Seraph Charitate, prætulit vulnera Crucis *similia Altissimo*: exaltati scilicet
Eccl. 3. in Cruce Saluatoris. Inferendumq; est: *Mortuus est Pater eius, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit filium post se.*

* CONCEP n. 79. IV. Mirabilis directionis & potentiæ, virga Moysis, proiecta in conspectu Pharaonis, *versa est in colu-*
Exod. 4 3. *brum.* cum autem & Malefici Ægyptiorum suas proiecissent: *versæ sunt in dracones.* sed virga prior, deuorauit virgas eorum. Per dictam virgam, versam in Colubrum, Crux Iesu intelligenda. *virga protectionis* est bono, at *in colubrum* vertitur malo. *Apparens*
S. Ber. Sen. de Pas. D. *Crux Domini in iudicio, torquebit malos Christianos.* Et hæc Virga Crucis *deuorauit dracones*, bestias nimirum inferni, dracones magnos rufos. Francisco collata Crucis Christi mysteria, terrifica quoque dæmonibus sunt: agnouerunt multi gratiam, quæ data est ei, sed inter alios Frater Syluester, vnus è primis sociis Ordinis.

Vidit

Vidit hic in somnis Ciuitatem assisii, à dracone magno circumdari, & ingens machina, exitum minabatur incolis, posthæc vidit Crucis arborem magnam auream, ex ore procedere Francisci, summitate cælos tangentem, & brachiis extensis, vsque ad fines mundi protensam, cuius virtute Draco ille teter & horridus, penitus fugabatur. Cumque bis & iterum reuelationem vidisset, mundum neglexit, statum serui Dei dilexit. Draconem infernalem, virtute Crucis Domini pellentis: de qua Bestia, protulit Propheta: *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* Ann. Ord. T. I. Ps. 103. 26

V. Dæmon circuiens Leo, nullo tam efficacissimo medio sistitur & pellitur, quam *signo Crucis Iesu,* memoriaque Passionis. Assignat experientias *Niderius* plurimas, praxi felici. expertus & S. Eligius Nouionensis Episcopus, quinquaginta amplius Energumenos simul, aquâ benedicta in Modum Crucis aspersâ liberando. Non minoris virtutis & gratiæ, Sacra Crucis signa Francisci, *Flagellumque dæmonum* facta. Vnum vel hoc comprobet: præter multos dæmoniacos in Monte Aluernæ liberatos, erat vnus qui nullatenus introduci potuit, ad *locum impressionis,* vlulansque bellua dixit: quod è corpore potius exire mallet, quam intrare. annuentibus itaque Fratribus, ac dari signum exitûs iniungentibus, dixit: *arripiam & auellam vnum lapidem, ab angulo parietis Capellæ stigmatum.* & fecit, horribile causans præcipitium septuaginta quinque cubitorum, hominem autem sanum dimittens. Crucis Christi victoria, in Plagis Concrucifixionis Seraphicis, de Principibus tenebrarum triumphante. * CONCEP n. 80. Lib. 4. Formic. Chron. Mõtis ser. fõl. 204.

CAPVT XVII.

De 17. Scibili Canonico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Nomen, Deſcriptionem, Principia & conſiderata Iuris Canonici, declarans.*

I. CAnon græce, *Regula* latine interpretatur, quod regat normam viuendi. & quod *diſtorta morum*, recta reddat & corrigat. *Vniuerſim*, Canonum nomine: Decreta Pontificum, Statuta Conciliorum Uniuerſalium & Prouincialium, appellantur. Unde proceſſit *Iuris Canonici nomen*.

II. Scientia Juris Canonici docet: *in Cauſis ſpiritualibus, quoad forum Conſcientiæ & forum fori, conformiter ad Eccleſiæ canones, iuſtè diſcernendi: quid vnicuiq; reddendum, diſtribuendum, in dubiis ſoluendum, & in pœnis ſtatuendum.*

III. Ptincipia Juris Eccleſiaſtici; *primo* ea ſunt, quæ *inſtinctu naturæ inſita*. vt omni homini iniuriari nefas eſt; Non facias alteri, quod tibi non vis fieri, & ſimilia. Et quæ *Iure Gentium* introducta, vt iuſtum eſt vnum quodque, eo genere quo ligatum eſt diſſolui. Qui non facit quæ debet contra ſe facere videtur, quæ feciſſe debuit, & alia. *Propria*, tandem ſunt Axiomata & principiorum Juris Canonici documenta. vt neminem in ſacris conſtitutum, matrimonium poſſe contrahere, omnes commitentes ſymoniam irregulares effici, nullos intra quartum gradum cognationis, poſſe matrimonialiter copulari, neminem poſſe contrahere cum ea, cui viuente marito fidem dedit, de contrahendo cum ipſa matrimonium. Et complura.

IV. Judici ſiue puniat ſiue abſoluat, *correctio ſemper præfigenda*. idcirco Proceſſum, non impetuoſe ſed maturè, fieri ſemper neceſſe contra Spiritualem Perſonam,

ſonam, cuius *ſtatus*, à fama honorabilior.

V. Gradus pænæ Canonum ſunt: dum Clericus punitur primo, pro Contumacia, incipit pæna ab Excomunicatione minori, creſcente contumaciâ & maior creſcit Anathematiſatio, deinde Depoſitio. Cùm verò Crimen puniendum ſit: ſi eſt corrigibilis, deponi debet & non vltra. ſi autem incorrigibilis, poſt depoſitionem, debet excommunicari. ſi hoc non prodeſſet, per ſæcularem compellendus eſt poteſtatem. ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima pæna inferatur. Atque hæc *ordinario proceſſu*, niſi Crimen adeo eſſet enorme, quod non ſufficerent hæ pænæ. Degradatio tandem currit practicaturque.

INVENTIO. Conceptibus V. *Signum Iudicii extremi, Symbolum Iuſtitiæ, energiam Iuſti iudicii ac documentum: in Concrufixione Chriſto, repræſentans.*

I. ORbis Uniuerſi, *Iudex viuorum & mortuorum* conſtitutus à Deo, Chriſtus JESVS. à Pontio Pilato adiudicatus morti, quinque mortiferis plagis Crucis, decretum Tribunalis Hieroſolymitani explens: cùm iiſdem apertis, profundis, tranſparentibus, ſicut *poſt Reſurrectionem apparuit*, die nouiſſima Mundi, ad Generale Judicium venturus eſt. Intimatum id per Prophetam: *Aſpicient ad me quem confixerunt, & plangent planctu, quaſi ſuper vnigenitum.* annuntiat & dilectus eius ſecretarius. *Videbit eum omnis populus, & qui eum pupugerunt.* Porrò Hippolitus Martyr affirmat: *non ſolum quinque vulnera ſed etiam caput ſpinis redimitum, & pretioſam ipſam Crucem, eſſe in die Iudicij conſpicienda* idem

[Margin: * CONCEP n. 81. — Zach. 12. 10. — Apoc. 1. 7 — Orat. de Cons: Mundi]

L. 2. de Ciuit. c. 3 idem censet D. Augustinus. & Cæsarius Arelatensis
Hom. 23. protulit. *illa clauorum signa, bonis salutaria, malis terribilia vsque ad iudicij diem non delentur.* Famulus Christi Franciscus, ob perfectionem vitæ Apostolicæ, futurus in iudicio assessor, iudexque. *vos qui secuti estis*
Matt. 19. 28. *me, in generatione cum sedebit filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos, super sedes duodecim.* nec aliter
Serm. 2. de Stig. nisi micantibus in eius corpore impressis Iesu vulneribus, attestante inter alios Roberto a Licio Episcopo Aquitanensi: *sicut de Martyribus refert B.*
Lib. 2. de Ciuit. *Augustinus, quod resurgent cum cicatricibus, quæ ad ornamentum facient & decorem corporum, non ad aliquam deformitatem, ita pie tenere possumus, quod S. Franciscus cum illis signis, cum quibus ex hac vita decessit, ad vitam immortalem resurget.* attestate & P. Didaco de
Th. Ter. S. L. 1. c. 6. ad finem. Cea, Agudensi. *Cum stigmatibus Sanctus Franciscus etiam in extremo iudicio, sole ipso splendidioribus apparebit.* vt sicut impii ad aspectum plagarum Christi terrebuntur, & confusione operientur: ita stigmata inspicientes duplici confusione premantur. quòd *renouatam Passionem Domini*, mundoque præsentatam *non dilexerint*; & quòd Crucifixo Redemptori suo, *non condoluerint.*

* CONCEP. n. 82. II. Iuste iudicans filios hominum Christus, in corpore suo gerens *Vulnus Lateris, ac in latere cordis,* iudicium absoluet Mundi. Vt Genus humanum sentiat, etiam in clementissimo corde ipsius, amorem regnare iustitiæ; prout olim totum cor præoccupauit
Is. 61. 8. dominium Misericordiæ. *Ego Dominus diligens iudi-*
Ps. 10. 8. *cium.* profectò digne ait Psaltes Dei: *Iustus Dominus & Iustitias dilexit.* Francisci quoque cor, in latere læ-
Sap. 1. 1. Iob. 34. 17 so, ardens zelo iustitiæ apparebit. iuxta: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* & quidem, *numquid non amat iudicium, sanari potest.*

III. Chri-

III. Christus Iudex & Legislator, cum vulneribus manuum retentis, ferret sententiam, vt sentiant mali, dexteram eius clauo acuto transfixam, acutè rigore iusti iudicii transfigentem. *Iustitia plena est dextera tua.* Leuam autem Christi, non alleuiandam vllis muneribus, quæ etsi recepta essent, foramine vulnerum, *pertransirent ad extra.* Francisci plagatæ manus, signant ad *iniustitias concinandas* mortua esse membra, ineptaque ad *munera*, quæ iustitiæ exequendæ, sunt onera. vt de Iurisconsultis quidam, ac de Medicis retulit: * CONCE. Num. 83. Ps. 47. 11.

Hi Morbis ægrorum, agrorum litibus illi:

Dant patienter opem, dum potiuntur opes.

IV. Iudicis Christi, pedum vulnera apparebunt: vt in sede Maiestatis Throni Tribunalitii residendo, non iam succurrere peccatoribus videantur, *nec ire in adiutorium.* sed iuxta, *in viis iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicii;* demonstrent: tempus adesse reiiciendi supplicum cadentium ad pedes, blandos attactus, *vulneratis membris, insuaues.* Sacris stigmatibus affecti pedes, aptos quoque inueniri ad *non decurrendum* perfunctorie processum Iustitiæ, sed ad procedendum lente, mature, in diiudicandis causis. siquidem, *Initium viæ bonæ, facere iustitiam, accepta est apud Deum, magis quàm immolare hostias.* * CONCEP. n. 84. Prou. 8. 20. Pr. 16. 5.

V. Facileque colligi posse ex sacro textu Euangelii, Franciscum signa Crucis Christi, portaturum in iudicio. protulit enim de processu vniuersalis sui iudicii Dominus: *Et tunc apparebit signum Filii hominis in cælo, & tunc plangent eum omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis, venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate, & mittet Angelos suos cum tuba.* Ex quibus mysterium colligitur, etenim *apparitio signi Filii ho-* * CONCEP. n. 85. Mat. 24. 30.

lii hominis, & visio filii hominis, distincta quid debent
Matt. 26. esse, *signo & signato* inter se differentibus. cum aliud
Matt. 24. sit *signum filii hominis*, *& filius hominis*. Iam autem quis
Ioan. 3. in terris, tam viuificè *signum Crucifixionis* prætulit? nonne Franciscus, *Crucis vulneribus insignitus*. Posse itaq; inferri, illum esse monstrandum in cælo, *signum filii hominis*. intelligendo per Filium Hominis proprie, Deum in carne humana, qui non signum filii fuit, sed *verus filius* Virginis Matris Mariæ. vnde & *Filio hominis*, commemorato in Euangelio, immediate adduntur Diuinitatis indicia: vt *aduentus in nubibus, multæ maiestatis apparatus, imperiumq́; Angelorum*, quæ creatæ virtuti non competunt. & quod arguit manifeste sensum, de Christo iudice ipso. *Signum filii hominis*, seu signatum signis vulnerum Christi filii hominis, vocante Virum Dei, Ecclesia: *signasti Domine seruum tuum Franciscum, signis Redemptionis nostræ.* Et quamuis hæc, non nisi deuota explicatio est, recte tamen asserunt plurimi: Seraphicum Patrem, *Lignum Crucis Domini*, & instrumenta passionis eius (vt extant nonnulibi peruetustæ in Ecclesiis, hac formâ, iudicii extremi, icones) portaturum in vltimo iudicio, eique hunc thesaurum à Deo conferendum, cuius Fratribus cura & inhabitatio, commissa Thesauri *Sancti sepulchri Christi*, locorumq; sanguine Redemptionis purpuratorum.

CAPVT XVIII.

De 18. Scibili Controuersistico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Nomen, Descriptionem, Iudicem, Obiectum, & causas Controuersiarum declarans.*

I. Controuersia, dicitur à *Controuertendo tela*, contra veritatem obiecta, idq; argumentatione ratio-

nabili.

nabili: vel à *Contrario versu.* quod hic ponatur & opponitur in Controuersiis.

II. Controuersistica, *est peritia Theologica, sufficientibus documentis declarandi veritatem Fidei, ac resoluendi dubia spiritualia, rationabilisq́; defensionis contra Gentiles, Hæreticos, Pseudocatholicos, oppugnantes ac lacerantes veram & Sanctam Religionem.*

III. Supremus Controuersiarum Iudex: Spiritus Sanctus. qui Ecclesiæ & ipsius Doctoribus, sese communicauit, & per eorum os loquitur, & decidit credēda. Non dixissent enim Apostoli, in primo Concilio quod celebrarunt: *Visum est spiritui Sancto & nobis.* Nec Act.15 28. sola S. Scriptura, pro iudice controuersiarum, statuenda est. cum non sit nisi mutus testis; *Lex & statutum, egens ipsa interpretatione.* Et Ecclesiæ id muneris esse, cuius capiti in terris, Spiritus Sanctus assistit, & membra coadunata, legitimè adhærent. Ob exiguam iniuriam, *remittente nos Christo ad Ecclesiam,* vt illa iudicet. A fortiori autem Hæreses, quæ atrocissimæ sunt iniuriæ, illius Mat.18 17. iudicio & decisioni subiacere debent.

IV. Obiectum Argumentationum Controuersisticarum, est *veritas Fidei* materiarumq́; ad Fidem spectantium. *circa quam, aut propter quam* controuersiæ instituuntur. Formale verò est: *Defensio veritatis* Fidei ac credibilium, maxime cōtra errores & praua dogmata. verum adstruendo, declarando, rationeq; vindicando.

V. Cur permittat Deus Hæreses? ratio est: vt Boni per suam constantiam innotescant & manifestentur. & malum absconsum in medio nostrum, erumpens seipsum prodat. *Altera,* vt ignorantia ab Ecclesia pro- Lib. de V. cul facessat. *Hæreses* inquit S. Augustinus, *de profundo* Rel c. 8. *nos pigritiæ somno excitant, ad laborem animant, ad legendum Sacram scripturam, ad volutandos nostræ Religionis ve-*

ros ti-

ros titulos, & antiquas notas, quas ante ignorabámus, incitant. Quamobrem suppolita malitia hominum & libertate, *oportet Hæreses esse.*
I. Cor. II.

INVENTIO. Conceptibus V. *Controuersias Fidei, Auxilium Ecclesiæ, eius Thesauri cōseruationē, Obsequiaq́; pro Fide Catholica: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP n. 86. I. CVm pretiosissima Crux, & Saluifica Passio Domini nostri Jesu Christi, facta sit in *signum contradictionis*, maximè abeunte, in cælum Redemptore: vt mundo præstarentur de cælo remedia, Altissimus excitauit *zelum Crucifixi*, in corde Pauli Apostoli. vt crucis exaltaret trophea, à contradictionibus vindicaret, *controuersiasq́; conuertere retrorsum*, strenue non dubitaret. *Disputabat in Synagoga peromne Sabbathum, interponens nomen Domini Iesu, suadebatq́; Iudæis & Græcis. Instabat vero Paulus, testificans Iudæis esse Christum Iesum, contradicentibus eis.* Sæculo autem posteriori, cum Christiani *factis Christum negabant*; cum Crux stultitia reputaretur; cùm Recordationis vulnerum Redemptoris, obliterata ferme esset memoria: suscitauit Deus Apostolicum Franciscum, *vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* eumq; non subtilissimarum disceptationum, controuersisticis roborauit argumentis, sed Mortis Christi, & Crucis signis instruxit. vt eorundem aspectu, virtute, miraculo: *Memoria Passionis Domini*, renouaretur; pænitentia assumeretur; Fides Christiana confirmaretur. Asserit & probat, eruditissimus Didacus de Cea: *Cum in omne genus Christianum, illa Saluiani Massiliensis Episcopi iactari posset exprobratio, nimirum: quid est omnis pene cætus Christianorum,*

Act. 18. 4.

Tim. I. 9.

Th. Ter S. L. I. c. 6. Initio.

sanorum, nisi quædam sentina vitiorum? quoniam tartarus omnem spurcitiem euomuerat, vt paucissimi inueniebantur, quos tabes non infecerat, tunc Deus vt assolet, Sanctum Franciscum Ecclesiæ suæ dedit, pro ruina remedium, pro desolatione solatium, ita quòd de ipso dicere posset, iste consolabitur nos, ab afflictione nostra. Nec dissentiunt verba Thomæ Bosii: *Duo hi Dominicus & Franciscus, Ordinum Religiosorum, inter suos primi Authores & Institutores, merito vocari possunt duæ Oliuæ, & duo candelabra. de quibus in Apocalypsi. ab ipsis enim vere dicta est Ecclesia Dei domus, ruinam quodammodo minans, institutis suis, & cælestis doctrinæ vitæq; innocentia sustentari.*

Gen. 5. 29

L. 7. de Sig Ec. c. 1.

* CONCEP unm: 87.

II. Temporum vetustate, quæ in marmore scripta, ipsosque Libros corrodit; intellectûs humani in errores procliuitate quæ veri Libros odit, de quibusdam *Circumstantijs Passionis Domini; non descriptis in Euangelio* irrepserunt falsæ opiniones, controuersiarumque dogmata, tam Hæretica, quam Historica. Commemorat Episcopus Tudensis: *Maxima quidem pars mundi, ad falsa vel dubia diuertebat, alii diuersis erroribus implicati procaciter contendebant, Christum vera carne non fuisse passum; alij nulla fidei authoritate, asserebant, tribus tantum Clauis Cruci fuisse affixum; & non dextrum latus eius, sed sinistrum lancea vulneratum.* Et infert idem Author: *itaque omnipotens Deus, qui infirma mundi eligit vt fortia quæquæ confundat, per seruum suum literarum elementis fere rudem Franciscum, occulta fide, ita illorum elusit argumenta fallacia, vt eidem inuiti cedant, manifestissimæ veritati. Sin autem quis forsitan adhuc audeat dicere ista miraculosè & non ad instar Passionis Christi, in B. Francisco fuisse gesta. audiant quod in eius obitu legitur manifeste: resultabat in eo reuera forma Crucis & Passionis Agni immaculati, qui lauat crimina mundi, dum*

Contr. Al. Hær. L. 2. c. 11.

Wad: T. 1. fol. 315.

quasi recenter videretur a Cruce depositus, manus & pedes clauis confixos habens, & dextrum latus quasi lancea vulneratum.

* CONCEP. Num: 88. Andric. in Te. S. p. 2. III. Satagebāt portæ inferi, inferre vim maximo thesauro Catholicæ Gentis, nempe *sacris terræ S. sanctuariis.* Salahadino Ægypti Soldano (dissidentibus proh nefas inter se Christianis Principibus) Hierosolymitanam Urbem *anno* 1187 inuadente. & die 2 Octobris *sexta feria*, Christianis inde expulsis occupante. At Prouidentiæ Diuinæ benignitas, hac eadem tempestate, mærenti Ecclesiæ, & videnti quod manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: Recuperatorem Spiritualem, Franciscum scilicet, præordinauit. Natus eum anno 1182. iam *quinquennium* attingerat, dum Christiani terram Sanctam amiserunt. *præsagio vel hóc*, quòd *Locus Caluariæ* quinque Vulneribus Christi illustratus, cum iam foret amittendus, tali ætate destinaretur quinquennis puer, sacro quinque plagarum numero, in virili ætate signandus, qui sanctæ Terræ Spiritualis possessor foret, ac pietatis modo, recuperator. Prout Fratres Ordinis sui, *Thesaurum Terræ Sanctæ* custodiunt, inhabitant, deuotione & cultu prosequuntur, ad nostra hæc tempora. aduersa quæquæ Barbarorum, pauperie sua non odiosi, patienter sufferendo.

An. M. T. I. app. ¶3

* CONCEP. n. 89. IV. Fluctuanti Naui Petri, tumultuantibus sectarum flatibus, de cælo auxilium missum, tempestasq; sedata. quando Deus suscitauit sanctum Augustinum *malleum sectarum*, contra Pelagium Heresiarcham, quando D. Ignatium Societatis Iesu Fundatorem, *ignem zeli Apostolici.* contra doctrinas, Aquilonem hæretica prauitate inficientes, ordinauit. atq; alios diuersis temporibus Viros Sanctos & Doctos, quando peruersis & inquietissimis intellectuum turbinibus opposuit

posuit. Similiter Concrucifixus Christo, Omnipotenti prouidentia Sponsæ Christi Ecclesiæ datus est. dum *Vualdensium* Hereticorum, maxime ab Vualdo Lugdunensi, & *Albigentium*, sedente Innocentio III. insultus premerent, tumultus oprimerent. Quodmagis, dum instabunt in consummatione sæculi, tempora adeò periculosa, vt in errorem inducantur si fieri posset electi etiam, sanctum Patriarcham Minorum, Auxiliatorem Ecclesiæ tunc futurum. tradit ex sententia aliorum, R. P. Didacus de Cea: *Non ab ab re erit opinari, S. Franciscum ante communem resurrectionem, ad viuos cum stigmatibus rediturum, vt ante Christò, & Christi hostibus se opponat, & fideles Redemptoris sui imaginem, in Francisco aspicientes, in ipsius fide perseuerent* Et ideo forsan tanquam resurrectionis Candidatus, integer, recentibus plagis, stans & oculis apertis, perseuerat. Assisij sepultus. prout digni fide referunt, visitando vidisse illum, in sepulchro sub Altari maiori quasi viuum, instar dormientis, prodigio stuporem excitante, amorem prouocante.

L. I. c. 8. de Ter. S.

Chr. Min. &Rel. Itē.

V. Turbabant sponsam Christi, Hæreticorum Assertiones nouæ, statuentes: Romanum Pontificem non esse successorem Petri, non maximum in terris Vicarium Christi. Franciscus infernalis controuersiæ huius, contrarius repressor extitit. nam Sanctæ Matri Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, se suos suamq; Regulam totam, singulari obligatione subiecit. tam initio Regulæ suæ: *Fr. Franciscus promittit obedientiam & reuerentiam, Domino Papæ Honorio, ac successoribus eius canonice intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ.* quam in Epilogo, idē intimando præceptum: *vt semper subditi pedibus eiusdem Sanctæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica,* persistant Fratres eius. Declarat eius affectum ipsamet Ecclesia, primâ

* CONCEP n. 90.

tali Antiphona Officii : *Franciſcus Vir Catholicus, & totus Apoſtolicus Eccleſiæ Romanæ, teneri fidem docuit, Præsbiteroſq; monuit, præ cunctis reuereri.* Non immerito Cryptoporticus locus ſepulchri, a Gregorio IX. Summo Pontifice, hac ornatus Epigraphe:

Viri Seraphici, Catholici Apoſtolici.
Franciſci Romani, celsa Humilitate conſpicui.
Wad. T. I. fol. 419. *Chriſtiani Orbis fulcimenti, Eccleſiæ Reparatoris.*
Corpori nec viuenti, nec mortuo.
Chriſti Crucifixi plagarum, clauorumq; inſignibus, admirādo.
Papa, nouæ Fæturæ collachrymans.
Lætificans & Exultans.
Iuſſu, manu, munificentia, poſuit. A. D. MCCXXVIII.

CAPVT XIX.

De 19. Scibili Ethico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Nomen, Deſcriptionem, Diuiſionem, Obiecta, conſideratāq; Ethicæs, declarans.*

I. ETHica idem eſt, quod *Philoſophia Moralis*, aut Morum. alii *virtutes, Mores*, inſcribunt Ethica. Practicæ Philoſophiæ pars eſt ſpecialis, hic ſacris Scibilibus annectitur, acceptione *virtutis pro ſacro*. aut quòd etiam ſummum bonum hominis, & honeſtatem conſiderat. vt ſacræ ſcientiæ, licet alio modo, edocent.

II. *Eſt ſcientia Moralis, tractans de virtutibus, ad rectè honeſte & beate vitam hominum peragendam, ſpectantibus.*

III. Duplex cenſetur: *Ethica Areteologica*, in qua conſideratur Natura virtutum Moralium. & *Ethica Praxiologica*, in qua actionum Moralium, natura trutinatur. Ab Ariſtotele ad Nicomachum ſcripta, in 10. diuidi-

diuiditur Libros: *De Felicitate seu summo Bono hominis, de morali virtute, de voluntariis ac Inuoluntariis Affectibus Actibusq́, de Liberalitate & eius extremis, de Iustitia & Iniustitia, de recta ratione & partibus animæ, de Continentia, de Amicitia, de conseruatione Amicitiæ, de voluptate.*

IV. Obiectum Ethicæs Finale: *Instructio virtuosa morum vitæ*, dicitur ab *Insto tute*, instare enim quisque laboriose, arduis actibus debet, qui virtutem consequi desiderat. Et *tutè instare*, idest difficultatibus exercitii, non cedendo.

V. Moralis virtutis, multæ non immorando laudi, sufficiant hi versiculi:

Virtutem cœlum, vitium feralis abyssus — Stapul. de Hon. L. 2.
Excipit. hæc tenebris, illud quoq́ lumine ludet:
Immortalem animum, cognato reddite cœlo.
Quod breue recipitur, morum præcepta sequendo.

INVENTIO. Conceptibus V. *Felicitatis Symbolum, virtutis statum, Actus Heroicos, Patientiæ robur, & moralem cognitionem sui: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. PHilosophorum Moralium, in maxima de summo Bono, controuersia, rectius Aristoteles apposuit hæc Libris suis, *supremi Boni de nomine, omnes conueniunt, quod sit felicitas de felicitate autem quænam sit, non similiter vulgus ac sapientes sentiunt.* Refutatisq́; opinionibus aliorum, quod nec honor nec voluptas nec diuitiæ nec idea nec fortunæ prosperitas, sit summum bonum, infert. — * CONCEs. Num 91. L. 1. Eth.

Quid!

Quid igitur obstat, eum felicem dicere, qui per virtutem operatur perfectam. & bene ethicè licet ethnicè Signa vulnerum Francisci, summo Bono, vt in genere dicitur *Felicitas*, locupletata esse. etenim iuxta Axioma Scholasticum, *qui benè diuidit bene docet.* Felix significat. *Fel.* & literam *X.* quâ Catholicis, nomen Christi exprimere solitum. cum vera felicitas homini misero, non alio aduenerit, nisi per Redemptionem, *felle potati & Crucifixi Christi*, idq; felicitas æterna. Igitur dum Viro Dei, communicatur mysterium Passionis Domini, in Cruce felle potati. *Dederunt ei vinum bibere, cum felle mistum:* virtuosè par-
Ps. 68. 22. Mat 17. 34 ticeps est felicitatis, felixq; factus.

Spoliatis Ægyptiis, transit diues, sed pauperis
Nec rem nec nomen perdidit, factus felix pro miseris

* CONCEP n. 92. Eth. L. 2. II. Ethicorum sensu: *Moralis virtus*, circa voluptatem doloresq; versatur. Qui à voluptatibus corporis abstinet, si hoc ipso gaudet, *Temperans est*, si moleste fert, *Intemperans* censetur. qui pericula subit & gaudet aut saltem non dolet, *Fortis.* qui dolet *Timidus* est, Plato hoc Motiuo dixit. *Homines ab ipsa statim adolescentia, ita institutos esse oportet, vt iis gaudeant doleantq., quibus gaudere dolereq; oportet, hæc est enim educatio & eruditio recta.* Sacræ Crucis tesseræ, perfectissimæ virtutis specimen sunt. thesaurusq; virtutis Crucis. *quæ pereuntibus*
1. Cor. 1. 18. *quidem stultitia est, iis autem qui salui fiunt, Dei virtus est.* Et hanc virtutem, sensu etiam Philosophorum, versari inter *voluptatem & Tristitiam*, vulnera enim, tristitiam doloris causarunt, referente Historia vitæ: *Impressit menti*
Wad. T. I. fol. 39. *Passionis Dominicæ memoriam, quam assidue deflebat, & si quando in solitaria recedebat loca, cuncta replebat gemitibus & singultibus, magno Christum propter se passum, deplorans eiulatu.* Lætitia item & voluptas, ex dolorosa Concrucifixi-

cifixione Christo præoccupabat cor Francisci, iuxta: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Quemadmodumq; Paradisus, in cuius medio *Lignum vitæ*, figuram Crucis Christi præferens crescebat, *locus voluptatis* dicitur: ita Sanctus vulnerato corpore suo, mysterium Crucis conseruans, cælestibus superabundauit voluptatibus, *de torrente voluptatis* potatus. Ps. 43. 19. Gen. 2. 8. Ps. 35. 9.

III. In Cathalogo virtutum Ethicarum, *Fortitudinis Heroica virtus*, non postrema est. quis autem propriè sit Fortis? narrant Philosophi: *Qui non timet mortem, non naturalem sed honestam, & contra ea quæ solent repente aduenire & adferunt ipsam, interritus est.* Francisci Concrucifixi *Fortis vt mors dilectio*, immò confixione, *Crucis in fortitudine* viuentis. *Quasi morientes. & ecce viuimus.* Proferre ipsi licet, tota vita sua affectanti pro Christo, fortiter martyrium perferre: *Magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem, mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum.* In illoque verificatur: *Infirma elegit Deus, vt confundat fortia.* * CONCEP num: 93. Eth. L. 3. Cant. 8. 6. 2. Cor. 6. 9. Phil. 1. 21. 1. C. 1. 27.

IV. Magni censebant omnes, super quos nomen Philosophorum inuocatum est: *Virtutem Patientiæ.* vt absq; praxi eius, doctrinæ suæ non posse stare professionem existimarent. vnde vsitatius axioma: *Nemo sapiens, nisi patiens.* Huius virtutis clarissima specimina in Concrucifixione Seraphica adesse. Vtq; Apostoli, *ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Ita Vir Apostolicus, ipsa *Passione Christi* mortificatus, plusquam patientissimus Iob, satagebat *in patientia possidere animam suam.* Patientiæ Christianæ Fontem & Speculum in corpore suo præferens: plagas nimirum Crucifixi- * CONCEP num. 94. Act. 5. 40.

cifixi-

Prou. 16. 32. cifixi Iesu, Saluatoris Mundi. *Melior patiens Vir, forti* effectus.

* CONCEPtuum 95. V. Romanus testatur Orator. *Nihil esse magis, per quod Diis assimilemur, quam per ipsum scire.* hoc tamen non est illud scire, quo Protoplastes hominum, *similis esse* Gen. 3. 5. *Deo* affectauit, sciendo bonum & malum: sed scire *cognitionis sui ipsius.* dicente Richardo: *Nihil recte æstimat is, qui seipsum ignorat.* Humilis mansueta demissione L. de Cont. c. 17. Franciscus, non aliam exorabat & affectabat sapientiam, nisi ad quam suspirabat D. Augustinus *Deus nouerim te nouerim me.* gloriabaturq; cum Apostolo: Phil. 2. *Nihil me reputaui scire, nisi Iesum Christum & hunc Crucifixum.* Cuius scientiæ Theses & Theoremata non alia erant, in Viro Seraphico, nisi *Conclusiones* Humilitatis, Cognitionisq; suæ. seu *in fine recumbendi, ad finem se post omnes reiciendi*: sicut Magister eius, *Humiliauit semetipsum vsq; ad mortem*, mortem autem Crucis. cui infinita sit laus & gloria, qui Humilem Franciscum tam magnificè, *in mysteriis sapientiæ Crucis*, exaltauit.



LIBER II.

LIBER II.

Scibilium Scholaſticorum.

Præcipua Objecta Conſiderata Reductaque Scientifica.

In Myſterio Concrucifixionis Chriſto.

REPRÆSENTANS.

Aditus Scibilium.



Cholaſticam Doctrinam, intellige Genus Generalisſimum, prædicabile de pluribus, (in ſcholis ſolitis tradi) ſcientiis. Quarum ſpecies ſubalternæ, prædicantes de aliis: *quinq;*, ut in prima parte ſtatuuntur. *Philoſophia*, *Medicina Mathematica*, *Philologia*, ſeu ſcientia ſermonis. Et *Graphica* de formis & modis ſcriptionis. Idque in honorem *Quincunxis Vulnerum* J*Eſu*. Enarrantur autem, non Ordine Prioritatis ſed Dignitatis; ac more præcedenti.

CAPUT I.

De 20. Scibili Philoſophico.

INFORMATIO, Prænotandis V: *Interpretationem*, *Deſcriptionem*, *Diviſionem*, *Conſiderata*, *Objectumq; Philoſophiæ*, *declarans*.

I. P*Hiloſophia*, interpretatur ſtudium ſeu Amor Sapientiæ. Græcis enim *Philian*, Amorem ſignificat. *Sophios*, ſapientiam. Nominis hujus Compoſiti, primus Author Pithagoras. Qui non *Magus*. Ut Orientales & Perſæ;

nec *Sophus*, ut Græci plerique sed *Philosophus*, id est amator sapientiæ, *modestiæ studio*, vocari voluit.

II. Describitur sic: Est scientia Divinarum Humanarumque rerum, atque scibilium omnium, concipi possibilium, rationem cujusvis rei, & differentiam, investigans.

III. Philosophia dividenda: In *Scientiam* & *Prudentiam*. Scientiæ, materia est triplex: *Metaphysica, Mathematica, Physica*. Prudentiæ similiter: *Ethica*, *Æconomica*, *Politica*. Ad *Theoricam*, seu speculativam Philosophiam, reducuntur scientiæ, ad *Practicam*, Prudentiæ.

IV. Ex Scientiis, occupatis in Contemplatione rerum, *Metaphysica* contemplatur *Ens Immateriatum*. Quatenus est Unum, Verum, Bonum. *Physica*, considerat *Ens quà naturale, materiatum & informatum*. Mathematica: *Ens quatenus aut trinæ dimensionis, aut Numeri mensuram habet*. Ex Prudentiis vero, versantibus in *Boni Moralis* rationibus: Ethica occupatur circa Bonum *Virtutis in Genere*. Æconomica, *circa Bonum Familiæ Privatæ*. Politica, *circa Bonum Reipublicæ*, seu communis Familiæ. *Logicam* autem, *scientiam intentionalem, seu Doctrinalem*, potius statuere, sub *Scientia Sermonis*, veræ Ennunciationis rerum Magistram; quàm Philosophiæ essentialem partem.

V. Objectum Philosophiæ Unum, assignari non potest. Cum sit *aggregatio Scientiarum*. Erit tamen Aggregatum Adæquatum: *DEus Natura & Homo*. Ad hæc enim supernaturalia quæque, & Naturalia, reducuntur. Et ab his, omnes fermè scientiæ, materias accomodant ac tandem ad illa, reducunt & terminant.

INVENTIO. Conceptibus V: *Mysterium Philosophiæ, Nomen, considerata Sapientiæ, Divinorumq; cognitionem, in Concrucifixione Christo: repræsentans.*

I. Or-

I. ORbem Christianum, præcavit Doctor Gentium: *Videte nequis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi.* Ne igitur novissimis temporibus, hac inani & Vana Philosophiâ, carnalis sapientiæ, obrueretur & immergeretur Mundus. Ipse Christus, sapientia æterna, plenam, non inanem; solidam non Stolidam; in Concrucifixione Francisci, explicavit Philosophiam. Inquit S. Bernardus: *Hæc mea sublimior Philosophia, scire JEsum & hunc Crucifixum.* CONCEP: Num: 96. Col. 2. 8. Sem: 43. in Cant.

Et prout in *quinq; Syllabas*: Philosophiæ nomen dividitur: ita quincunx Stigmatum. Prout inrerpretatur *Amor Sapientiæ*: ita Concrucifixio, Seraphicæ Charitatis, *Causa & signum.* Ut non sint aliud, Vulnera à Christo impressa: nisi *Philosophia Sapientiæ & Amoris Divini.* Christum Crucifixum Vocante Apostolo: *Prædicamus Christum Crucifixum, Judæis quidem Scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem Vocatis, Judæis & Græcis, Christum DEI Virtutem, &* sapientiam. I. Cor. I. 25.

II. Philosophia, nomine simplici, *Sophios.* Id est Sapientia, aut *Sophiologia*, appellari poterat. Nihilominus optimè *composito nomine* dicta: Amor sapientiæ. Etenim, *Amor est, nonnisi cogniti.* Docte D. Augustinus: *Ignotam rem nullus amare potest.* CONCEP: Num: 97. 1. Met: c. 1. De Trinit: L. 10. c. 1.

Franciscus, ab ipsis sacratissimis JEsu Vulneribus, instructus est: in *Charitate, Intellectu, & Agnitione.* Prout Philosophia: *Charitatem* seu *Amorem; Agnitionem* seu *Sapientiam;* significat. Qualem Apostolus, corditus optavit Scientiam: *Instructi in Charitate, & in omnes divitias plenitudinis Intellectus, in agnitionem mysterii DEI Patris & Christi.* Col: 2. 2.

III. Non Plato, sed potius Franciscus: Divinus Philosophus appellandus est. Cui *Cœlestis Sapientiæ, communicatio,* CONCEP: Num: 98.

4
Eccl: 1. 10. *catio*, facta: *Præbuit illum, diligentibus se.* Scientiam enim:
quæ est donum *Divinissimi Amoris* Spiritus Sancti, partim
sapientia, partim scientia dictum; absque Charitate, natu-
raliter sibi quispiam, comparare non potest. Unde *Scien-
tia inspirata*, infunditur à DEO, mediâ & prævià Charitate.
Conferturque semper fide & Charitate sociâ.

Altissimus, *præbuit Sapientiam* Crucis, *diligenti se.* Ex
charitate nimiâ, inquit S. Bonaventura, concrucifigi Chri-
InOff. Stig. sto affectavit. Quæ Philosophia Vulnerum Amoris: non
superficiali, non *inani* Charitate compilata; non illa, quam
Plato Academicus, Zeno Stoicus, Aristoteles Peripateti-
cus, vendicabant sibi, suis cum asseclis: sed efformata
1.Cor: 8. 2. *Charitate quæ ædificat.* Nimirum è sacris illis Materiæ Crucis
lignis, *domum sapientiæ ædificans.* Seu *Academiam*, ad quam
convocavit parvulos. Scilicet *parvulum* & pauperem,
Prov. 9. 1. Minorum Patrem, juxta: *Sapientia ædificavit sibi domum,
misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad mænia Civita-
tis, si quis est parvulus, veniat ad me.*

CONCEP: IV. Est Philosophia: *rerum Divinarum Humanarumq;*
Num: 99. *scientia.* Sed & Passio JEsu Christi, Divinarum humana-
Cic: 4. Tusc. rumque rerum cognitio est, indeque *perfecta Philosophia.* In
4 ipsa de *Divinis*, acerbæ institutæ inquisitiones. *Dicas nobis,*
Matt: 26. 36 *si tu es Filius DEI.* Et concludente jam vitam Domino,
illatæ *conclusiones* de Divinis. *Vere Filius DEI erat iste.* Item
de Humanis rebus, propositio facta. *Ecce Homo.* Argu-
mentum ejus erat: tædium pavor morsque: probantia
humanitatem. Quæ, evidentia extiterunt documenta, Di-
Col: 2. 10. vinitatis humanitatisque Domini. *In quo inhabitabat omnis
plenitudo Divinitatis corporaliter.*

CONCEP: V. Cum igitur Vulnera Crucis impressa, donata
Num: 100. quoque Rerum Divinarum Humanarumque cognitio, ait
In Vit. de O- Seraphicus Doctor; *Aderat servo suo Francisco is, qui eum*
bed: Creat. *unxe-*

unxerat Spiritus Domini, & ipse DEI Virtus & Sapientia Christus, cujus virtute fiebat & gratiâ, ut sibi incerta & occulta patescerent.

Involutus erat Ignorantiæ & Dubiorum tenebris, Thomas Apostolus, sed postquam propositum ipsi, Christi plagarum Objectum: cognitione Divinitati Humanitatisque, illuminatus est. Primum enunciavit dicendo, *DEus meus*. Secundum, addendo, *Dominus meus*. Realis Objecti passionis Domini, non tactus sed res & actus, claret in Concrucifixione. Et cur etiam, quam causant Vulnera JESU, *Divinarum Humanarumq; rerum cognitio*, non claresceret? Decet attribuere, hujusmodi Philosophiæ, textum Trismegisti: *Philosophia sola est, in cognoscenda Divinitate frequens obtutus, & Sancta Religio, simplici enim mente, Divinitatem colere, ejusq; facta venerari, agere etiam DEI voluntatem & gratias, quæ est sola bonitas plenissima, hæc est nullius animi, importuna curiositate violata, Philosophia.* Pulchrè assertum D. Joannis Chrysostomi, trutinantis illud Evangelicum, de bajulatione Crucis Christi, convenit portanti Crucis signa. *Is enim Christum sequitur, qui non in periculis modo fortitudinem adhibet, sed modestiam, sed humilitatem, & omne sublimioris Philosophiæ Genus complectitur.*

Joh. 20. 27.

In Asclepiade.

Homil: 56. in Matt.

CAPUT II.

De 21 Scibili Metaphysico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Descriptionem, Divisionem, Differentiam & Objectum Metaphysicæ, declarans.*

I. METaphysica, Usitatius: *trans*, sive *supra Physicam*, aut *post eam* transeuntem, inventa scientia dicitur. Aliter: *Prima Philosophia, Theologia Naturalis, Hyperphysica, scientiaq; transcendentalis.*

 II. Si

II. Si brevior ejus placet descriptio, sit: *Est scientia Theorica de Ente immateriali, quatenus Ens est.* Si explicatior? sit: *Est scientia speculativa, tractans de Entibus immaterialibus, eorumq; differentiis, independenter à lumine supernaturali, investigansq; intrinsecas veritates rei.* Talia Entia sunt: DEus, attributa ejus, Angeli, spiritualia ipsis connaturalia, Gradus rerum superiores ac formalitates, communes substantiis ac Accidentibus realibus.

Alphar: de Div: Scient: L, 1. III. Dividitur à nonnullis Metaphysica in tres partes. *Prima* inquirit de Essentiis, & de rebus quæ accidunt eis, secundùm quod sunt Essentiæ. *Altera*, de principiis demonstrationum in scientiis *Speculativis, Naturalibus, Doctrinalibus.* Investigando Verificationem earum, substantias atque Proprietates. *Tertia*, inquirit de Essentiis, quæ non sunt corpora, nec in corporibus. Earumque considerat perfectiones æquales, vel inæquales, quousque perveniat ad extremum perfectum, quo perfectius nil esse potest, nec aliquid simile, nec æquale, nec contrarium, nec præcedens, scilicet Ens Entium.

IV. Cum appelletur Metaphysica, *Theologia* quod de DEO tractet, conveniatque cum illa in quibusdam objectis. Differt tamen *in modo cognoscendi.* Etenim lumine solo naturali, per abstractiones, præcisiones, distinctiones, devenit in cognitionem Veritatum, Entisque Entium. *Theologia* verò, suffulta non lumine naturali, sed supernaturali revelatione; sacris declarationibus; & ratione Scientificâ; cognitionem Entis supremi, investigat.

V. Objectum ejus, non obstantibus diversis sententiis, statuendum est: *Ens reale ut sic.* Si autem quæras, sub qua ratione Formali? scias quòd sub ratione *Entis ut Entis.* Etenim ratio non est formalis in Ente, distincta à ratione Entis, quam adaptare possit Metaphysica, suæ Formali-

malitatis conceptui. Nisi velis *Ens reale*, pro Objecto materiali sumere, & Ens *reale immateriale*, pro Formali, Metaphicæ.

INVENTIO. Conceptibus V: *Abstractionem Metaphysicam, Distinctionesq́ ejus per sacras figuras, in concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. NOvæ artis magisterium, induxisse Jacob Patriarcham, dum agnos ab agnitione dicendos, *Cognoscunt Pastorem suum*; optans edocere Contemplationem, ad efformandos varios *conceptus* prolis. Materialis Abstractionis pro Objecto: *Virgas a cortice abstractas*, proposuit. *Tollens ergo Jacob Virgas populeas Virides, & amygdalinas, & ex platanis. Ex parte decorticavit eas, detractisq; corticibus, in his quæ spoliata fuerant candor apparuit, illa vero quæ integra fuerant, Viridia permanserunt, atq; in hunc modum color effectus est Varius, posuitq; eas in canalibus, ubi effundebatur aqua. Ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent Virgas, & in aspectu earum conciperent.* Porro Inventiosus hic Pastor: cujus aliquando Mater, *pelliculas hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit. Præfiguravit Christum, qui hædinis circumdatus fasciis, id est peccata nostra in se assumpsit, ut ea lueret.* Inquit S. Augustinus. Et certè Dominus, *Agnos Ovesq́*, quas in cervicali humeri sui portans, *Petri pascuæ* commisit. Imbuit contemplatione *Sapientiæ Christianæ*, ad Varios pariendos conceptus virtutum. Actusque: *Amoris & Timoris DEI; honoris passionis suæ, & horroris passionis inferni.* Non verò ad conceptus informes concupiscentiæ: *quæ cum conce erit, peccatum parit; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.*

CONCEP: Num: 101.
Joan; 10.14.
Gen: 30.37.
Gen: 27.16.
Lib: cont: Mend: c 10
Joan: 21.15
Jacob: 1.15.

Francisci in fonte sanguinis stigmatum: *speculationis talis*, facta experimenta, demonstrataque. Etenim pro

Vir-

Virgis Viridibus: est mysterium *Virgæ Crucis.* Domino ponde-
Luc:23.31. re ejus gravato, dicente: *Si in Viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Isaiàque, de Passo Christo narrante: *Et ascendet*
Is. 53. 2. *sicut Virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti, non est species ei neq; decor.* Pro excorticatione autem Virgarum non totali, sed *ex parte:* est in Concrucifixione, *avulsio cutis.* Membrorumque dissectione, *abstractio* à carne. Nec *totaliter*, quia non in toto absolutè corpore, sed in parte membrorum: manuum, lateris, pedum.

CONCEP: II. Sed attendis forsan, ad perlucidas *canalium* aquas?
Num: 102. in quibus Jacob reposuit Virgas. Hæ effusione sanguinis, è Vulneribus. Ac ipsamet morali Pænitentiæ aquâ, *Ef-*
Thr: 2. 19. *funde sicut aquam cortuum, ante conspectum Domini.* Exprimuntur. Sicut autem Canales, *plures numero*, denotantur fuisse: ita pluralitas, quinque vulnerum adest. In quibus Christus, reposuit Virgas abstractionis *Cælestis Metaphysicæ*, tanquam in canalibus. Ut homo malus, *à concupiscentia*
Jac: 1. 14. *sua abstractus & illectus*, non *trahatur ad malum.* Sed attrahatur ad JEsum Christum Crucifixum, dicentem: *Ego si ex-*
Joan:12.23. *altatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum, hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.*

CONCEP: III. Juxta commune Scholarum axioma: *Qui bene*
Num: 103. *distinguit bene docet.* Moyses Propheta DEI eximius, ut cognitionem cœlestem considerationum Metaphysicarum, instillaret Israeli de *Ente necessario* simpliciter, nimirum DEO summo vero, cujus nomen *Ego sum qui sum,*
Gen: 3. 14. variis *distinctionibus* usus est. Primò, *aquas maris* distinxit,
Ps. 77. 24. ad aperiendum siccum iter. Postea, *interrupit Petram in ere-*
Ps. 77. 13. *mo, & adaquavit eos.* Item, *januas cœli aperuit, & pluit illis*
supr. *manna ad manducandum.* Quæ *Materiales Distinctiones,* non sine effectu. Nam populus perceptionem, intelligentiam-
Exod. 15. 2. que suam enarravit, & confessus est. *Iste Deus meus & glorificabo eum, DEus Patris mei & exaltabo eum.*

Chri-

Chriftus Salvator, ut memoria Pasſionis ejus reiterare-
rur ;qualitasq; vulnerum, evivifico exemplari cognoſcere-
tur ; atque inde omnis humana lingua, corde proferret
cum Iſraele : *Iſte DEus meus, glorificabo eum.* Vel cum A-
poſtolo ſcrutante vulnera Redemptionis ſuæ : *Dominus* Joan.20.28.
meus & DEus meus: in Franciſci corpore, prodigioſas
Concrucifixionis expresſit *diſtinctiones.* Ut per diviſio-
nem Carnis vulneroſam, omnibus conſpicuum patensque
eſſet documentum Crucis Domini.

IV. Et quidem diſtinctio, Virgâ Moyſis diviſi Maris. * CONCEP: Num. 104.
(quod movetur curſu agitabili, unde quaſi non careret pe-
dibus, de eo dictum : *quid eſt tibi Mare quod fugiſti*, atque,
Mare vidit & fugit.) Patet in vulneribus pedum, motu Pſ. 113. 5.
acceſſus & receſſus, præditorum, & intra ſciſſuras carnis,
aquas ſanguineas maris rubri, continentium. *Diviſit* Pſ. 135.13.
mare in diviſiones. Ad ſimilitudinem verò *Petræ diviſæ.*
in Scaturiginem aquarum defluentis: Vulnus lateris cen-
ſendum. Propter myſterium, expresſionis Vulneris late-
ralis Chriſti, *Petræ comparati.* Demum, inſtar *cælorum aper-* Joan:19.34.
torum, manna dantium, ſunt ſtigmate diſtinctæ manus, 1.Cor.10.4.
dantes & porrigentes manna manantis cruoris. Ut enim Specul. Vi-
cœli, Divinæ ſedes ſunt reſidentiæ, ita manus Franciſci, por- tæ S. Fran.
tatione Chriſti, in ſpecie puſionis parvuli, ad ſuaviandum
à DEI para ſibi porrecti, *ſedem cæli* præſtarunt.

V. Cauſa autem & Finis, Diſtinctionum Moyſis pro- * CONCEP:
digioſarum non erant: niſi *Crux* J*Eſu Chriſti.* Præfigura- Num. 105.
ta Virgâ Portentoſa. Juxta S. Auguſtinum & Damaſce- Serm. de
num. Illa aperuit *cælum*, interupit *petram*, diviſit *mare.* Temp. 90.
Ut præfiguraretur Cruce Chriſti, cœlos homini aperien- L. 4. c. 12.
dos; petram duri cordis ejus emolliendam; mare gratia-
rum dividendum diſtribuendum. Jam autem in Concru-
cifixione Chriſto Franciſci, quis Divinæ Crucis præſenti-

am non videat? quis efficaciam non agnoſcat? non jam in myſterio Virgæ Moyſis, ſed re ipsâ productæ & re-præſentatæ. Igitur felicioris, quam terrenæ Metaphyſicæ, *Modis ſciendi*, in Stigmatibus, *Sapientia Crucis expreſſa.*

CAPUT III.

De 22. Scibili Phyſico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Interprætationem, Deſcriptionem, Qualitatem, Objectum, Conſiderataq́ Phyſicæs, declarans.*

I. PHyſis ex Græco, Naturæ imaginem, ſignificat. Hinc *Phyſica:* Scientia naturæ, ab aliis: *Philoſophia naturalis*, dicitur. Sumpta pro omni cognitione Naturalium, traditorum in Libris aut ſcriptis, in Genere aut Specie, intitulatis *Phyſica:* appellatur *Naturæ auſculatio.*

II. Deſcribi poteſt: *Eſt ſcientia theorica de ſubſtantia corporea naturali, habente in ſe principium Motus & Quietis, tradita prælectione vel explicatione.* Adduntur que poſtrema, quòd ſit *Scholaſtica.*

III. Phyſica contemplans Naturalia, non ad aliquos effectus, extra Intellectum, ſed ad indagandas veritates, quoad omnem ſui partem, eſt ſpeculativa. Niſi quis ad eam reducere velit *Medicinam, Alchimiam, Agriculturam*, & alias Facultates, omnino diſtinctas, licet ſub alternatas ipſi. Tunc enim quoad aliquam partem ſui, *Practica* eſſet.

IV. Sumpta pro omnibus Cognitionibus *de Natura Rerum.* Quoad omnem ſui partem, non erit *ſcientia.* Sed partim *intellectus*, partim *ſcientia.* Quoad partem *Opinio*, partim *Fides*, id eſt cognitiones quæ innituntur authoritati & ſententiæ Philoſophorum, Dantur enim de *Naturali-*

qus

bus Conclusiones scientificæ; Discursivæ; dantur cognitiones absque discursu; intellectivæ simpliciter, dantur probabiles. Ut patet ex tanta diversitate opinionum, secreta Naturæ explicantium.

V. Objectum Materiale adæquatum: *Substantia corporea completa*. Breviùs. *Corpus Naturale*. Et debet habere partes extra partes. Ad distinctionem *Corporis Mathematici*, trinæ dimensionis, *latæ, longæ profundæ*. Ad distinctionem *Corporis Physici, alterius partis viventis*. Quod est quid incompletum, & permodum objecti adæquati, non est *per se tantum* considerationis Physicæ. Ratio autem Formalis objecti, est *Corporeitas*, per quam abstrahitur substantia corporea, à consideratione aliarum scientiarum. Cùm nulla agat de corpore, sub hac formalitate, nec possumus habere Conceptum de Corpore, sub alia ratione, *Mobilitatis* verbi gratiâ. Quin consideremus ipsum, ut est Corpus.

INVENTIO. Conceptibus V: *Doctrinam Physicæs cœlestem, Objectum ejus passiones & proprietates, documentaq́ corporea, in Concrucifixione Christi repræsentans.*

I. RAtionales, sed incurvatæ ad terram, cœlestiumque inanes animæ, fastidiunt plures, mole corporis gravatæ, cœlestem sapientiam, nec obediunt persvasioni salutari: *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*. Corporea enim magis propiora sunt sensui, quam intellectui. Et *Corpus aggravat animam*. Igitur sapientia æterna, corpus physicum induit, & in *Cathedra Crucis*, pro objecto illud exposuit, novamque Physicam, *quæ desursum est sapientiæ*, docuit. Inquit Laurentius Justinianus: *Non in lapide non in ligno, sed sanguine proprio, in sua carne, conscripsit Librum*

* CONCEP: Num. 106.

Col. 3. 2.

Jac. 3. 17.

Lib. de Humil. c. 21.

Salvator. Utq; ab universis legeretur, publice in Crucis pluteo exposuit. Habet in eo foris, simplex & indoctus quod legat. Habet Spiritualis & perfectus, quod intus intelligat.

Igitur *dulcis Magister* animarum, ut recogitarent amarentque, corpore amictum Salvatorem vulneratum: Physicæ doctrinam cœlestem, sub objecto ejus corporeo, in Francisci Stigmatisato corpore, reintegravit, restituit & tradidit. Corporeis nempe signis vulnerum, seipsum describens, redemptionisque media apertè exarans. Potest

Col. 1. 24. proferre S. Pater: *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

* CONCEP: Num. 107. Philip. 1, 20. II. De Stirpe Beniamin Apostolus, dicens: *Magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam sive per mortem, mihi enim vivere Christus est, mori lucrum.* Corporis Physici descriptionem Aristotelicam: *quod in eo sit principium Motus & Quietis*, expressit.

Ps. 103. 1. In Corpore quoque Concrucifixo, *Magnificatus est Vehementer Dominus.* Corporis sui Physici, *Motum* in Passione *Violentum*: perfossione Crucifixioneque, exprimendo. Et *Quietem*, memoriâ nimirum impressâ mortis suæ. In-qua, ei, *factus est in pace locus.* Dumque ut promisit, explevit: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Et magnificatus item Christus in corpore Francisci, *per vitam.* Cum passionis ejus, vivens biennio, mysteria prætulit. *Per Mortemq;.* Dum mortuus mundo, Mortis Domini detulit insignia. *Davidicum Magnificat*, potest decantare anima

Ps. 148. 14. ejus: *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.*

* CONCEP: Num. 108. III. Præterquam Corpus, ut habet *principium Motus & Quietis*, est considerationis Physicæ: Sed & quatenus *habet partes extra partes*, Afferente Philosopho: *Corpus omni-*

omniquaq; divisibile est. Ethymologiaque venit corporis: L. 1. de Cœlo & Mund.
à *Correlatione & partibus.* Quod in esse compositi, correlatione unioneque inter se partium distinctarum, constituatur. Characterisatum Sacra Cruce corpus: dispertitum Vulneratione *divisumq;* est. Atque ut partes Corporis divisibiles, *Unitæ* sunt in Composito Physico. Ita membra *juncta sunt clavis infixis*, qui moti, ab una ad alteram resilibant partem, juncti nervis radicitus in medio. Proferendum de corpore, Christi Vulneribus decorato: *DEus temperavit corpus ei.* S. Bon. Vit. c. 15. 1. Cor. 12 24

IV. Passibilitas Corporis Physici: sensibilis passio est. Eam David in votis habuit, sustinere pro Christo: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* * CONCEP. Num. 109. Ps. 118. 120.

Timor, quo Francisci confixæ carnes, est passio JEsu Christi, in qua cæpit *pavere & tædere*, timoreque mortis affici. Hoc inquam timore, non in singulari, *Caro.* Sed *Carnes confixæ.* Etenim, non in una parte corporis, sed in quinque membris, prodigiosè *fixuræ clavorum* repositæ sunt. Marc. 14. 33. Joan. 20. 25.

B. Pater, juxta: *Frequens Meditatio, carnis afflictio est.* Dum Salvatoris sui Passioni, continuò adhærens meditationi, compatitur. Quòd nemora rugitu luctûs; celas singultu repleret, ad instar: *Rugiemus quasi ursi omnes, & quasi columbæ meditantes gememus:* affligi in *carne* sua, Christo confixione, gratiâ DEI, dignus effectus est. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis.* Eccl. 12. 12. Wad. T. I. ad init. Is. 59. 11. Gal. 5. 26.

V. Plagarum Christi cicatrices, in redivivo corpore ejus, hanc etiam ob causam retentæ censentur. Ut demonstrent, non solum corpus illud, unum idemque esse, sed etiam quod in Cruce suspensum fuerat. Ait D. Chrysostomus: *Noluit Christus corporis sui membra Vulnerata, post resur-* * CONCEP: Num. 110. Homil. 86. in Joan.

resurrectionem abolere, sed lanceæ & clavorum foramina retinuit: ut ipsum Dominum, & neminem alium pro eo, resurrexisse intelligas. Et hæc corporea documenta, efficacissima fuere, ad corroborandum in fide Thomæ Apostolum, & in ipso omnes, quotquot sunt credentes.

In corpore Francisci Christi plagæ, post mortem & hucusque retentæ, quasi recentes, apparentes: efficacissima fuerunt materialia documenta, ad erudiendum mysterium, mortis JEsu. Et ita multiplex probavit rerum eventus, præcipue dum Civis quidam Assisii, celebris & S. Bon. Vit. c. 15. literatus, nomine Hieronymus, post mortem Sancti, de Vulneribus dubitans, non ferventius, sed audacius ut *Thomas*, in concursu Fratrum & Concivium, adfluxuque Populi, movebat clavos, manusque ac pedes rimans, & lateris vulnus manibus attrectans: ex tam evidentissimo Objecto Sacræ Physicæ, cum *fideli Abraham* exultavit.

CAPUT IV.

De 23. Scibili Physiologico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Differentiam, Descriptionem, Divisionem Objectumque Physiologiæ, declarans.*

I. *PHysiologia*: Naturæ rerum Inquisitionem significat. Idque quoad Virtutes, Qualitates, Accidentia, intrinsecas extrinsecasque Proprietates.

II. Physicæ Scientiæ, pars potissima. Ut nomen ipsum simile, denunciat. Distinguitur tamen: quod *Physica*, considerat *corpus naturale*. Quoad principia constitutiva & perfectiva in communi. Illa: *Corporis physici*, jam constituti & completi, *Qualitates secretiores naturales, innatas, vel communicatas ab Agentibus proximis*, investigat.

III. De-

III. Describi potest: *Est scientia particularis, Naturalis Philosophiæ, Physicæ præsupponens dogmata, considerans rerum naturalium intrinsecas virtutes & qualitates, ac etiam extrincas, singulari aliqua passione vel actione præditas.*

IV. Ut est *Contemplativa Physiologia.* Intelligentiam solam pro fine habens, dividenda in *Physicam abstractam.* Natura enim, habet qualitates primas & inclinationes, in abditis rerum, indifferentes, uni naturæ particulari non alligatas. Et in *Physicam Concretam*, considerantem: Naturam in unum collectam, propter unicam integralem rei perfectionem. Inter quas, media *Physica sparsa* statuenda, ad quam spectabit: Natura ut *diffunditur & spargitur*, aut propter omnimodam rerum varietatem; aut *ad summas Minores* insimul exhibendas, ob perfectionem, aggregatam.

Practica autem *Physiologia.* Præter intelligentiam, etiam directionem ad effectus varios, aut ipsammet Operationem prætendens. Dividenda, in *Physicofactivam*, improprie *Mechanicam.* Et *Physicomagiam.* Prior, non est prorsus *Operaria.* Sed Intentionalis. Sagacitate intellectus, operum ad inventorum & perfectorum celebris. Posterior verò, non est illa *superstitiosa*, cum frivolis experientiis Magia. Sed quæ cognitionem qualitatum abditarum naturæ, ad opera admiranda deducit, atque Activa cum Passivis conjungendo, magnalia Naturæ manifestat, miraque ex occultis & specificis proprietatibus operatur.

V. Objectum materiale, statui potest: *Corpus Naturale.* Pro Formali: secreta qualitas ejus, ordinaria vel extraordinaria. Id est consideratio virtutum mirificarum, inclinationumque activarum & passivarum, ad particulares accidentales effectus naturales. Ut virtutis *attractivæ* in Magnete, succinoque. Virtutis *calefactivæ* in vino, croco, aromatibus, & similibus.

IN-

INVENTIO. ConceptibusV: *Naturales repræsentationes Crucis, Symbolaq; ejus in cœlo, Terra, Aquis. In Concrucifixione Christo repræsentans.*

*
CONCEP. I. Num. 111. NAtura Creatorum, ea gratiâ ditata & dotata est, Ut Redemptionis mundi mysterium, signa nempe Sacræ Crucis, suapte natura, formis & figuris naturalibus, in plurimis substantiis & accidentibus, efformet & exhibeat. Quod *à magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Sap. 13.5.

Talia vestigia Crucis Christi, sparsa per varia subjecta naturalia, omnipotentis dextera, in corpore Stigmatisato in unum collegit, & in compendium reduxit. Utque imprimis *primus homo Mundi*, princepsque in terris viventium, extensis brachiis & forma corporis sui, *naturaliter Crucem* exprimit. Dicente Justino Martyre: *Humana figura non alia re, abelluis differt, quam quod & recta sit & manuum extensionem habeat, & in facie, afronte protensum nasum, per quem & respiratio animalibus est, neq; aliud demonstrat, quàm signum Crucis.* Ita secundùm novum Adam, creatus Franciscus, non solum naturaliter, sed & supernaturaliter, Crucifixionis & Crucis Domini, præfert similitudinem, prodigioso & glorioso opere ipsius Excelsi admirabilis. Expletum in illo: *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.*

Apolog. 2. S. Ambr. Serm. 56. Rom. 5. 6.

*
CONCEP: II. Num. 112. Vivificæ Crucis signum, cælorum firmamento, Opifex summus insculpsit, juxta polum *Antarcticum*, quod Hispani & Itali, *Crucigerum* appellant. Est ex quatuor fulgentissimis stellis, quæ circa polum dictum permanent efformata. Et jucunde spectatur ab eis, qui navigantes æquinoctiale versus, ad gradus saltem 22. æquinoctii perveniunt. Item Coluris Tropicis, ac Zodiaci 4. punctis, signis

Perer. Com. in Dan. l. 4.

signis utriusque Æquinoctii, Solstitii, & Brumæ, clare Crux patet.

Franciscus, cantando & prædicando, enarrans laudes DEI, similis cœlis est. *Cœli enarrant gloriam DEI.* Atque sicut firmamentum cœleste, *stelliferâ*, ita ipse *Homo cœlestis*, adornatus est Cruce salutiferâ. Significavitque DEus hoc. Nam recedens à Castello quodam, versus ædem Portiunculæ Vir DEI, Crucem super se habuit auream, in aere mira colorum varietate efformatam, præcedentem in itinere, cumque staret stantem, & ambularet, ambulantem, donec dictam ingressus est ædem. Vidit Socius ejus F. Leo, Confessariusque, & laudavit Omnipotentem. Ps. 18. 7. Leg. 3 Soc. S. Fran.

III. Terra, immediatum sustentaculum Crucis JEsu, in pertrarum suarum duro loco, delicate requiescere sinit Crucis figuras. Naturaliter enim, in Scissuris petrarum, meatus & venas, in formam Crucis exporrigit. Quòd raro inveniatur Saxum non scissum, disruptumque Crucifere. Unde & in Crucifixione Domini, *Petræ Scissæ sunt.* * CONCEP: Num: 113. Matt. 27. 51.

Petræ soliditate Constantiæ firmæ, similis Franciscus. Sicut enim DEus, *eduxit aquam de petra, percussit petram & fluxerunt aquæ.* Ita passo compatiens Christo, *stagnans lachrymis* & diffluens factus. Illumque, conversione à sæculo, DEus. *Convertit petram in stagna aquarum* pœnitentiæ. Ac quemadmodum Petra, frondosas sustinet *arbores*; silices & vertices *acuminosos* habet; nec non scissuras patentes: ita portavit in corpore suo Crucis mysterium, *arboris* salutaris; acuminatorum *clavorum* culmina, ac plagarum JEsu scissuras & foramina. Ps. 77. 16. 26. Ps. 113. 8.

Et quod mirum, ut vulnera Crucis pertulit Christus in *Petris*, tempore mortis ejus scissis. Ita stigmatum impressio facta. *In Petra Alvernæ*, tempore Passionis Domini rupta. Cum enim salebras petrosi montis lustraret S. Pater, Wad. Tom. 1. fol. 122.

 saxum

saxum artificiose instar cubiculi scissum reperit, & ingressus, recitando psalmos pœnitentiales, opificis ejus sciendi desiderio, flagrare cæpit, nam & inferior ejus pars, pavimentum. Et superior rimulam recipiendæ luci accomodam habens, affabrè elaboratæ erant. Angelus itaque ei revelavit, præfatum lapidem, in Christi morte cum cæteris petris, scissum fuisse.

* CONCEP: Num: 114. IV. Flumina, currentibus rivulis transversè, porrectisque diffusione per sinus terræ brachiis, adamussim diffundunt expressionem Crucis. D. Ambrosio censente: Serm. 2. de Arb. Vitæ *Fluvium qui egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum, dividebatur q; in quatuor capita, prætulisse quadrifariæ Crucis figuram.* Stigmatitati lateris, fluviolus sanguinis, *divisus* in quatuor capita membrorum, è duabus volis, è duabus plantis vulneratis effluens. Nonne efformat *quatuor angulos Crucis.*

Wad. T. 1. fol. 280. Sed & Opera Francisci in *aquis*, Crucis mysterio mirabilia. Etenim in Oppido vici albi, Custodiæ S. Benedicti, cum antea non visum, vivarum scaturiginum novum fontem, signo Crucis facto aperiret. In ejus fundo, clare signum Crucis conspicitur, quod prius in terra, inclinatus efformavit.

* CONCEP: Num: 115. V. Sed præter *formas Crucis*, à Natura expressas, prodigiosa etiam portenta eam demonstrant. Lincii, in Austria, Carolo Imperatore comitiorum conventum cele- Lyr. de Chr. Pas. init. f. 4. brante, editus in lucem sub tectis rusticanis infans, qui ante mortem tribus diebus sanguineo sudore perfusus; post mortem, in membris signa vulnerum prætulit. Habens in capite è cranio enatam coronæ spineæ similitudinem. Vivens autem, decem & quatuor diebus.

Wad. T. 1. fol. 115. Non portentoso sed *arcano prodigio*, infans Evangelicus Franciscus, revelationem Crucis Christi, toto bien-

nio

nio, in corpore suo portavit, mundoque anuntiavit. Virtute ejusdem Crucis, corporibus aliis hominum Benedicendo, gratias conferens. Prout Narni in Italia, paraliticum quendam, nomine Petrum à capitè usque ad pedes, protracto per totum corpus ejus, signo Crucis, sanitati integræ restituit.

CAPUT V.

De 24. Scibili Physiognomico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Divisionem, Differentiam, objectum, Considerataq́ Physiognomicæ, declarans.*

I. *PHysiognomicè*, interpretatur cognitio Naturæ Hominis, quoad passiones, mores, affectus naturales. Ex signis externis proportionatis, in cognitionemque talium deducentibus.

II. Notitia *Demonstrativa*, dici non potest. Licet enim innitatur rationi, & discursu, perficiatur, nonnisi tamen, ex probabilibus infert documentis. Differt à *Physica.* Quòd hæc considerat Corporis naturam intrinsecam; illa, solùm signa extrinseca Naturæ. Unde potiori denominatione, *Symioteticè*, de signis scientia, dicenda.

III. Investigationis Physiognomicæ in Universum, tria esse capita: *Primo* Temperementa inquirere, ex eorumque varietate, Morum varietatem, passionum & Affectuum. *Secundo* Conformationes partium corporis & signorum, convenientium creaturis aliis; ex illisque itidem, illationem inferre. *Tertio* Motus corporis considerare, ex illisque inquirere, inclinationes, Motus, actionumque qualitates. A similitudine vel per proportionem naturæ, ad ejusmodi effectus tales.

IV. Signum Physiognomicum. Abstrahendo à *signo Physico*, ut est fumus, ignis. *Astrologico*, ut Cometes eventuum. *Logico.* Ut Terminus rei significandæ: *Est sensibile quidpiam obviam sensui, sive productum à potentia externa, sive ab interna emanans, internos latitantes declarans mores & affectus, aut saltem inclinationes naturales, ad similia.*

V. Consistens intra cancellos naturalis Philosophiæ,
1.Paral.12.8 licita est. Et habet aliquid probabilitatis, innuente sacro
Prov.17.24. textu, de virorum robustorum signis: *Facies eorum, quasi*
Sap. 8. 1. *facies leonis, & veloces quasi capreæ in montibus.* Item, *in facie prudentis, lucet Sapientia. Sapientia hominis, lucet in vultu*
Is. 3. 9. *ejus.* Et Propheta: *Agnitio vultus eorum, respondit eis.*

INVENTIO. Conceptibus V: *Latitantem scientiam cordis, arcanorum internorum revelationem, Cognitionis secretorum signa & Fenestras, in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP. I. SOlius DEI *Scrutantis corda & renes*, inperscrutabilis
Num. 116. humani cordis, intelligentia est: *Ego Dominus Scru-*
Ps. 7. 10. Jerem.17.10 *tans cor & probans renes.* Et Apostolus: *Qui autem Scruta-*
Rom. 8.27. *tur corda, scit quid desideret Spiritus.* Ut tamen & homo, *scientiæ cordium* particeps fieret: misit in terram Magistrum cœlestem, Christum JEsum, qui in latere, aperto lanceâ, cor suum & arcana divina patefecit. Inquit S. Augusti-
Manual. c. 21. nus: *Per foramina corporis patent mihi arcana cordis, patet magnæ pietatis Sacramentum, patent viscera Misericordiæ Do-*
Inalleg. Tilm. *mini.* Alloquitur Salvatorem Bernardus: *Propterea vulneratum esse latus tuum, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile, videamus.*

Franciscus, latus apertum habens, de dulcissimo suo
Iud. 16.18. Crucifixo, dicere potest: *Mihi aperuit cor suum.* Ut olim

gloriabatur Dalila, de Samsone. Sed & nos alloqui Virum DEI decet: Latus tuum vulnere Crucis apertum est. Ut *ex multis cordibus* Jesu *Mariæ & Francisci*, quasi gladio pertranseunte revelarentur cœlestium arcanorum documenta. Non absque mysterio, in Prophetia, de pertranseunte gladio Cor DEI Matris, commemorante Scriptura *multitudinem cordium*, scilicet: *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. Luc. 2. 35.

II. Sinceræ amicitiæ antiquitus Hieroglyphicum erat: Ingenuæ indolis Adolescens, in cujus Vestibus inscribebatur: *Vita & Mors*. Id est vita totâ, post mortemque, Amicitiæ servanda esse jura. Latus verò ejus, apertum cor monstrabat. Id est Amicorum communia secreta, corque vacuum machinationibus debere esse. * CONCEP: Num. 117. Petrus Rebel. Lib. de Amic.

Hieroglyphici hujus formâ, *Amicitiæ Divinæ* symbolum, expressit Omnipotentia: *Adolescens est*, Franciscus, humilitatis teneritudine, juxta: *Adolescentulus sum ego & contemptus*. Est in vestibus ejus scriptio *Vitæ & Mortis*. Nimirum in carne Vestimento animæ, signa mortis Domini delineata, *dæmonem mortificantia, hominem Vivificantia*. Cor autem læso in latere, nonne fenestrâ ejus panditur, & revelatur. veræ Amicitiæ inter DEum & Hominem, Exemplar evidentissimum. Ps. 118. 141.

III. Jehu, Vir fortitudinis, & Zelotes Veri DEI, Jonadab allocutus est: *nunquid est cortuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo?* qui cum respondisset esse. *Levavit eum ad se in currum dicens, veni mecum & vide zelum meum pro Domino*. Scire hic Heros voluit affectum cordis, & non nisi ex Responsis, cognovit. Patens non habuit, nec perscrutatus est. * CONCEP: Num. 118. 4. Reg. 10. 15.

Jehu JEsu figura fuit, qui levavit in *currum Crucis suæ triumphalem*, Concrucifixum sibi Franciscum, anque cor

ipsius rectum cum Corde Christi foret: non verbis corprodentibus, sed vulnerosâ apertione lateris, lustravit ipse, & intelligere alios fecit.

* CONCEP: Num. 119. Com: in Cant. devul. Domini — IV. Didacus Morillo, Concionator eximius refert: Principem quendam, à subditis suis injuriatum. Ut constaret omnibus reconciliatis, nullam apud se acceptæ injuriæ memoriam residere, arrepto pugione pectus suum vulnerasse, ad cor inspiciendum, quàmque benignum esset, cognoscendum. Historia ne an Parabola sit, alii determinent. Hoc Orbi Universo clarum: Francisci lateris vulnus, introspiciendi habere facultatem, ut cernentes mysterium, intelligerent cor ejus: *Veram sedem amoris Divini fuisse; amoris mundi maligni non fovere ignem. Benignum in Proximum suum, Humile erga se.* Gratiâ ejus: *qui novit abscondita cordis, & omne cor intelligitur ab illo.*

Psl. 43. 22. Eccl. 16. 20.

* CONCEP: Num. 120 Cælius L. 9. c. 1. ante Lect. — V. Gratiosum Poetarum commentum est: Deam sapientiæ Minervam, DEum Maris Neptunum, DEum ignis Vulcanum, de artis suæ peritia disceptasse. Atque à proposito, Neptunum effinxisse taurum: Minervam, splendidum Palatium substruere adortam; à Vulcano efformatum hominem. Arbiter diligenter omnia suspicatus, & quid vitii in Operibus esset: in Homine accusavit, debuisse Vulcanum pectus ejus effingere fenestratum. Ut eo recluso & patenti, omnibus perspicuum esset: quid vellet quid meditaretur. Cum sit cor hominis inperscrutabile. Sapientiæ Divinæ opus Concrucifixionis, subire censuram non potest. Quasi *fenestrâ cordis* in aperto latere caruerit, introspectionem Cordis impediente. Magnificanda sunt Opera Excelsi, ab omnibus terrigenis, cœlorumque indigetibus. *Bene omnia fecit.*

Marc. 7. 37.

CAPUT

CAPUT VI.
De 25. Scibili Meteorologico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Interprætationem, Descriptionem, Divisionem, Objectum, consideratag; Meteorica. declarans.*

I. *M**Eteoron* idem est, quòd sublime. Dicitur *Meta.* Id est *trans.* Et *Oron.* Id est sublime, vel tollo. Est autem Meteorologia: doctrina de corporibus imperfecte mixtis.

II. Describi potest: *Est scientia Physico Astronomica, investigans causas & Accidentia imperfecte mixtorum compositorum, in aere apparentium.* Physica dicitur. Quatenus causa materialis Meteororum, sunt res naturales: *terræ Vapor,* & *aqua. Astronomica.* Quatenus sidera vel stellæ fixæ, efficientes sunt Causæ generationis conservationisque.

III. Ratione *Modi considerationis* objectorum, Meteorologia, aut est *Physica*, aut *Astronomica*, aut *Historica*. Illa constitutiva naturalia trutinat. Hæc Efficientia Planetarum, elevationes, stellisque affixiones considerat. Posterior, antiquitatis memoriam ac traditionem, quoad effectus calamitosos, portentosos, apparitionesque diversas, recolligit.

IV. Objectum, est Meteoron. Apparitionisque ejus Qualitas. sunt autem Meteora *Ignea*, *Aerea*, *Aquea*.

V. Ignita Meteora duplicia esse. quædam puriori Vapore seu fumo constant, suntque decem, & quinque, in suprema regione aeris generantur: *Fax*, *Trabs*, *jaculum*, *Capræ saltantes*, *Scintillæ volantes*, in media, duo, *Stella cadens* & *Lancea ardens.* in infima regione tria: *Draco ardens*, *ignis fatuus*, & *Ignis lambens.* Quædam ex impuriori exhalatione sunt. ut *Cometa* & *Fulmen.* Ætherea autem Meteora esse

esse duo: *Ventum* & *Terræ Motum*. Aquea item duplicia: quædam ex humore, admodùm aquæ vicino generantur. Ut *Nubes*, *Nix*, *Nebula*, *Ros*, *Pruina*. quædam constant ipsa aquâ. idque aut liquidâ aut concreta. Ut *Pluvia* & *Grando*.

INVENTIO. Conceptibus V: *Signa Meteorologica, Cometarum circumstantias, portenta, Nubesq́ roridas, in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: I. Num: 121. NAtura, stupendo opificio, ex iis quæ inter cœlum & terram generantur, admiranda producit *Cometam*. ad præcavendos, a calamitatibus futuris incolas Orbis. Sancto Damasceno, *disputatione suâ*, deducente: peculiaria talium eventuum a Deo constituta esse signa, in apparitionibus Meteorologicis. nec Herodoti hominis ethnici, ethnica vox: *Cum Dii punituri sunt gentem vel Urbem, prodigiis id solent prius significare, ut placari possit ira eorum.*

Lib.2.Orth. fid. c. 27.

L. 6.

Salvator Mundi benignissimus, ut alliceret Genus humanum, ad dignos pœnitentiæ fructus, & deterreret a peccatis: non usitato Naturæ opere, sed arcano sapientiæ Crucis, *Signum Rationale*, Meteorologico Cometæ non absimile, in signis Redemptionis impressis, exhibuit. Quemadmodumq; *Meteoron*, græco idiomate, significat *sublime*, aut *suspensum*. quòd suspensos reddat spectatores. illudq; ipsum, in sublimiori aeris regione suspendatur. & quemadmodùm latine *Impressio* dicitur. quòd varias impressas formas in materia sua, ut lanceæ, columnæ, iaculi, facis, referat. Ita spirituale Meteoron Vulnerum Crucis. in *sublimi Monte Alvernæ* productum. a Christoq; in sublimi de aere apparente causatum. Visus enim est, *de cælorum sublimitate descendere, qui volatu celerrimo, ad aeris locum, Viro Dei propinquum perveniens*, impressionem peregit. gloriari potest: *Ecce ego & pueri mei*. Fratres Minores. *quos dedit mihi*

S. Bon. de inpres. Stigm.

mihi Dominus in signum & portentum Israel, a Domino exercituum qui habitat in Monte Sion. Is. 8. 18.

II. Terreus Cometes, licet quovis Anni tempore gignatur, præcipue tamen tempore Autumnali. *Ardet* colore rubeo ignescens. Motor ejus inflammans & elevans, est *astrum cæleste.* Stigmata quoque, in *Autumno* impressa, Mense Septembri. pro *calore rubescente:* est cruor è vulneribus manans. pro *cælesti astro:* Sol Justitiæ, ipse Christus, impressor. Quantùm ad *crinitos radios:* pro eis sunt acuti radii clavorum, ab *orbiculatis vulneribus*, tanquam à rotunda stella prodeuntes. In hoc tamen, mysterium Concrucifixionis, ab ignita figura Cometarum differt: quòd illa Minarum DEI sit vindex. hæc misericordiæ & bonitatis Divinæ index. * CONCEP: Num. 122.

III. Israeli, ut pœnitentiam arriperet, peccata relinqueret, Ezechiel in signum portentumque datus, tale voluntatis supernæ, decretum exequi debuit: *Ante oculos eorum perfode tibi parietem, & eggredieris per eum, & in conspectu eorum, in humeris portaberis, in caligine effereris, faciem tuam velabis, & non videbis terram, quia portentum dedi te domui Israel.* Franciscus Variarum Prophetiarum dono præditus, similiter in salutare mundo prodigium, datus est, alterum Ezechielem exprimens. *Portabatur ille*, in humeris aliorum: hic, ob impedientia gressum vulnera, humeris pulli asinæ, portatus frequenter. in *caligine* ille efferebatur: hic *caligantibus* præ fletu *oculis* ob compassionem Christo, eggrediebatur. Ezechielis velata erat facies: hujus facies *tecta* Caputio vestis Religiosæ. & *non videns terram:* per respectum & affectum terrenorum. Christo enim, commortuo: Mortuus totus erat mundus. * CONCEP: Num. 123. Ezech. 12. 5. S. Bon. Vit. c. 11.

Quoad effectus portenti Prophetici significantis *Transmigrationem populi:* Simile mysterium in stigmatibus. portenden- Ezech. c. 12. 11.

tendentibus, exitum de medio Babilonis, mundanis & va-
Apoc. 18. 4. nis hominibus. *Exite de illa populus meus, ut ne participes*
Matt. 7. 13. *sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.* &, *Intrate*
per angustam portam. quia, *anima quæ peccaverit, morte mo-*
rietur.

* CONCEP. Num. 124. IV. Inter reliqua Meteora ad bonum universi. *A-*
quea, quæ fovent & augent terræ partus, est *Nubes*, *& plu-*
via. Et nubium donum pluvia, nascitur in illis, tanquam
sui materia proxima. Ut non sit aliud, quàm nubes in
Is. 5. 6. aquam resoluta. tonante DEO, *Nubibus mandabo ne pluant.*
S. Patriarcha Minorum, similis est nubibus, thesauro aqua-
rum salubrium plenis. *Gratia enim prædicationis* divinitus
obtentâ, voti Moysis, compos factus est. *Concrescat ut*
pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber
super herbam & quasi stillæ super gramina. Utque morantur
Nubes supra *Montes*, & quasi innixæ eorum cacuminibus
apparent: Ita Francisci in *Montibus* commoratio. in *mon-*
te Calvariæ, per meditationem, ubi Christo impressa sti-
gmata. in *monte Alvernæ*, per habitationem, ubi in ipso, à
Christo expressa.

Non postremus verè ex illis, de quibus sacer vates:
Is. 60. 8. *Qui sunt isti qui ut Nubes volant, ad fenestras suas.* Nam
velociter cucurrit, *sequellâ* imitationis Christi. Et ad *Fe-*
nestras: scilicet scissuras patentes vulnerum Redemptoris
sui. Quod si *raritatem & transparentiam Nubium* deside-
ras? in transparentibus vulneribus Concrucifixionis ejus
elucet.

* CONCEP: Num. 125. V. Diebus Eliæ Prophetæ, grassante siccitate nimiâ,
Nubecula parva quasi vestigium hominis, ascendebat de mari.
3. Reg. 18. 44. & pluvia subsecuta grandis. Arescente in Spiritu Mundo,
siccoque & impœnitenti commissa sua, aspiciente oculo,
surrexit Franciscus: Nubecula parva *cum vestigio hominis.*
Id

id est cum signis Passi JEsu Christi, in cruciatibus passionis, usque ad hominis tantùm *vestigium*, redacti. *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Utque Nubes Eliæ, ascendebat de *Mari*: Ascendens hic quoque de Mari, *amaræ Mortis Domini*, compassionisque Crucifixioni. Detulitque pluvias Mundo *lachrymarum*, docens pœnitentiam, & ad illam exemplo adducens. Ps. 21. 7.

Sed & materiales oppurtune obtulit *pluvias*. nam ad Celanum Oppidum cum parùm substitisset, & accolæ postularent pluviæ donum, licet ariditatem devotionis suæ allegaret, victus tamen instantiis, cœlum fatigavit precibus, quòd subito exortis nubibus, sitim extinxerit terræ. Facile, solvente nubes in pluviam servo DEI oratione, qui mysteriose, fertili pluvià onustas effiguravit benus. Wad. T. 1. fol. 331.

CAPUT VII.

De 26. Scibili Mineratico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Descriptionem, Objectum, Divisionem, Differentiasq; Mineraticæ, declarans.*

I. MInera, Physicis Significat: terram *chalcathosam*, quà venæ metallicæ, plus minus solent esse obductæ. Sumitur etiam pro principiis, ex quibus conflantur Metalla. sed melius pro ipsis venis, in quibus velut matricibus nascuntur.

II. Doctrina Mineralium, describi potest: *Est scientia Physica, considerans Naturam & propietates Fossilium, in visceribus terræ, natorum.*

III. *Minerale*, idem est quod Fossile. sed hoc latius patet, cùm extendatur ad terram *Sigillatam*; & mediæ na-

turæ inter lapides & metalla. ad *ſuccos*, ut ſal, alumen. ad *Lapides* vulgares, ut Marmora; vel *Raros*, quales ſunt pretioſi. *Minerale* autem, tantùm connotat Metalla.

IV. Corporum Foſſilium, plura eſſe Genera. Placent quibusdam *tria:* Lapis, Metallum, Mediumque quid inter hæc. aliis quatuor: Lapides, Igne liquativa, Sulphurea, & Sales. aliis *Sex*, & quidem *ſimplicia foſſilia* quatuor: Terra, ſuccus concretus, Lapis, Metallum. Unum *Foſſile Miſtum*, id eſt corpus conſtans, ex aliis foſſilibus, naturâ conglutinatis. & unum *Foſſile compoſitum*, ut Glebæ variæ terrarum. â quibus denominantur: terræ aluminoſæ, bituminoſæ, Salſæ, Sulphureæ, ſuccis atribus induratæ, nitroſæ, aquæ perfuſione lapideſcentes, tincturis inficientes, & ſimilia.

V. Natura & Differentia Foſſilium, cognoſcitur ex Accidentibus multiplicibus. *Colorum:* foſſilia enim alia nigra, alia alba, Viridia, lutea, rubra, alia verſicolorata. *Pellucidatis, Fulgoris, Nitoris:* Pellucidæ ſunt Gemmæ; fulget aurum; ferrum politum, argentum & ſtannum, candido colore nitet. Item *Saporum & Odorum:* Sapidum eſt ſal, inſipida terra ſigillata. Odor Metallis plerisque, ineſt funeſtus, acrimoniâ ſuâ pulmones exulcerans. Ex quibus & aliis, differentiæ Accidentales, Propriæque, facile indagabuntur.

INVENTIO. Conceptibus V: *Mineralia pretioſa, loca Metallorum, Materiarum Qualitates, Cauſasq; efficientes. in Concrucifixione Christo, repræſentans.*

* CONCEP:I. Num:126. TErra Mundi centrum, non ſine depoſito theſaurorum, à Creatore ſuo, filiis hominum elocata eſt. Viſcera

ra enim ipsius, pretiosissimis referta *Mineralibus*, Orbi universo, decora adferunt munera, ornamenta, medicamenta, & commoda.

Terræ Corporis servi DEI, Christus, mirifico Sapientiæ arcano, stigmata imprimens, quæque pretiosa mundi contulit *Metalla*: Imò pretiosiora. quòd incorruptibilia, nec terrena. Dum signa illa, quandò in Cruce *foderunt manus & pedes ejus*, in carne protraxit, *Mineramq́; fossilem*, exhibuit. Verificatum in illo: *si reversus fueris ad Omnipotentem ædificaberis, & longe facies inquitatem à tabernaculo tuo, dabit pro terra silicem, & pro silice, torrentes aureos.* Job. 22. 23. Etenim *conversione à Mundo*, toto corde reversus ad Altissimum: pro *terra & terrenis spretis*, obtinuit *silicem* petrosi Alvernæ Montis. & pro silice, *torrentes aureos*. nimirum Christum Crucifixum cujus caput est; *Aurum optimum*. Cant. 4.

II. *Matrices* Metallorum, in variis solent esse locis. gignuntur *in ruinis Montium*. efformantur in *Nubibus*, licet raro, concrescente inter illas halitu vaporoso. reperiuntur ramenta auri, in *fluviis*: Pactolo Lydiæ, Tago Hispaniæ, Rheno & Danubio Pannoniæ, Ado & Pado Italiæ, grumulos auri deferentibus. * CONCEP: Num: 127. Arist. L. 3. Meteor. Eus. Mirab. Nat. L. 16.

Francisci vulnera Crucis: effossis in carne scissuris, in *celso Monte* Alvernæ inventa sunt. Item quasi in *Nube*, nata. nam stigmatisatum corpus, livore violaceo cicatricum dolorosarum, simile *Nubi*. Divo Gregorio, ad illa verba Prophetæ: *qui sunt isti, qui ut Nubes volant*, Sanctos nubibus assimilante. Is. 60. 6. Hom. 18. in Ezech. Denique quasi in Fluminibus auri ramenta deferentibus, reperta. scilicet Sanguinis. fusè è plagis sacris scaturigentis. Appositè increpanda est, Mundi Sacrà fames auri: *Eia Avaritia, non satiat te auri cupiditas, pereunt cujus thesauri, aurum tuum & argentum*, Hor. de Pass. Chr. fol. 14.

vertitur in scoriam, mortuum corpus non ornant, non exhilarant. Franciscus pauper, gaudet auro argentoq́, scilicet signis Crucifixi Redemptoris, cujus in Cruce expansæ manus tornatiles aureæ, Sponsa Sacra asserente. hoc Thesauro, mortuum quoq́ corpus ejus, ut pretiosis metallis insignitur.

* CONCEP: Num. 128. Lib. de Met. & conf. Nat. 1. III. Præstantissimi Metallorum auri, asserit Philosophus materiam esse: Halitum humidum, ex vapore & exhalatione, prævalente in eo humido vaporis, compositum. & intra terræ viscera, potissimum lapidibus conclusum, conglutinatum. Ut quemadmodum Ros & pruina ex vapore elevato à terra, & addensato aeris circumfusi frigiditate, fit. ita metalla ex vapore, adhuc terræ inexistenti, & frigiditate concreto, generantur.

Seraphica vulnera, similibus Spiritualium Metallorum *materiis* referta: Pro *vaporis exhalatione*, sunt spiracula
Jacob 4. 15. vitæ mâterialia, *Quæ est enim vita vestra, vapor ad modicum parens.* vel si solidiora cupis? Est Spiritus Sancti gra-
Joel. 2. 13. Act. 2. 2. tia, afflantis Apostolos *in spiraculo venti in vapore fumi.* in
Is. 57. 15. Francisco requiescentis. *In Sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu, ut vivificet Spiritum humilium, & vivificet cor contritorum.* Utque *Vapor materia auri*, primò, est *aqueæ naturæ.* ita Sanctus, densa jejunia, pane & aqua peregit, & lachrymarum imbre sæpe perfusus.

* CONCEP: Num. 129. IV. Prout species Metallorum diversæ sunt, ita & Qualitates. *Virtutis solidæ:* est Aurum Æs, Ferrum; *mollis:* stannum, plumbum; ardore nimio nonnisi, liquescit ferrum. *grave* est aurum, præ compactione densa Materiæ; plumbum, præ nimia terræ admixtione; leve est argentum, præ subtilitate & raritate materiæ.

Patientissima toleratio stigmatum: Virtus est Solida.
1. Pet. 5. 10. *DEus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos, in æternam suam gloriam, in Christo JEsu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit*

bit solidabitq. Fluiditas Metalli, in fluida liquefactione sanguinis, cernitur. *Levitas & Pondus* Metalli, in *ponderosæ* tribulationis Concrucifixivæ, cœlesti *alleviatione* sentitur. *Momentaneum & leve, tribulationis nostræ supra modum, in sublimitate æternum gloriæ pondus, operatur in nobis.* 1.Cor.4.17.
Itaque Concrucifixio Christo:

Hæc eadem argenti rivos, ærisque metalla. Virg. in Georg.
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.

Juxta: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis.* 1.Pet.1.18.
sed nobiliore.

V. Sed & *Causæ* Metallorum *Efficientis* Naturalis, non deest expressio. Nimirum *virtus syderum*, præsertim solis, cujus vis & influentia, ad similes effectus, mirâ efficacitate polet. Item *virtus Caloris*, proxime concurrens, extenuans humidam exhalationem, excoquensque. atque *virtus Frigoris*, quod suapte ingenio, congregat eandem exhalationem condensans & constipans. Quare cum metalla igni dantur, liquescunt; cum frigescunt, concretionem assumunt priorem. * CONCEP: Num: 130.

Uulnera Francisci, à *Sole Justitiæ* producta esse, nulli obscurum. *Christus apparuit cum tanto splendore, de nocte, quod illuminavit montes & colles, circumquaque distantes, amplius quam si Solis claritas affulsisset. de quo testes fuerunt pastores, qui per partes illas cum gregibus vigilabant. sic etiam custodes arcium & castrorum tunc vigilantes, Rocchigiani dicti.* Pis.Confor. L. 3. fr. 3.
Quoad *Virtutem Caloris.* de Seraphicis flammis præcordia servi DEI præoccupantibus, nulli dubium. canente prosâ.

In Monte Vir devotus, Vigil, nudus, ardens totus. Hym. Stigm.
Crebra dat Supiria.

Frigoris demum *Virtus*, coadunativa Metalli: in lacero vestitu, affligente corpus, juxta: *in frigore & nuditate.* omnibus patuit. 2.Cor.11.27

Sed

Sed myſterium pretioſi Metalli, in re ipſa repræſentatum videamus. Ante ipſam impreſſionem vulnerum, Hiſt. Alu. fol. 84. apparuit Chriſtus, poſtulavitque à Franciſco, ut ſibi aliquid offerret. Qui cum paupertatem allegaſſet, dixit ei: *Mitte manum tuam in ſinum & quidquid inveneris, offer mihi.* Miſit ille aureumque extraxit numiſma, & obtulit Domino. quod cum iterum & tertiò feciſſet: tria auri metalla porrexit, donavitque Salvatori ſuo. ad quem Dominus: *ſciſne quid obtuleris?* tres *Ordines quos inſtituiſti.* Brevique poſt, auro ſtigmatum, locupletatus eſt.

CAPUT VIII.

De 27. Scibili Medico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Deſcriptionem, Differentiam, Partitionem, Conſiderata, Objectumq́, Medicinæ, declarans.*

Lib. 3. Medic. I. BOna eſt difinitio, Avicennæ communis. ſed & hæc: *Eſt Scientia conſervationis ſanitatis, curationis morborum, & prolongationis vitæ humanæ, medicamine naturali.* Hoc à *Modificatione* dicitur. quòd infirmitatem modificet, ex intenſa minorem, vel nullam reddendo. Vel à *Modicitate*, modice enim adhibendæ res medicæ. cumque, Eccl. 38. 4. *Altiſſimus creavit de terra medicamenta, & Vir prudens non abhorrebit illa.*

II. Sunt qui Doctrinis Mechanicis, non ſcientiis, adnumerant Medicinam. quòd naturæ humanæ indigentiis, inſerviat. Sed quia, etiam in mentis ſpeculatione conſiſtit, potius cenſenda eſt media, inter *Practicam* & *Theoricam.* id eſt partim Practica, partim Theorica. non quòd unius ſit *ſcire*, alterius *operari.* nulla enim earum eſt, niſi

ſcientia

ſcientia. ſed quod una, ad ſcienda principia ſanandi; altera ad ſcientiam operandi, ſeu exequendi facultatem, ordinetur.

III. Theorica indagatio Medica: eſt ſpeculatio Cauſarum, Naturarum, complexionum, humorum, membrorum, ſanitatem vel infirmitatem concernetium. Dividiturque in *ſcientiam Naturalium*, in rebus inanimatis, in corporibus ſenſibilibus & Inſenſitivis exiſtentium, quoad Virtutes, actiones, Spiritus, humores. & ſcientiam Non naturalium, id eſt quæ homini, non *curſu naturæ* accidunt, in cauſis Morbi non naturalibus, accidentibus tam ab anima, quàm fortuitò advenientibus, ac ſymptomatibus extraordinariis.

Practica vero *Medicina*, dividitur in tres partes: *Conſervationem ſanitatis*, *Curationem Morborum*, & *Prolongationem vitæ*. Sanitas *conſervatur*. cuſtodiendo corpus, in ſanitate inſtabile, vel ſanitatem recuperando. *Curatur* ſanitas, vel per *Diæteticen*, quæ victùs ratione. vel per *Pharmaceunticen*. quæ medicamentis compoſitis, vel per *Chirurgicen*. quæ manu medetur. *Prolongatur vita:* aut retardatione conſumptionis, aut probitate Reparationis, aut renovatione, per Intenerationem Habitus corporis, ac expurgationem ſucci veteris.

IV. Porro à *Modo Medendi*, Medicinam *Methodicam*, illam volunt: quæ compendium in medendo ſequitur, non rationem elementorum, nec temporum, nec ætatum, nec cauſarum; ſed ſolas Morborum ſubſtantias, conſiderando. *Empyricam* verò, quæ non indiciorum ſignis, ſed ſolis experimentis, in medendo utitur. ac *Hypocraticam:* quæ experimentis Medicabilibus medetur. adjungens rationem & diſcuſſionem ætatum, ac regionum, ægritudinum, ac temporum.

V. *Scientiæ Curandi*, objectum: *Corpus humanum ſanandum*. quod ex omnibus, quæ Natura procreavit, maxime

E

xime est capax remedii. sed vicissim illud *remedium*, maxime obnoxium Errori. Subjecti namque subtilitas, & varietas, ut magnam medendi facultatem præbet, sic magnam etiam aberrandi facilitatem, ut non immerito Medici dicant:

Et quoniam variant morbi, variabimus artes.
Mille mali species mille salutis erunt.

INVENTIO. Conceptibus V: *Medicamenta Corporis, robur infirmorum, curationes languorum, Cordisq; ipsius. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

CONCEP: I. * Num. 131. DEus, Pater Consolationis, amantissimus filiorum suorum Creator, ita Mundum dilexit, ut Filium suum unigenitum, daret illi Medicum, non solum ad curandos *animarum* morbos, sed etiam *Corporis*. *Circuibat totam Ga-*
Matt. 4. 23. *lilæam, sanans omnem languorem & omnem infirmitatem. Omnes*
Luc. 4. 40. *qui habebant infirmos, variis languoribus, deducebant ad eum, & ille singulis manus imponens, curabat eos.* Cum igitur Franciscus, naturali sæpius premeretur infirmitate, utpote corpore debilis, complexione subtilis: mortificationibus etiam ac jejuniis, attenuantibus. ipsâ sacratissima DEI
Revel. Extraord. c. 6. Matre, Sanctæ Birgittæ enarrante: *Sanctus Franciscus, diu fuit infirmus,* & tamen tunc *fecit fructum & velle DEI.* infirmo Corpori ejus, Medicus Salvator, *imposuit manum suam,*
Lib. de Agon. Chr. c. 11. Concrucifixionis efformando vulnera. Inquit S. Ambrosius: *Vulnus est quod Christus accepit, sed medicina est, quam effudit.* Confirmante D. Bernardo: *post hoc tam potens at-*
Serm. 61. in Cant. *que efficax medicamentum, nulla jam nos posse morbi malignitate terreri.* Nec incongruè, Vulnera JEsu dicere: efficacissima infirmitatum remedia. cum ut refert *Franciscus de*
De Vuln. Dni. c. 5. *Ossuna,*

ossuna, celebrari missas in Hispania pro Infirmis, de Vulneribus JEsu Salvatoris nostri, pluresque hoc sacrificio sanctissimo, integram valetudinem recuperasse.

II. Infirmitatem, non solum esse corporis realem, sed & moralem. Infirmitas censetur à Mundanis: *simplicitas, Paupertas Humilitas.* Magnalia & quæ sunt præsumptionis spiritûs, robusta. sed judicatur sensu secundùm Carnem. In Viro DEI, *infirma Mundi elegit DEus, ut confundat fortia.* confortans eum & robustum reddens, Filii sui JEsu Christi *communicatione signorum Mortis*, ex dilectione. est autem, *Fortis ut Mors dilectio.* atque efformatione Vulnerum Crucis: quâ fortitudo Mortis, destructa est. *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit Mors.* * CONCEP: Num: 132. 1.Cor. 1.2. Cant. 8. 8. Hab. 3. 4.

III. Non minorem esse causam occasionemque infirmitatum, & sæpius Mortis, Tristitiam. *Nonne tristitia inest usq; ad mortem, à tristitia enim festinat Mors & cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit cervicem.* Etenim exsiccat ossa, spiritus reprimit, cor sauciat. Non vitiosa sed gloriosa & virtuosa, Crucifixo DEO homini, condoluit *tristitâ* servus DEI. testatur S. Bonaventura: *Flebat adeo amare Christum passum, & quos pertulit dolores adeò amare recogitabat, ut non lachrymas sed sanguinem effundere videretur.* Itaque debilitanti corpus Tristitiæ. *Omnis plaga tristitia cordis est.* ab illo, *qui sanat omnes infirmitates nostras:* vulnera Crucis apposita, in medicinamque salutarem exhibita. *Livore ejus Sanati sumus.* Proferre Sanctus cum Divo Augustino potest: *O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia tristia repellentem, omnia necessaria reparantem, nimirum mortem Salvatoris nostri.* * CONCEP: Num. 133. Eccl. 37.1. It. 38. 19. Wad. app. An. fol.25. Tom. 1. Eccl. 25.17 Ps. 102. 2. Is. 53. 6. Lib. de Symp. c. 3.

IV. Susannæ, Matronæ nomine Rosa dictæ, deperi-
* CONCEP: bant duo favorem, indigni amatores, ambo *Vulnerati amore*
Num: 134. *ejus*. sed frustrati. triumphante pudicitiâ castæ feminæ.
Dan. 13. 10. Hæc inter arbores horti, complacens aliorum oculis, po-
steaque urgentibus falsis testibus adjuticata morti: figura
potest esse, innocentis in arbore Crucis Domini Sapien-
tiæ, pro stultitia à Judicibus Hierosolymæ judicatæ. Ejus
1. Joan. 4. 10 primus Amator, JEsus Christus. *Ipse prior dilexit nos*,
Qui & *vulneratus amore*. Alter Amator, Franciscus, *si quis*
2. Cor. 13. 3. *non amat Dominum* JE*sum Christum, sit Anathema*, & similiter
amore ipsius, *Vulneratus languensque*.

Ingens itaque Amor Crucifixi Salvatoris, dum totum cor corpusque præoccuparet servi DEI; cum Sacra Sponsa exorabat: Cant. 5. 8. *Filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo*. Ut tandem merita ejus & vota supplicia, nuntiaverint, verbis sororum Lazari, Dilecto ipsius Redemptori: Joan. 11. 3. *Domine ecce quem amas, infirmatur*. Efficaciterque, quòd JEsus Christus, amantem se, *medicamine, quo Orbis Sanatus*, Vulneribus Crucis impressis, confortaret, sanaret. Dignè Petrus Damianius retulit: *Non casu quinque sunt vulnera Salvatoris, lanceæ scilicet & clavorum. sed quia nos fueramus quinque sensuum vulneribus sauciati, per has quinque plagas saluti sumus perpetuæ restituti*. (Serm. 6. de Pass. Dom.)

V. Videtur exprimere Impressionem stigmatum,
* CONCEP: mysterium textûs sacri, quem olim in Synagoga, Medi-
Num: 135. cus Maximus legit: *Traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, &*
Luc. 4. 21. *ut revolvit librum, invenit locum, in quo scriptum erat, Spiri-*
Is. 61. 1. *tus Domini super me, propter quod unxit me evangelisare pau-*
peribus, misit me sanare contritos corde. Cum enim Chri-
stus unctus sit, seu electus *ad evangelisandum pauperibus*, Ve-
rificatur in Francisco: Qui pauper, *Evangelica consilia* ex-
plevit. Regulamque, servandam sdùm *Sanctum Evangelium*,

insti-

instituit. *Contritoque erat corde.* nam acerrimum pœnitentiæ factus exemplar. atque inde infirmus. Narrante Historia vitæ ejus: *Multifariis laborasse infirmitatibus, tamq; graviter, quod per varias, diuturnas ægritudines, consumptus carnibus, quasi sola cutis ossibus cohærebat. exhaustus corporis viribus, inaudita Pœnitentiâ.* Itaque Dominus, *qui sanat contritos corde*, de cœlo visitans, dum sacratissima sua applicavit vulnera, medicamenta detulit, roboravit & sanitate donavit. Usurpandum ipsi: *An experimentum quæritis, ejus qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis, nam etsi Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute DEI. nam & nos infirmi sumus in illo, sed vivemus cum eo, ex virtute Dei in nobis.*

Wad. T. 1. fol. 322.

Ps. 146. 3.

2.Cor.13,8.

CAPUT IX.

De 28. Scibili Pharmaceutico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Interpretationem, Descriptionem, Divisionem, Objectum, considerataq; Pharmaceuticas, declarans.*

I. *PHarmaca*, latine medicamenta dicuntur. & à *Medici mente* denominantur, quòd ex ordinatione & præscripto Medici fieri debent, non verò ex mente Myropolarum, ad quos tantum *Confectio* spectat, non ordinatio conficiendorum.

II. Describitur Pharmaceutica sic: *Est notitia Practica conficiendorum medicamentorum, virtute sua simplicii, aut per compositionem mixtam, valetudini corporis humani, conducentium.*

III. *Pharmatice*, non pro quavis curatione medicabili sumpta, de qua Galenus: Omne auxilium Medicinæ totius

totius corporis, tripartitum est, scilicet *Medicamento*, *Ferro*, *Igne*. sed pro sola curratione medicabilibus rebus, dividi potest *ratione objecti*: in Notitiam Medicamentorum *simplicium Naturaliumq;*. & Notitiam *Compositorum Artificialiumq;*. Ratione Modi. in *Curativam contrariis*, & *Curativam similibus*. Ut frigidum Calido; calidum Frigido. hinc *Antidotum Medicum*. latine *Excontrario datum*, significat.

III. Objectum Artis Compositionis Medicamentorum, est *Confectio Medica*. soletque esse 24. operationum: *Calefactivæ*, *subtilisativæ*, *Resolutivæ*, *Abstersivæ*, *Carminativæ Exsiccativæ Exasperativæ*, *Apertivæ*, *Mollificativæ*, *Digestivæ*, *Incisivæ*, *Frangitivæ*, *Attractivæ*, *Ventositatis*, *Mordicativæ*, *Rubificativæ*, *Facientis pruritum*, *Ulcerativæ*, *Corrosivæ*, *Adustivæ*, *Dirumpentis*, *Putrefactivæ*, *Cauterisativæ*, *Excorriativæ*.

V. Juxta ordinem alium *selectæ Medicinæ*, Confectionum Medicarum adjunguntur reliquæ numero, 21. *Corroboratua*, *Stupefactiva*, *Repercusiva*, *Infrigidativa*, *Ingrossativa*, *Crudum faciens*. Item *Desficativa*, *Expresfiva*, *Opilativa*, *Glutinativa*, *Consolidativa*, *Incarnativa*, *Generativa carnis*, *sigillativa*, *atq; perniciosa*, *venenosa*, *Teriaca*, *Bezeard*, & etiam *Solutivæ*, *Provocativæ*, *Sudoriferæ*. Ex quibus Medicinarum Virtutibus, videre est, quàm plures & diversos, Ars hæc producat effectus.

INVENTIO. Conceptibus V: *Apothecam Myropolarum*, *Vasa Medica*, *Ligna*, *Flores*, *Potionesq; Medicinales*, *in Concrucifixione Christo*, *repræsentans*.

* CONCEP: I. *Num.* 136. Regum & Dynastarum moris est: ad complendam magni-

magnificentiam ſuppellectilis ſuæ, ut *aromaticas Apothecas* conſtruant, impleant, & præſentatui habeant: ita Rex Ezechias, Tyranni Babylonis nuntiis, *oſtendit cellam aromatum, & argenti & auri, & odoramentorum & unguenti optimi, & omnes apothecas ſuppellectilis ſuæ.* Iſ. 39. 2.

Rex quoque JEſus, ut haberet ſuarum in *Regno Eccleſiæ* apothecarum promptuaria, ad ſufficientiam miſericordiæ, ad magnificentiam Omnipotentiæ: Corpus Franciſci, impreſſis Mortis ſuæ inſigniis, efformavit in cellam aromatariam, odoratam, ornatam, & ordinatam. Pretioſiſſima enim Salvatoris Mundi Vulnera, veluti Officinæ Medicæ ſunt. *Ingredere* ait S. Bonaventura, *has Vulnerum Domini JEſu apothecas, & accipe in illis, medicinam ſanativam, reſtaurativam, præſervativam, & conſervativam, ibi quæcunq; appetis, electuaria reperies.* Part. 1. Stim. Amor. c. 1.

II. Apothecæ aromatariæ, ſpirant odoramenta, atque longo conſervant ordine: pixides, vaſcula, repleta ſuccis, unguentis, pulveribus, ex quibus componuntur: * CONCEP: Num: 137.

Pharmaca, Pyriaſes, fomenta, Enchriſtia, Malagma.
Turundæ, Emplaſtrum, ſtrigmenta, amuleta, trochiſci.

Franciſci Corpus, notis Chriſti mortis inſignitum: cella aromataria odorifera, extitit. Teſtatur de ſtigmatibus ſacris, Robertus à Licio: *Per biennium immedicata,* nec unguentis aut aromate *fota, non computruerunt, neq; acrem ſed fragrantisſimum exhalabant odorem.* Utque Tobiæ dictum: *exentera hunc piſcem, & cor ejus & fel, & jecur repone tibi, ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta utiliter.* Sic ſtigmata: Fel amaritudinis Paſſionis JEſu, quaſi in vaſculis, per *Concrucifixionem* repoſita tenent. facta reconditorium medicarum plagarum Chriſti. Serm. 1. de ſtigm. cit. ſedull. Tob. 6. 5.

Sed & *Medicinæ vaſorum expresſio*, ſubſequitur. prædicante enim B. Patre quidam nomine Luceſius, valedixit Ex Ulisſyp. P. 2. L. 1.

mundo. hic in humeris suis, solitus erat portare thecas aromatarias, medicamentis diversi generis, ac saccharo medicato, refertas. Ut ubicunque infirmum inveniret, eundem reficeret curaretque. magno Christianæ Charitatis exemplo, & commodo.

* CONCEP: Num: 138. III. Medicamentorum Alexiteria, Electuaria, Alexipharmaca, aliaque varia genera, componunt ex *Cinamomi corticibus, plantarum radicibus*, arborum floribus & fructibus, à natura, virtute medendi præditis. *Curans mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pigmenta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis.* Speciosam quoque speciérum Medicabilium repræsentationem, cernere licet. nempe pro Arboris medicæ fructibus, foliis, floribus: *Mysterium Ligni sanctæ Crucis.* Cujus *Fructus in cibum, & folia ejus ad medicinam.*

Eccl. 38. 7.

Ezech. 4.12.

* CONCEP: Num: 139. IV. Inter *rosas Medicas*, reperitur *Pentaphilla*, à quinque foliis dicta. quæ aquis suis, oleo, unguento, aliisque ex illa confectis medicamentis, vulneribus curandis, morbisque pellendis admodùm opportuna. E sacratissimo Passionis Christi horto, decerpta Pentaphilla medica, quinque vulnerum rosâ: florent stigmata. Testante de laterali plaga, Seraphico Doctore: *Vulnus autem lateris rubeum, & ad orbicularitatem quandam, carnis contractione reductum, Rosa quædam pulcherrima videbatur.*

Vit. S. Fran. c. 15.

Patefecitque virtutem medicam, Omnipotens. nam descendens de monte Alvernæ, jam Concrucifixus Domino, in finibus Aretinis, solo manuum tactu, oblatum octennem puerum, quatuor annis hydropisi gravatum sanavit. Deo conferente virtutem sanandi membris servi sui, in quibus vulnerum JEsu, medica pharmaca, reposita sunt.

Migl. L. 3. c. 2.

* CONCEP: Num. 140. V. Mortem, quæ ab *esu Vetiti pomi* cæpit, ab ægrotis, sæpius medici pellunt, pharmaticis potionibus, sorbitiunculisque; amaritudine earum Saccharo dulcoratâ,

attemperatâque. Pasſio JEſu, ad tollendam mortem, *eſcâ paradiſi* contractam, amaræ potioni comparanda. Calix enim, in horto Getſemani, ad exhauriendum præſentatus; in figura Calicis, *poteſtis bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum*, diſcipulis declaratus; ac ipſe Dominus ſitiens *in Cruce*, hauſtu aceti potatus. Matt.26.39 c. 20. 22. Joan. 19.29.

Electuaria hæc Paſſionis Dominicæ, ſirupi & potiones amaræ: dum Franciſco Vulnera Crucis communicata, iisdem quaſi pixidibus & vaſculis infuſæ. & potionum Salubrium liquores inſtillati. *Amaritudine valde replevit me Omnipotens.* Ruth.1.20. Non tamen hæ amaræ potiones Medicæ, ſine dulcoribus ſpiritualium conſolationum ſunt, juxta: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Pſ. 30. 20. Inquit Laurentius Juſtinianus: *Balſamum pretioſum ſanguinis tui JEſu, medella eſt animæ noſtræ, ſed & ſigna Paſſionis tuæ ac ipſa memoria.* Lib.demorte Chr. c.6. Saluberrima.

CAPUT X.

De 29. Scibili Chyrurgico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Deſcriptionem, Diviſionem, Objectum, conſideratāq Chyrurgiæ, declarans.*

I. CHyros, ſignificat manum, & *Gyros*, operationem. Ut non ſit Chyrurgia niſi manualis ſanatio, *applicativis, aduſtivis, inciſivis.*

II. Deſcribi poteſt: eſt peritia practica medica, curandi operatione manuum, corpora naturaliter vel violenter infirmata.

III. Dividitur *ratione Operæ*, in *Inciſoriam*: quæ ſectione, amputatione, obviat infirmitatibus. *Igniariam*:

quæ adustione, suffumigatione, incalefactione, inservit infirmis. & *Unguentariam*: quæ non solum Emplastris, sed & linimentis, curat morbos.

IV. Porro Chyrurgus ut erudiatur, quænam propria manuum ejus sunt officia, & ne in messem alienam, immittat falcem, medendo variis: sciat Materiam Operæ ejus, seu Objectum totale, in tres partes dividi, quæ rursus in alias. prima est in *Venis*. idque bipartita; in *Venis pulsantibus*. quæ est arteriarum incisio, vel apostematis amputatio, quod *Aphorisma* seu *Saira* dicitur. & in *Venis non pulsantibus*. Secunda est in *Carne*, idque trifaria: Sitiarum usus, incidendi scindendi, findendi. atque *Ignis usus*. Postrema *in Ossibus*. idque bipartita: Ossium fractorum Consolidatio, & evulsorum in locum Reductio.

V. Primus è Medicis, Romæ, Chyrurgiam artem
Plin. L. 25. 7. exercuit, Archagatus Lysaniæ Filius, Peloponensis. *Vulnerariusq́;* vulgò dicebatur. *Vulnera* autem, ut objiciuntur Curationi Chyrurgicæ, dicuntur *à violentia & manu*. quod
Laert. L. 6. c. 1. violentâ inferantur manu. vel à *Virulentia manenti*. Alexandro Magno dicente: *Ut maxime sanetur illatum Vulnus, manet tamen cicatrix*.

INVENTIO. Conceptibus V: *Curationum instrumenta, Sanationem Vulnerum, alligationesq́; salubres, in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: I. Num. 141. MOlestum licet, sed verum Medicorum Axioma: *Vulnera Vulneribus curantur.*

Ovid. in Metaph. Immedicabile Vulnus.
Ense recidendum est. ne pars sincera trahatur.

Eccl. 10. 12. Sacro etiam id affirmante textu. *Brevem languorem præcidit*

dit medicus. idque ferramentis, vel quæ *pungunt*, vel quæ *secant*. Ut sunt acus, lanceolæ, & alia incisionum instrumenta.

Franciscus, pium illum affectum, diversorum Sanctorum: *Hic ure hic seca, modo in æternum parcas.* frequenter desideriose promens & ingeminans, promeruit, ut Christus JEsus, *instrumenta Sanationis* per Crucem Mundi, in corpore ejus reponeret & exprimeret. Instrumentum enim punctionis. *Videbit eum omnis populus, & qui eum pupugerunt.* In puncturis clavorum infixorum cernitur. *Lanceolæ* autem effectus: in *scisso latere* servi DEI manifestissima lanceæ ictûs afformatione, Videtur. Judæi olim, Stephanum de JEsu Crucifixo narrantem audientes, *dissecabantur cordibus suis*, æstuante malitia. Seraphicus Vir, dum Christum audit & cogitat passum, verâ compassione, in suo latere secto, amorosè *scinditur corde.* Apoc. I. 7. Act. 7. 54.

Et quam in se, *Medicæ Curationis sustinuit actionem*, eandem in sanando Fratre Roberto Ordinis sui feliciter exercuit. jacebat hic Neapoli à plurimis annis cæcus. quòd in oculis crevisset caro superflua, motum & usum impediens palpebrarum itaque invocatus S. Pater, tribus stipatus Sociis. S. Antonio de Padua, F. Augustino, & Jacobo de Assisio, apparuit. acceptoque cultello, carnem superfluam manu suâ resecavit. quæ *nigro clavo transfixa* cernebatur. ita testante sanitati restituto, & glorificante DEum. Wad. T. I. fol. 386.

II. Inter Varia Symbola & æncomia, quibus Sacra Crucis celebrantur vulnera. possunt figuræ Instrumenti ustulanti ardore ignis, comparari. Prout enim in Caumatisatione, fervor ignis & dolor carnis est, ut sanitas stabiliatur vel restituatur. Ita in stigmatisatione, seraphici amoris exaarsit calor, plagarumque erupit dolor. idque ad * CONCEP: Num. 142.

ad sanitatem *salutis æternæ.* De Salvatore, conferente mortis suæ signa Francisco, expletum: *Ipse Vulnerat &*
Job. 5. 19. *Medetur, percutit & manus ejus sanabunt.*

Pharmaca sunt potius, quam Vulnera, Vulnera Christi.
Curat enim plagis, Vulnera nostra suis.

S. Bon. Vit. c. 5. Mirumque accidit, quod dum afficiebatur, dolore oculorum, & persuaderetur remedium igniti cauterii, viso ferro ignito, præparato, dixit: *Mi Frater ignis, quem pulchrum creavit Altissimus, esto mihi hac hora curialis.* Cumque benedixisset Signo Crucis, licet profundatum crepitabat in carne ferrum, ab aure usque ad supercilium, nullum irrogavit dolorem, nullum sensum, Medico adstante, & aliis obstupescentibus.

Hym. Festi ad Laud. *Vili contectus tegmine, sancto calescens flamine*
Vicit algorem caumata, Christi cum gestat stigmata.

* CONCEP: Num. 143. III. Artis Chyrurgicæ, non postremum est: Modus alligationis Vulnerum. etenim foventur & consolidantur. Samaritano idipsum necessarium existimante.
Luc. 10. 34. *Appropians alligavit Vulnera ejus, infundens oleum & vinum.* Passionis Domini mysteria: *alligationes* esse infirmi peccato Mundi, testantur Prophetæ: *Dicit Dominus DEus, quod*
Ezech. 34. 16. *perierat requiram, & quod abjectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat, consoli-*
Is. 30. 26. *dabo.* & alter: *Erit Lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die illa qua alligaverit, dominus plagam populi sui, & percussuram plagæ ejus sanaverit.*

Vir DEI, dum per impressa Mortis Christi signa, mysteria pandit. *alligationes Salutiferas* ipsius repræsentat. Et non solum *moral: expressione*, sed etiam *reali adjuncto* ligaturarum, sanguinem stringentium. narrante historia
Wad. T. 1. fol. 340. vitæ ipsius: *Exceptis digitis, linteolis reliquas obtectas gerebat*
manus

manus, atq́; fasciis ligatum lateris vulnus, causa mitigandi doloris, sistendiq; copiose effluentis sanguinis.

IV. Quis non affirmabit, digne à Francisco proferendum: *DEO nostro sit jucunda decoraque laudatio, qui sanat contritos corde. & alligat contritiones eorum.* Siquidem Vulneribus Crucis, *contritum* est corpus ejus. illisque, quasi ligaturis Medicis, Omnipotentis manu circumductum. delicatoque amoris *Vinculo alligatum.* Talem effectum Passioni Christi, adstruente pio Drogone S. R. E. Cardinali. *Hæc mihi de Cruce clamas, & carne tua Sanctissima, veluti mundissimâ sindone sacrorum Vulnerum tuorum, Balsamo peruncta, alligas Vulnera animarum nostrarum, ò Samaritane misericors, & sauciis atq; ægris tuis compateris, compassione inenarrabil.* * CONCEP. Num. 144. Ps. 146, 3. De Pas. Dn. Thren. 1.

V. At & alligaturæ Vulnerum, Mysterio, attendamus. Cum iter ageret non procul à Monte Cassali B. Pater, puerum à gravi ulcere, facto super fasciam Crucis Signo, quà pars læsa fovebatur, liberavit. Illa remotâ, invenerunt parentes, in ulceris loco, succrevisse carnem, ad rosæ rubeæ modum. quod signum miro discrimine ab alia carne omni vità, perpetratum miraculum ostentabat, & confirmabat. *Vulnera alligata*, mirabiliter curante servo DEI, qui alligationes medicas, mysteriosè, efformavit. * CONCEP: Num: 145.

CAPUT XI.
De 30. Scibili Anatomico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Interpretationem, Descriptionem, Divisionem, Differentiam, Objectumq; Anatomiæ, declarans.*

I. ANatomen, Universæ *Physiologiæ*, sive Contemplationis Naturarum, quoad intrinsecam compositionem, pars

pars nobilis est. Et si accipiatur pro reali incisione, pro reali denudatione carnis per concoctionem, ac artificiosa ossium corporis humani compositione, à Græcis dicitur *Sceleton*.

II. Describitur: *Est incisio superficiei corporis humani, & denudatio eorum, quæ obtecta sunt, eorumq; cognitio, in propria ratione.*

III. Pars est *Chirurgiæ*. differt tamen, quod *Chyrurgia*, secta introspiciat corpora extra intentionem, id est *casu*, & proxime curanda. *Anatomia* vero, introspiciat secta, ex intentione ad remote cognita, post curanda.

IV. Edocendæ notitiæ hujus, duplex est Methodus: *una*, quæ in theatris, spectatoribus multis præsentibus, à peritis Artis hujus, observari solet. *altera*, in Cathedris Scholarum, ordine utiliori explicatiorique proponitur. *Item*, vel docendo eam *Universaliter*: de Hominis dignitate, artis præstantia, præceptisque Universalibus, ac præcautionibus. Vel *particulariter*, tradendo de *corporis partibus similaribus*, ut sunt *Ossa, Trunci, Artus, Cartilagines, Vincula, Membranæ, Villi, Vasa: Venarum, Arteriarum, Nervorum.* Carnes: *Viscerum, glandularum, musculorum.* De *dissimilaribusq;*, sive Organis Naturalibus. procreationis & Nutritionis. Vitalibus: *Pulsûs* & *Respirationis*. Animalibus: *Cerebri* & quæ ab eo nutriuntur, seu oriuntur *Sensuum* & *Motuum*.

V. Objectum, seu *Materia*, *circa quam* occupatur Anatomia: dividitur, in *Humanam*, cum hominis ætatis mediæ, temperatissimum electum corpus, inciditur & explanatur. Et in *Animalem*. quando brutorum corpora, humano vel maxime similia. Ut porci & simiæ. vel non similia, ut canis, aliorumque, secantur & scrutantur, fine investigationis internæ animalis constitutionis.

IN-

INVENTIO. Conceptibus V: *Interiorem hominis Analysim, mysteria & patens cor. in Concrucifixione Christo, declarans.*

I. VErum, è dictamine Spiritus Sancti, effatum est: *Ignoras quæ sit via Spiritus, & qua ratione compingantur ossa, in ventre prægnantis. sic nescis opera DEI, qui fabricator est omnium.* Unde à cognitione Objecti Ossium hominis, *Analysis Mundi minoris*, seu Anatomia, satagit inchoare, inquisitionum suarum seriem. At peramplius secreta hæc Christus Crucifixus monstravit in corpore suo *inciso*, dissectoque vulneribus. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Atque ut Anatomici, integra non fracta considerant monstrantque ossa. Ita *infracta* in Cruce erant. *Facta sunt enim hæc ut scriptura impleretur. os non comminuetis ex eo.* * CONCEP: Num: 146. Eccl. 11. 5. Ps. 21. 18. Joan. 19. 36.

Exemplar aliud, monstratum est in corpore stigmatibus inciso, dissectoque. Licet enim infirmitatibus & mortificationibus, exhaustus adeo fuerit, quòd *consumptis carnibus, quasi sola cutis ossibus cohæreret.* magis tamen gloriosior apparuit: dum Anatomen Vulnerum Christi, plagis lateris, manuum, pedum, interna membra denudantibus, exhibuit. Wad. T. 1. fol. 322.

II. Franciscus, cum patientissimo Job, gloriari potest: *Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.* nam anima ipsius Concrucifixa Christo, elegit *Suspendium* in Cruce Salvatoris. de quo Apostolus ad Hebræos: *Quem vos interemistis suspendentes in ligno.* Elegeruntque *ossa ejus mortem.* Mortis nimirum JEsu, repræsentativo symbolo, per vulnera propalationem. * CONCEP. Num. 147. Job. 7. 15. Act. 5. 30.

III. Ossa servorum DEI, hac apprecatione honorata. *Et duodecim Prophetarum ossa, pullulent de loco suo, nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt se Fide virtutis.* * CONCEP. Num. 148. Eccl. 49. 12.

Viri DEI, ossa, simili gratiâ prædita. quemadmodum enim *pullulatio* folii vel floris, cum disruptione apertioneque pampini, aut fruticis fit. Sic non sine disruptione, non sine adapertione vulnerum, *fructus germinant arboris Christiferæ.* Obtinuit profectò Seraphicus Pater, gratiam ab

Is. 66. 13. Altissimo promissam: *Quomodo si cui mater blandiatur, ita & ego consolabor vos, & in Jerusalem consolabimini, videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt.* Etenim consolatus est *mysterio Jerusalem.* scilicet communicatione Passionis Domini, peractæ in locis Jerusalem. Proloquitur Seraphicus Doctor: *Erat profectò dignum, ut quem DEus, in vita sibi placentem & dilectum effectum, in paradisum per contemplationis gratiam, ut Enoch transtulerat, ejus jam vernantis inter flores illos cælicos, plantationis æternæ, ossa illa felicia, de loco suo, pullulatione mirificâ redolerent.*

S.Bon. Vitæ c. 15.

*

CONCEP: Num: 149. IV. Proferre, respondereque potest, Franciscus:

Ps. 34. 10. *Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi, eripiens inopem, de manu fortiorum ejus, egenum & pauperem à diripientibus eum.* Hoc nimirum sensu: tu *Domine JEsu. eripiens me inopem, egenum pauperem* Evangelicum. *de manu fortiorum:* Inferni, Carnis, Mundi. *Ossa mea dicent quis similis tibi?* ob similitudinem Concrucifixionis.

*

CONCEP: Num: 150. V. Corpus Anatomicâ dissectione solutum, quæstionem illam: *an in dextra vel sinistra parte cor sit?* soluit & demonstrat. nimirum in medio locatum; Ossibus gladii formam habentibus, naturâ custodiente thesaurum vitæ, circumvalatum; & Vergens ad sinistram partem lateris,

L. 1. Hist. Anim. c. 17. juxta Aristotelem. Quod si scripturam sequamur: *Cor sapientis in dextera ejus, & cor stulti in sinistra illius.*

Eccl. 10. 2. Francisci lateris, medium sat patulum vulnus: *Cor* quo loco, & in quibus circumstantiis positum declarat:

nem-

nempe dextrum latus, in quo majori ex parte locatum, vergens etiam in finiſtrum. Et vergens maximè *in dextram partem*, ſenſu morali. ſcilicet ad Chriſtum *qui ſedet ad dexteram Patris.* In quo ſunt omnes *theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*, juxta Axioma Evangelicum: *Ubi theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.* Col. 2. 3. Luc. 12. 34.

Referunt Hiſtoriographi Ordinis, Corpus exanime Sancti, exenteratum fuiſſe, & avulſa interiora, cum depoſito Cordis, in altari, Sacelli, ad Sacrarii lævam partem Eccleſiæ Portiunculæ, repoſita. Fundamentum aſſerti ſtatuentes: quòd vivens dixerit: *Cor ſuum ibi remanſurum.* cum vellet corpus reliquum, in *colle inferni*, prout factum, ſepeliri. Ubi nunc, ædificata Eccleſia celebris Aſſiſienſis, trium ſimul Eccleſiarum ſtructurà eminens. At utcunque ſe habeat, relatio hæc, ſufficit inſignito vulneribus Chriſti, Seraphica corporis analyſis. Piſ. L. 5. Conf. c. 24. Wad. T. 1. fol. 353. it. 395.

CAPUT XII.

De 31. Scibili Alchymico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Inventionem, Deſcriptionem, Differentiam, Objectaq; Alchymiæ, declarans.*

I. ALchimiam, Agyptii Sacra linguâ ſacerdotum, vocant *Chemiam.* id eſt Ægyptiam, quòd primi mortalium à Mizraimo Chami filio, illam acceperint. ab Ægyptiis Arabes, & articulum ſuum *Al*, addiderint. Lib. de Oſir. & Iſid.

II. Vetuſtior deſcriptio peritiæ Alchimicæ: *Eſt ars transmutandi corpora Mineralia, à proprius ſpeciebus ad alias.* & recentior: *Eſt peritia practica, igne reſolutoria & purificatoria ſubſtantiarum variarum materialium, ſine peropportuno, operæ Medicæ, ac Mechanicæ.*

III. Esse peritiam specialem *Physiologiæ*, scrutantem remotissimas latebras naturæ ac virtutes, speculatione Physicâ ingenuâ. inservientem potissimum Medicinæ. eoque nomine *Acromaticis* & *Epopticis* Disciplinis, adnumerandam.

IV. Alchymistæ, cùm ingenio & manu utantur, & in *Oleis aquis Gummis & auro potabili* extrahendo, causas & præcepta artis norunt. quibus sibi pollicentur effectum, non *Mechanici*, *sed Practici Philosophi* dicendi. Speculationi Physicæs, operationem adjungentes.

V. Igniaria ars præfata, ut est *Resolutoria*. Inventione auri potabilis, eductione Spirituum subtilissimorum è Mineralibus, gemmis plantisque. atque propter *Substantiarum* vel *Qualitatum* salubrium, à noxiis. (quæ frequenter medicamentis simplicibus permixtæ sunt) *separationem* ad *partem utilem Medicinæ*, contrahi potest. puriora sanitatis restaurandæ remedia, administrans. Ut autem est *Purificatoria Metallorum*: ad partem utilem *Mechanicæ Fabrilis* spectat. propter examinationem metallorum, commixtionem, disgregationem, transmutationem, & similia adjutoria. Et hæc posterior, ad Praxim Philosophiæ non pertinet.

INVENTIO. Conceptibus V: *Distillationes pretiosas, Aquas Vitæ, Vasa distillatoria, requisita, & Symbolum, Alchimiæ Spiritualis. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: Num. 151. Ps. 71. 6. I. VErissimum Prophetæ coronati, de Saluatore Mundi Vaticinium: *Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia Stillantia super terram:* In Nativitate enim ejus, perfectum, sed plus in Morte. dum sudoris sanguinei,

nei, decurrentia in terram manarunt *stillicida*; dum *stillæ* sanguinis & aquæ, de latere fluentes, terram irrigarunt.

Hujus *distillationis Salvatoris* effigurationem, Francisco signis mortis Domini decorato, perferre concessum est. Juxta: *Erunt reliquiæ* Jacob *in medio populorum multorum, quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam, quæ non expectat virum, & non præstolatur filios hominum.* Etenim Jacob Patriarcha, duodecim Filiorum Pater; Moriendo, transpositis in modum Crucis manibus, Filiis Benedicens: Crucifixum Dominum duodenæ prolis Apostolicæ Parentem, præsignavit. *Reliquiæ autem* Jacob *seu Christi:* designare possunt Virum DEI, vitæ Apostolicæ sectatorem: *derelictum*, pauperie Evangelicâ; *Reliquum*, Minoritanâ Humilitate. Atque *in medio populi multi, quasi Ros & stillæ*, apparentem: dum in medio Christiani populi, *Crucis Vulneribus, rorem & stillas sanguinis*, copiose destillavit. Mich. 5. 7.

II. Confecturæ Alchymicæ, inter pretiosos liquores & succos, est quid præcipium, *Aqua distillata*, vivificans cor, vitalesque corroborans spiritus, *aqua Vitæ*, vocari solita. Et figurare, *potest salutaria Mortis* JE*su pharmaca*, è cujus lateris vulnerati cisternâ, fons *aqua Vitæ*, Vivificantis mortuam Adæ prolem, effluxit. * CONCEP: Num: 152.

Mysterium, in Carne Francisci effiguratum est. collati sunt ei *fontes Vitæ*. juxta Christi effatum: *Aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons, aquæ Salientis in vitam æternam.* Et præ quinque canalibus vulnerum: salubriores & præstantiores, aqua Alchymicâ *quintæ essentiæ* dicta. Confidenter DEum orare poterat: *Salvum me fac DEus*, vitâ æternâ. *quoniam intraverunt aquæ, usq; ad animam meam*, Christi Passionis. Atque ob lachrymosam Mortuo JEsu compassionem, dicendo: *Ad DEum stillat oculus meus.* Ioan. 19. 34. Ps. 68. 1. Iob. 16. 2.

Accidit in Castro Galliani Valicensis Diæcesis, mulie-

rem quandam, nomine Mariam, æstivo tempore fatigatam, siti laborasse usque ad mortem. invocatus, apparuit Vir DEI inquiens: amove silicem prope jacentem & bibe aquam, tibi & pluribus præparatam. Videbatur igitur stilla parva, sed subito crevit in fontem aquæ vivæ. cujus haustu mortem repulit, oculosque suos naturaliter cæcutientes lavans, luce perfusos retulit. Agnoveruntque multi postea, virtutem vitalem aquæ, honestaruntque locum, Oratorio dicato honori Francisci, qui *stillicidia aquæ vitæ*, fontibus stigmatum suorum expressit.

Ex Bul. Can. S. Fran. de Mirac.

* CONCEP: Num. 153. III. Enimvero, si mavis expressionem vasis distillatorii, *Alembich* arabice dicti. sat clara est. Et quoad materiam ejus: si ænea est, *rubescit*, quoad formam, fistulæ ejus seu canales, non carent foraminibus, effluendò liquori aptis.

Considera Corpus stigmatisatum: nonne *rubescit* sanguine perfusum? nonne *foraminibus* distillando cruori, præditum? Juxta: *aufer rubiginem de argento & egredietur vas purissimum.* Seraphicus Vir, purissimi vasis instar, liquores Passionis Domini, distillantis; Vitiorum rubigine carentis extitit. Illum Salvator: *circumcinxit zona gloriæ, & coronavit eum in vasis virtutis.*

Prov. 15. 4.

Eccl. 45. 9.

* CONCEP: Num. 154 IV. Requisitum præcipuum, distillationis Alchymicæ, ad liquefacienda metalla, jungendas excolendasque substantias, ad distillandos humores succi, aquæ, olei: esse ignem, maxime *in Materia Carbonum.* Nec sine igne flammaque, Concrucifixio. nimirum non sine flamma Charitatis, Zeli, fervorisque devotionis. Exoravit enim devote, cum Ecclesia: *Flammescat igne Charitas, accendat amor Proximos.* Ait S. Bonaventura: *Caritatem ferventem, quâ Sponsi amicus Franciscus ardebat. quis enarrare sufficiat. totus namq; quasi quidam carbo ignitus, divini amoris, flammâ, videbatur*

Vit ejus c. 9.

batur absorptus. Proferre poterat: *Concalvit cor meum intra me, & in meditatione mea, exardescet ignis.* Ps. 38. 4.

V. Refert Bernardus Scardeonus, Patavii, Alchymiæ artis mirabile argumentum, repertum. Urna fictilis erat cum inscriptione: quod elementa gravi digesta labore, vase sub modico, clauderet Maximus Olibius. intra urnam, reperta est minor alia continens ampullas duas, argenteam & auream liquore plenas, quo lucerna postea, per multa sæcula ardens conservabatur. & versus erat inscriptus: * CONCEP: Num: 155. Histor. Patav. L. 2.

Maximus Maximo, donum Platoni, hoc sacrum facit.

Fictilis urnula, caro Francisci dici potest, continens præstantissimos, duabus clausis ampullis liquores. *Lachrymarum*, præ condolentia passo Christo. & *Guttarum sanguinis*, portatione vulnerum Passi Domini. Hoc donum misit *Maximus, Optimusq;,* servo suo: *DEus Homo.* suâ imprimens vulnera. ut *lucerna amoris Divini*, luceret & arderet per sæcula. *Ignem veni mitere interram, & quid volo, nisi ut accendatur.* Luc, 12. 49.

CAPUT XIII.

De 32. Scibili Chrysopæico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Descriptionem, Differentiam, Considerata, Objectumque Chrysopæjæ, declarans.*

I. C*Hemiæ*, artis igne resolutoriæ, & transmutatoriæ rerum, altera pars *Chrysopæja.* Philosophiæ naturalis discipula. Vocant *Spagiricam* nonnulli. à segregando & congregando.

II. *Est notitia practica, ex genere scientiarum Philosophiæ investigantis abdita naturæ, in segregando sive separando, in*

congregando & coagulando ex aliis metallis aurо, in aliisq; pretiosis materiis occupata.

III. Differt ab *Aurifactoria Mechanica:* quòd hæc ex liquato tantumdem, vel minus auri producit. Chrysopæja: aurum multiplicat, vel ex aliis metallis producit, adspersis pauculi pulveris, *Elixir* dicti ramentis.

IV. De *Efficacitate Auri Chymici*, variæ sententiæ. nec cultores nec osores artis hujus, id est *Medii Authores* censent: produci posse aurum, non tamen proprie, sed
22. 9. 77. *quasi aurum.* Doctore Angelico explicante: *quoad exter-*
art. 2, ad 1. *nas qualitates, non quoad intrinsecam auri perfectionem.* Probabilius tamen, Chemiam posse consequi finem suum, & metalla in aurum igne transmutare, sic probant *topice*, licet non *apodictice*. Ignis vim habet transmutandi metalla, per varias alterationes: *Liquationem, separationem, aggregationem*, & alias. Sicut & calor naturalis cibum varium, in nutrimentum aliti, & substantiam transmutat. Nec potius mirandam Cibi in carnem, quam *Hydragiri* in aurum commutationem. Cùm directione intensi ignis, diebus paucis, supplente Solis multo tempore caloris operationem, effectus produci possit optatus. Maxime in Metallis, dispositis ad formam auri, & non perfectis. aut aliquid occulti auri, in se habentibus. Unde, vel de pulvere chymice confecto, mentio forsan illa: *Quoniam dabit ter-*
4 Esdr. 8. 2. *ram multam magis, unde fiat fictile, parvum autem pulverem, unde aurum fit.*

V. Cum igitur in corporibus Mineralibus, ad instar operationis Naturæ, *arte imitane*, conantur Chrysopæi, facere brevi tempore, quod naturaliter fit in longiori. Objectum eorum est *Materia corporum*, super quæ projicitur, *transmutans Elixir*. Et ex græco significat: magnum Thesaurum. Vulgo dicitur *Lapis Philosophorum*. Terri-

tur

tur hic in pulverem nec fundi potest, currens ab Evaporatione, *sicut aurum.* Projicitur super majus corpus, & mutat rem in aliam, *mixtione.* quæ non potest dividi unquam, miscens se cum corpore. Sicut *Tuchia cum Cupro.* nisi quòd non augmentatur, nec crescit in suo pondere, sicut crescit cuprum de illa. Idque ideo. quòd tuchia res terrea est. Elixir autem *spiritalis.* illa augeri & gravis potest esse, naturâ terreitatis. hic non, naturâ ethereitatis.

INVENTIO. Conceptibus V: *Aurum probatum, Requisita Elixir, Lapidem Philosophorum, effectus, depositaq; pretiosa, in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. AUri sacra fames, in *malignam,* seu malo igne stimulatam sitim conversa. adeò præoccupavit corda mortalium, ut non studeant nisi avaritiæ, nec illis placeat aliud, quam aurum. Rarus est, *qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris.* Hinc quasi, non sufficeret *naturale* aurum, adinventum *artificiale.* quod an verum *Chymice,* an *chymerice?* respondeant Avari, *Avidi auri.* * CONCEP: Num: 156. Eccl. 3. 1

Præstantius ac utilius aurum, Omnipotentis effecit dextera, in *Arte Sacra* (ut vulgo dicitur Chemia) Concrucifixionis. Nimirum *aurum,* expressivum Numismatis redimentis Genus humanum; & aurum *ignitæ Charitatis* Seraphicæ. *Aurum ignitum probatum.* Recte intulit S. Doctor Thomas à Villa nova. J*Esu Crucifixi Vulnera, thesaurus meus, quo salus mundi empta & redempta, nolo aurum & argentum, corruptibilia sunt.* Probatum autem & examinatum aurum: sunt Vulnera JEsu. nam tot tunsionibus, ferramentis, igne etiam meridiei, in exposito Ligno, examinata. Serm. de Pass. Domini p. 1.

minata. ac excavatione & attritione ad Lapides Petræ
* Calvariensis, quasi ad *Lapidem Lydium* exculta & exsculpta.
CONCEP: II. Quemadmodum autem, ad confecturam *Auri Chy-*
Num. 157. *mici*, inter alias materias, Hirci sanguis requiritur. qui
Oleositatem administret, solutis igne Metallis. quo in coagulatione adjuventur. Ita in *artificio auri stigmatum:* non
Cant. 5. 10. deest virtus sanguinis Agni immaculati. cujus *caput aurum optimum.* Scilicet Mortis Christi, mysterium. *Non cor-*
1. Pet. 1. 19. *ruptibilibus auro vel argento, redempti estis, de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi*
Histor. Vit. *agni immaculati Christi.* Adest quoque *sanguis naturalis,*
ejus c. 15. abunde, *& maxime feria sextâ* è vulnere lateris fusus, ut alligare fasciis vulnera, necesse fuerit.

Miglius L. 1. c. 3. Præfigurabat arcanum hoc, illa Christi Domini, in flamma fulgentissima apparitio, postulantis aliquid sibi, à servo DEI offerri. mandantisque mittere manum in sinum. ita ut *tria aurea numismata*, Franciscus inveniret; Christoque offeret. tria vota Religionis suæ, aut tres Religionis ab eo fundatas, denotantia.

* CONCEP: III. Terminus Chymicæ desudationis, sistitur in *La-*
Num. 158. *pide Philosophorum*, dicto *Elixir.* quo Metalla liquefacta, per commixtionem ejus inseparabilem, transmutant in aurum, licet non tantæ perfectionis, ut *Naturale.* Francisci Vulnera, non *Lapide Philosophorum*, ingenio creato excogitato: sed *Lapide*, inperscrutabilis intellectus Divini electione Ordinato, stabilita sunt. Mysterio nimirum Passi JEsu, in morte, *Lapidi reprobato*, assimilati. *Lapis quem reproba-*
1. Pet. 2. 7. *verunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Utque *Lapis Philosophorum*, pretiosus esse censetur. pretiosissimus
Apoc. 2. 19. quoque hic. *Ecce pono in Sion Lapidem summum angularem, electum, pretiosum.*

Etiam frigidum Lapidem, micare aureis scintillis, igne-

ignescereque faciente DEO, ob flammas fervoris Francisci. Cum enim non procul ab Eremitorio Grætii, ascendisset quendam lapidem, prædicaturus populo Vir DEI, ex illo, sæpius Loci incolas & Fratres, vidisse flammas, & ignitas, aureis similes scintillas, in cœlum sursum ferri. Histor. Vit. S. Patris.

IV. Terminus Chymicæ desudationis, sistitur in Lapide Philosophorum, ut memoravimus. sed nisi præcedat disruptio & dissolutio Materiarum, atque earum in pulveres minatos redactio, Lapis ipse Elixiris, quo aspersa, liquefacta alia corpora, transmutantur in aurum, coagulari & educi non potest. Sacræ Notæ plagarum Concrucifixionis: an non connotant, disruptionem membrorum vulnerosam? fluidamque *liquefactionem sanguinis?* minutissimosque *Humilitatis* pulveres? Practicante Francisco: *Humiliata est, in pulvere anima nostra.* * CONCEP: Num: 159. Ps. 43. 25.

V. Florida Cathechismi Exemplorum, narratio refert: pauperem quendam, amore Christi, erga peregrinos hospitalitate insignem, in cavea vineæ suæ, adinvenisse repositum vas, repletum aqua Chymicâ, confectiva auri, & tres Lapides pretiosos, inventa sane præstantissima. quibus & Hospitalitas regratificata, & inopia sublevata. *Vinea*, Ecclesia DEI est. in ea pauper Franciscus, *cavernas vulnerum* JEsu, promeruit, in quorum impressione, virtute *patientiæ & Charitatis*, pretiosissimas confecturas auri, & pretiosorum Lapidum thesauros, obtinuit posseditque. *Oportet contristari, in variis tentationibus, ut probatio vestræ fidei, multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem & gloriam, in revelationem* JEsu *Christi.* * CONCEP: Num: 160. Exempl. p. 7. fol. 36. 1. Petr. 1. 6.

CAPUT XIV.

De 33. Scibili Mathematico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Descriptionem, Partitionem, Objectum, considerataque Matheseos, declarans.*

I. TErtium hic Genus, *Scibilium Scholasticorum*, pono *Mathematicam.* & Mathesis græce, latinè est *Abstractio.* Unde Mathematica, id est *Abstractiva*, dicitur.

II. Describitur à nonnullis, paulo obscurius, sed benè: *Est scientia, tractans de invisibilibus rerum visibilium formis quantitativis.* Non obscurius autem, posset sit describi: *Est scientia Theorica, considerans visibilium rerum, abstractam Quantitatem, tam Continuam quam Discretam, prout se res quaqua habet.*

III. Mathematica, aut *pura* est, aut *Mixta.* Ad Puram referuntur scientiæ, quæ circa Quantitatem occupatæ sunt, à Materia & Axiomatibus Physicis, penitus abstractam, suntque ejus species duæ: *Geometria & Arithmetica.* Quantitatem, altera *Continuam.* altera *discretam* tractans. *Mixta* vero *Mathematica*: pro subjecto habet, Axiomata & portiones Physicas. Quantitatem autem considerat: quatenus est ad ea elucidanda demonstranda, & Actuanda, auxiliaris. Unde *Perspectiva, Musica, Astrologia, Cosmographia, Architectura, Machinaria,* & nonnullæ aliæ, satis dextrè & certo, usui accomodari non possunt, sine ope & interventu Mathematicæs.

IV. Considerationis, Objectum: *Quantitas*, tam Numeri quàm Molis, abstracta. Quæ cum proximè, aut immediate adhæreat Materiæ, & in pluribus communicet cum substantia, magis abstracte considerari potest, & ut

per

per se stans. & habens principia cognoscibilia in Abstractione: *Unitatem*, principium Numerorum, & *Punctum*, inchoandæ magnitudinis. Idcirco, de Quantitate abstracta, considerationes sunt potius, quàm de aliis substantiæ Accidentibus.

V. Quantitas, quæ subjectum est Mathematicæs, materiæ applicata. Veluti dosis naturæ est, & plurimorum effectuum, in rebus naturalibus causativa. Inde *Mathema*: significat Disciplinam, tractantem de *Quantitate*. Et Mathematici, dicendi non sunt: *Chaldæi & Genethliaci*, qui doctrinæ Astrorum, prognosique ex Astris, operam dant. sed illi, qui Philosophiæ principiis, Quantitatem, in cælestibus terrestribusque rebus, atque ex his simul procedentem, in hisque subjectatam, considerant.

INVENTIO. Conceptibus V: *Qualitatis Normam, Magnitudinis proprietates, Morale Quantum, Valoremq; Variorum, in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. QUantum pertulerit Amor Christi, pro Salute hominis, non est qui totaliter numeret intelligatque corde. cum *Infinitum pro finito* exsolvit. Hanc extrinsecam *Quantitatem*, Divina sapientia Crucis, collatione stigmatum Francisco, Materiali figurâ expressit, exposuitque claram, Mortalibus rationalibus. Ut aliquando saperent, & intelligerent: *Quis, pro Quibus, & Quanta*, perpessus sit, in Cruce Salvator Mundi. Gloriandum sancto: *Venite audite & narrabo, omnes qui timetis DEum, quanta fecit animæ meæ.*

*CONCEP: Num. 161.

Ps. 65. 16.

II. Magnitudinum Creatarum, Factarumque, *Machinas & Moles*, non posse esse, sine *Longitudine*, *Latitudine*, sub-

*CONCEP. Num. 162.

sublimitate & Profunditate. Corpus enim perfectum Physicum, his completur Quantitatis Accidentibus. Passio Cruxque JEsu. *Magnitudo magnitudinum est.* canente Ecclesia:

Magnum pietatis opus, mors mortua tunc est.
In Ligno quando mortua vita fuit.

Et patet in Mole Crucis erectæ: *altitudo*; in imis Petræ infixis, *profunditas*; in transversis partibus, *Latitudo*; in lineali verò protractione, *longitudo*, declaratur.

Crucis Vulnera, communicata, talis Quantitatis exemplar esse: Altiora enim sunt *manuum stigmata*, quàm lateris, pedumque. Latius est Vulnus lateris, reliquis Vulneribus. *profundius*, seu submissius jacent, *Vulnera pedum*, quàm superiora manuum. *Longitudinem* autem, in extensione mediocri, infixorum clavorum carni, omnibus enituisse.

* CONCEP: Num: 163. III. Si autem, non in materiali sensu, sed pro Insignis Virtutum. sumendæ sunt Quantitativæ proportiones,
Eph. 3. 19. nominatæ ab Apostolo. *Ut positis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ claritatem, ut impleamini in omnem plenitudinem D E I.*

Specimen elucet in stigmatibus: *profundum Crucis*, edocens humilitatem, humiliati usque ad *plantas* discipu-
Ps. 37. 9. lorum, & cum *Sceleratis deputati*, Domini: in Francisco, *magnitudine revelationum* nunquam elato, illudque: *Humiliatus sum nimis*, totà Vita exequente, solide fundatum est. *Latitudo Crucis*. instruens latum & lætum cor Salvatoris fuisse, in adversis patienter toleratis: in opere Stigmatum,
1. Paral. 29. 17. exprimitur, patienter enim & læto corde suscepta oblata. *In simplicitate cordis mei, lætus obtuli universa hæc!* Item *Longitudo Crucis:* exponens dogma Longanimitatis Christi, quà, ineffabili æquanimitate, *longe antea* præordinata, &

præ-

præcognita tormenta sustinuit. occupavit Viri DEI cor, longo totius vitæ suæ spiritualis spatio, multa adversa constanter sufferentis. *longoq; biennii tempore*, vulnera impressa, dolorosa, sustinentis. juxta: *Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini.* Demum *sublimitas Crucis*, erudiens nos, *cælestia* altiora terrenis, *sapere*; quæ sursum sunt quærere. etiam non obscura. quid enim sex alæ seraphicæ, quarum velo tectus Christus, impressit stigmata denotant? si non *sublimitatem* cælestis mysterii, dignitatisque Concrucifixionis, atque Gratiæ elevationis ad cælestia, juxta: *In cælis sit conversatio nostra.* 2. Pet. 3. 15. Philip. 3. 20.

IV. Paternæ educationis filiorum, Sanctissimus Magister Tobias, brevi se putans moriturum, Tobiæ juniori præcepit: *Honorem habebis Matri tuæ, omnibus diebus vitæ ejus, memor enim esse debes, quæ & quanta pericula, passa sit propter te, in utero suo.* Tobias *junior*, vel *Minor*: Franciscus censeri potest. cui misericordissimus *Pater salvandorum* JEsus Redemptor, *quæ & quanta*, (in doloribus quasi matris parturientis) in lectulo Crucis, passus est, ut regeneraret Filios Adam, in Filios DEI, memoranda & honoranda commendavit. dum sacrorum vulnerum suorum *quantitate*, corpus ejus adornavit. * CONCEP. Num. 164. Tob. 4. 3.

V. Salomon pius, desiderans complere ædificium domûs Domini, postquam hæc præmisisset in Epistola ad Regem Hiram, postulavit sculptorem cælaturarum. *Quantus ego sum, ut possim ædificare domum ei.* Subdiditque, *Mitte mihi virum eruditum, qui noverit operari in auro & argento, ære & ferro, purpura coccino, & hyacintho, & qui sciat sculpere cælaturas.* * CONCEP. Num. 165. 2. Par. 2. 7.

Quantùm Gratiæ Salomon assequi non sperabat: Franciscus obtinuit. dum *tantum* spatium permanentiæ, vulnerum Christi, in fundo corporis sui præparavit, *quantum*

locandis Crucis cruentis signis, necesse fuerit. Nec absoluta est præparatio ista, sine *Ferro:* Clavorum ferro similium, carni impactorum; sine *purpura:* sanguinis corpus perfundentis colorisantisque; sine *Cælaturâ* quoque, sculpente & exarante vulnera, Omnipotentis deterâ.

CAPUT XV.

De 34. Scibili Astronomico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Descriptionem, Divisionem, Objectum, Considerataq́ Astronomiæ, declarans.*

I. ASTronomiæ Vocabulum, significat doctrinam de Regulis *Mensuræ & Motûs*, Orbium cælestium, astrorumque. Hebræi appellant: *Sapientiam sideralem. Uranoscopia* item, seu trutina sphærarum cælestium: sed *Uranometria*, elegantius dicitur. quo nomine, *Modus considerandi Mathematicus*, distinguitur à Physico. cum etiam Physicus, est *Uranoscopus.* sed non est *Uranometra.* Sicque *Astrometria*, est *Astronomia.*

Lib. de Scient. II. It. L. 15. II. Richardus eam difinit: *est disciplina magnitudinis mobilis, investigans spatia motûs & reditus cælestium corporum, certis temporibus.* Isidorus verò: est astrorum lex, quæ cursus siderum & figuras, & habitudines stellarum, circa se & circa terram, indagabili ratione, decurrit.

III. Species ejus ponunt: *Sphæricam & Gnomonicam.* illa cælestium corporum Spatia, situsque considerat. hæc Motum. Aliter in Scholis vulgò, Astronomia, dividitur: in Doctrinam de *Primo Mobili*, & doctrinam de *secundis Mobilibus.* per primum Mobile, intelligitur cœlum decimum, nonum & octavum. per secundo-Mobilia, Orbis septem

ſeptem cæleſtes, in quibus circumvoluuntur Planetæ. Pars prior appellatur *Sphærica*. poſterior, *Theoria Planetarum*, quòd ad eam requiratur, Contemplatio, & vehemens applicatio mentis.

IV. Sphæricæ Aſtronomiæ, *ſubjectum* Materiale, eſt Corpus cæleſte ſideribus inſignitum. *Formale* verò: quatenus certâ menſurâ & motu aſtrorum, præditum eſt.

V. Cœli materia elementaris non eſt. nec ignea nec aerea nec aquea; ſed diverſa quædam, & ab omni elementari conditione libera. corpus inter mundi corpora primum, dignitate & efficacia, incorruptibile ab extra, & expers naturalium Mutationum: ut eſt alteratio, incrementum & decrementum. *Decem autem eſſe diſtinctos Orbes* ſive ſphæras, quibus cœlum Aſtronomicum diſpartitum eſt. & ita quidem ut orbis minor, ſemper comprehendatur à majori, donec ad orbem maximum perveniatur. Decimus orbis cœli, vacat quidem ſtellis, ſed determinatus eſt, ad regendas & movendas ſtellas, rapaciſſimo ſuo motu, reliquos orbes inferiores 24. horarum ſpatio, ſecum circumrapiens, ab *Ortu in Occaſum*. Terrenum globum ſuperat magnitudine 1960. eſtque omnibus inferioribus major & amplior. Nonus autem Orbis, ſubjectos reliquos Orbes, paulatim ſecum trahit, ab *occaſu in ortum*, ſub Zodiaco, & curſum abſolvit annis 4009. Octavus Orbis, cui ſtellæ fixæ inhærent nocte ſcintillantes, abſolvit curſum annorum Spatio 7000. Reliqui Orbes cæleſtes 7. ſinguli ſuos Planetas, circumvehunt. Septimus *Saturnum*, ſextus, *Jovem*, quintus *Martem*, quartus *Solem*, tertius *Mercurium*, penultimus, *Venerem*, ultimus *Lunam*.

INVENTIO. Conceptibus V: *Similitudinem Cœli, & figuram, Solis, Stellarum, Lunæ, astraq; in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: I. Num: 166. COelum, opus Solius Altisſimi, *Dominus autem cœlos fecit.* dicitur à *cælatura.* quòd ſignaculis ſtellarum,
1 Par.16.26. quaſi inſculptum ſit. Ejus januas apertas, ipſumque aper-
Matt.3.16. tione diviſum legimus: *Et ecce aperti ſunt ei cæli. Item, ja-*
Pſ.77. 23 *nuam cæli aperuit.*

Franciſci anima, ſui Creatoris, *cæleſtis ſedes* facta eſt:
Homil. 38. juxta ſenſum Divi Gregorii Papæ. *Quia autem per Prophe-*
in Evang. *tam Dominus dicit Cœlum mihi ſedes eſt, & Salomon ait: anima juſti, ſedes ſapientiæ. colligere debemus, quia ſi DEus Sapientia, anima autem juſti ſedes ſapientiæ, dum cælum dicitur ſedes DEI, cælum ergo eſt anima juſti.* Sed & Corpus ipſius, ſacris ſignis, quaſi *ſignaculis ſtelliferis ſculptum*, in cœlum efformatum eſt. Et quidem opere & digitis DEI
Pſ. 8. 4. Hominis, communicantis ſua vulnera. juxta: *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum.* Quod ſi *januas cæli, ipſiusq; diviſionem*, deſideras? intrare in ſciſſuras Vulnerum
Pſ. 18. 1. licet, luſtrareque diviſiones, in eorum *Cælis, enarrantibus gloriam DEI.*

* CONCEP: II. Voti Apoſtolici: *Primus homo de terra terrenus,*
Num. 167. *ſecundus homo de cœlo cæleſtis, qualis terrenus tales & terreni,*
1.Cor.15.47. *& qualis cæleſtis, tales & cæleſtes, igitur ſicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cæleſtis,* compos effectus eſt. Convulneratus enim Redemptori ſuo, in terræ ſubLunari globo, non terreſtris ſed cæleſtis hominis, imaginem portavit, ut unicuique eſſet pronunciandum:
Apoc.21.1. *Vidi cælum novum.*

Rectèque ſolutâ carne anima ejus, in abyſſum Charitatis Divinæ abſorpta, Epiſcopo Aſſiſinati apparuit dicens:

cens: *Ecce mundum relinquo & vado ad cælum.* Erat hic, in Wad. T. 1.
Monte Gargano tunc, & quæ vidit, mane ſuis narravit, fol. 353.
rediensque Aſſiſium, horam apparitionis, comperit fuiſ-
ſe diſparitionis ejus e vivis. Non ſentiente occluſa oſtia
cæli Sancto, qui cæli formas, vulneribus ſuis monſtra-
vit.

* CONCEP: Num: 168. Eccl. 43. 3.

III. Sol ſolus Planetarum ſerenisſimus Rex, *in meri-
die* clariores vibrat ſplendores. *in meridiano exurrit terram,*
cognoſcit occaſum ſuum, nec liber ab Ecclypſi mæſta eſt.

Vulnus Lateris, ſoli perſimile. parique modo, ut ille
in medio diei clarior, hoc in medio corporis fundatum, cir-
cumſtat dolor acrior; ille ſolus & unicus, aliis planetis
major: hoc majus reliquis vulneribus. unicumque eſt, par
æqualeque non admittens. Locò autem Ecclypſis: in-
ſtrinſeca profunditas Vulneris, obſcura & umbroſa eſt.
Profecto Vir DEI: *Tripliciter ſol exurens montes*, Calva- Eccl. 43. 3.
riæ ubi Chriſtus Crucifixus, & Alvernæ, ubi Chriſto con-
crucifixus. *radios igneos ex ſufflans, & refulgens radiis ſuis.*
Teſtimonioque Jacobi a Voragine: *Venit S. Franciſcus por-* Serm. 2. de
tans ſecum tres radios, ſcilicet radium doctrinarum, per- S. Fran.
*quem illuminavit obſcuros, radium exemplorum, perquem in-
flammavit tepidos, & radium miraculorum: perquem conver-
tit obſtinatos.*

* CONCEP: Num. 169. Apoc. 1. 17.

IV. Apocalypticus vates, conſpexit in cælo, ſimi-
lem Filio hominis, qui *habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem.*
Hic, per Concrucifixionem Chriſto, habet quoque in
dextera & ſiniſtra ſua *ſtellas*, vulneribus efformatas. Stel-
læ etenim ſicut rotundæ ſunt, & radiis, acutis præditæ.
Ita Cicatrices volarum orbicalatæ, pro *radiis*, promican-
tia clauorum acumina habentes. Iſraelis fulgidus titulus,
Viro DEI tribuendus: *Eratis ſunt aſtra cæli, præ multitudine.* Deut. 28. 62
Ac quemadmodum ſtellis, ſignorum præferrentia attri-
buitur.

Job. 9. 2. buitur. *Erunt signa in sole, & Luna, & Stellis.* Jobque ait: *Stellas claudit sub signaculo.* Ita seraphici Patris, vulnerum stellæ: *signum sunt signaculaq;* Passionis Dominicæ, In illo, prædicatione Verbi DEI, quæ justa sunt explente, adimpletum: *Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates fulgebunt, in splendore firmamenti.*

Dan. 12. 3.

Leg. Antiq: Ord. Sed mysterium eventus comprobavit. postquam enim Valedixisset mundo Franciscus, *F. Jacobus à Laude*, vidit animam ejus, sub specie stellæ præfulgidæ, candida nubecula subvectam, recto tramite sursum ferri ad palatia lucis & pacis æterna.

* CONCEP: Num. 170. V. Olim, cum signum magnum apparuit in cœlo Mulieris amictæ Sole, erat *Luna sub pedibus ejus.* In Concrucifixione quoque, non *obscuri Lunæ nitores.* Cùm in transfixis pedibus, clavi bini: duplicia cornua acuta, denotant Lunæ, proutque Luna, aliis Astris, excepto Mercurio, minor est; terræque ex omnibus proxime vicinior. Ita vulnera pedum, minori æstimatione membrorum, quasi minora aliis; incessuque, terræ viciniora. Vnde, superveniente tenebrosa nocte, iter agenti inter Lombardiam & Marchiam Tervisinam, cum exoraret fugam tenebrarum, Lux orta repente, viamque & adiacentia illuminavit. longe etiam multis, splendorem de cœlo agnoscentibus. Annuente DEO, postulatis servi sui: qui Lunæ splendores, illucescere noctem facientes, vulneribus Crucis efformavit.

Apoc. 12. 1.

S. Bon. Vit. c. 6.

Est Dux fidus, clarum sydus, ducit reducit, devia,
Hym. Offic. *Devitando; Demonstrando, beata nobis gaudia.*

Wadin. de Can. T. 1. Cœlique instinctu, Gregorius XI. summus Pontifex, die Canonisationis, ex alto solio, sermonem ab his exorsus: *Quasi stella matutina, in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis, & quasi sol refulgens, sic iste refulsit in templo DEI.*

Eccl. 50. 6.

Et

Et condigne laudatus: qui ſacrorum myſterio vulnerum, *aliam claritatem Solis, aliam claritatem Lunæ, & aliam claritatem ſtellarum*, expreſſit, monſtravitque. 1. Cor. 15. 41.

CAPUT XVI.

De 35. Scibili Aſtrologico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Interpretationem, Deſcriptionem, Diviſionem, Conſiderata, Objectumq́, Aſtrologiæ, declarans.*

I. *Astrologia* & *Aſtronomia.* duæ hæ voces, veteribus fuerunt Synonimæ. Recentiores diſtinxerunt, ut *Aſtrologus*, ex græco ſit: ſupputatione aſtrorum, futura prædicens. *Aſtronomus* verò. Motuum Cæleſtium recenſitor, Latiori nomine *Aſtrologia* vocari poſſet: *Prognoſticon*, aut ars Prognoſtica.

II. Deſcribi poteſt: *Eſt ſcientia Aſtronomica Practica, de ſignificatione ſtellarum: in eo quod futurum eſt, in rebus naturaliter, non libere obvenientibus. idq́ ab tales virtutes & qualitates Aſtrorum.*

III. Partes Aſtrologiæ, quatuor ſtatuuntur: *prima* verſatur, circa *Revolutiones*, & prædicit totius anni, belli, pacisque viciſſitudines, aeris ſalubritatem, annonæ pretium, morbos animantium, & alia. *Secunda*, continet Magiſterium *Nativitatum.* docens quid ſigillatim tota vita homini obtinget. *Tertia Electionum.* docens quid in ſingulis rebus, conſulto & utiliter faciendum, omittendum, quoad felices ſucceſſus. *Quarta*, ſcalpendarum *Imaginum*, charactere Planetarum. Ut *Solis*, ob amabilitatem obventuram, *Jovis*, ad opulentiam, *Tauri* ad gratioſitatem, & ſimilium. *Fabricandorumq́ annulorum*, ſub certis figuris, atque iisdem dominantibus, portandorum. quæ vana & ludicra, prohibita ſunt.

IV. Quoad censuram harum partium: *Prima*, est *Naturalis*. nec erit superstitiosa, si profiteatur opinionem, cum formidine oppositi. Ut minantur astra, annonæ caritatem, forte futura, metuo ne sit. *Secunda*, est *Judiciaria*. nec tamen superstitiosa erit. si profiteatur tantum suspicionem. Ut suspicor talem fore puerum, inclinabitur ad hoc, Horoscopus illi, talia portendit. *Tertia* similiter est *judiciaria*. & sæpius fit superstitiosa. *Quarta* Præstigiosa & superstitiosa est. cujus tota divinatio incerta & vana, nec artis aut scientiæ nomine digna. quam qui tractant, Magi & Præstigiatores dicendi.

V. Objectum Materiale. *Astra*. Formale: Prædictio ex Astris naturalis, alicujus effectûs. Interpretari possunt: ab *Astruendo*. quod virtute sua, ex ipsorum cognitione, Astrologi multa hominibus & in hominibus, adstruant.

Astrorum Uranie cursus, variosq; recursus
Oculis notans, futura mente, prævidet.

Species cœli, in visione gloriæ, sol in aspectu annuncians, in
Eccl. 43. 6. *exitu vas admirabile opus Excelsi Luna in omnibus, in tem-*
10. *pore suo ostensio temporis, & signum ævi, species cœli, gloria stellarum.*

INVENTIO. Conceptibus V: *Signa Futurorum, & significata, sacra præsagia prænuntia felicitatis, figuras mysteriosi somnii, in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

*
CONCEP. I. Num. 171. Ps. 73. 9. CONquærebatur coronatus vates, ob defectum Prophetiarum, in Synagoga sua: *Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta.* Ecclesia Sponsa Christi; assumpto Sponso in Cœlum, ne conquæreretur: *Signa salutis nostræ*, longo tempore non vidimus, non apparent, Cœli & Cœlicolæ

licolæ Beati, lætantur aſpectu eorum, *terra* non. Ille qui *ſurrexit Propheta magnus in populo*, Salvator Crucifixus, præſentialiter non apparet. licet ſub velamine Euchariſtico permaneat: Omnipotentia Divina, Franciſcum, cæleſte, *Chriſti Paſſi ſignum*, exhibuit Mundo. Congratulante Eccleſia:

Signaſti Domine ſervum tuum Franciſcum,
Signis Redemptionis noſtræ.

Videturque Sponſæ Chriſti Catholicæ, exaudita deprecatio: *Innova ſigna & immuta mirabilia.* Altisſimo, ſigna Eccl. 35. 6.
Crucifixionis unigeniti Filii ſui, innovante. Atque *Mirabilia* illa Pasſionis Domini. *Pilatus autem mirabatur ſi* Mar. 14. 44.
jam obiiſſet, immutante renovatione. *Hæc Mutatio dexteræ excelſi.* Pſ. 76. 11.

II. In ſubjecto cœli, ſignorum effectus: eſt *Prædictio.* inquit ſcriptura: *Dediſti timentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus, & liberentur dilecti tui.* Seraphicus Pater. Ut peccatores fugerent à facie arcus iræ DEI, ut dilecti Chriſti, liberarentur a malis: exhibitus eſt in ſignificationem, *clementiæ ex parte Chriſti.* & *pœnitentiæ agendæ*, ex parte Chriſtiani. Signa enim Crucifixionis Domini præferens: fontes *miſericordiæ Domini* commemoravit. atque Pœnitentiam, ob necem innocentis Chriſti. facile intimavit. Certum enim eſt, ſignum Crucis fore in Cœlo, *cum Dominus, ad judicandum venerit.* in qua, membra Salvatoris, ut *Arcus extenſa ſunt. Poſuiſti ut arcum brachia mea.* A facie igitur hujus arcus, ut fugiant impœnitentes, ut caveant Chriſtiani pravi: expresſio *Vulnerum JEſu*, movebat & perſuadet hucusque myſterio: Ut *liberarentur dilecti.* amatores Crucis ab adverſis inferni. Orante Eccleſia: *Per ſignum Crucis, de inimicis noſtris, libera nos, DEus noſter.*

* CONCEP: Num. 172. Pſ. 59. 6. Pſ. 17. 35.

III. Licet ſi Crux, evidens ſit ſignum Patientiæ. nihilo-

* CONCEP: Num: 173.

hilominus aliquando & *Prognosticum*, extitit. Juliani Imperatoris, & Comitum ejus, in vestes, cum ingrederetur fines Illyricorum, ros de Cœlo decidit, guttis cruentis, Cruces efformans. Quod ostentum, Christi ovibus, persecutionem, ab Apostata tyranno, cum ipsius etiam interitu, prædixit. Anno Domini 1601. in Germania, cruentæ Cruces, vestibus hominum, cœlitus adspersæ sunt, large stillantes sanguinem: in præostensionem innocentium Catholicorum, persecutionis.

Zozom. L. 5. Hist. c. 1.

Alan. Dial. 4. c. 3.

Vir Seraphicus, Crucis vulnera portans adaptatus est, in signum prænunciatiuum: adversitatum proficuarum saluti æternæ. *Omnes qui pie vivere volunt, in Christo JEsu, persecutionem patientur.* Sicque prædixit servus DEI, gratum Patientiæ Martyrium, Beato Angelo, Ordinis Carmelitani, Romæ in Lateranensi Basilica, inter affectuosissima cum eo colloquia, mortem ei sufferendam pro fide, prænúntians. Vel ut exprimit Mantuanus:

2. Tim. 3. 12.

— — *Pater Angele Montis.*
Incola Carmeli. te Mors manet inclyta Christi
Testis eris, tibi Rex Divum, decus annuit istud.

Lib. 10. Fastor. S. Fran.

* CONCEP: Num. 174.

IV. Horas *Dominii solis*, stellarumque electionis, considerant Astrologi. indeque fausta vel infausta, prædicere solent, sæpe incerto documento, sæpius incertiori eventu. Nullam vero faustiorem universo rationali Orbi, evenisse horam, illâ qua in Cruce pendens JEsus, inclinato capite, *Crucifixionis peregit Spectaculum.* Etenim ex illa hora, *Mortis facta mors.* Illudque debilitatum Decreti pondus: *Anima, in qua hora peccaverit, morietur.*

Hujus *Redimentis temporis*, actus, ex primens vulneribus crucis impressis Franciscus: faustæ anuntiator est horæ. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, exhibeamus nosmetipsos, sicut DEI ministros, in multa patientia:*

1. Cor. 6. 4.

com-

compatiendo passo Redemptori. *in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis.* in plagis Concrucifixionis.

V. Significatio favorabilis ominis; extitit Mardochæo, hora somnii. *Dixitq. Mardochæus à Deo facta sunt ista, recordatus sum somnii quod videram, hæc eadem significantis, nec eorum quidquam irritum fuit. Parvus fons, qui crevit in fluvium & in lucem solemq. conversus est, & in aquas plurimas redundavit.* * CONCEP: Num: 175. Hester. 10, 4.

Somnii dum *IEsus Christus in lectulo Crucis obdormivit*, memoria repræsentatur in impressione stigmatum. Et potest Franciscus, *fons* dici *parvus*, ob minoritanam submissionem; & e vulneribus, ob sanguinis effusionem, Crevit iste fons, *in fluvium; ac in Lucem, solemq.* conversus. præ luce bonorum operum, *in Lucem Mundi.* solemque, juxta: *Justi fulgebunt sicut sol, in regno Patris eorum.* Quemadmodumque somnium illud, serenissimam regni majestatem Hester, præsignavit. ita communicatio vulnerum JEsu, Virum DEI regno cælesti designatum, asserebat. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et quod, somnio completo, protulit Mardochæus, hoc, proferendum: *Saluum fecit Dominus populum suum, liberavitq. nos ab omnibus malis, & fecit signa magna, atq. portenta.* Matt. 5. 16. it. 13. 43. Matt. 5. 3. Hest. 10. 9.

Sed vel aliquam, videamus efficaciam prædictionum Divi Patris. qui Matthæi de Rubeis, Magnatis Ursinorum Familiæ, cum allatum filium ut benediceretur, in ulnas recepisset; prædixit summum Ecclesiæ Pontificem futurum. fuitque postea Nicolaus III. dictus. *Similiter*, Hugolino Cardinali, protectori ordinis sui, visitanti se, prædixit vicariatum Christi in terris. Fuit is Gregorii IX. nomine insignitus. supremo elargitore coronarum, conferente Marian. c. 20. Greg. IX. Leg. de S. Patre.

rente gratiam prænoſcendi futura, ſervo ſuo, *non inſpectione Aſtrologica Nativitatis horæ,* ſed infuſione revelationis cæleſtis.

CAPUT XVII.

De 36. Scibili Geographico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Deſcriptionem, Diviſionem, Objectum, Conſiderataq́ Geographiæ, declarans.*

I. G*Eographia* ex Græco, Orbis terrarum deſcriptionem ſignificat. & differt a *Coſmographia.* quòd hæc pro deſcriptione Cæli & Terræ, totius Mundi, oculis humanis ſubjecti, ſumatur. Geographia verò, prò deſcriptione ſolius terræ, contentorumque ipſius.

II. Deſcribitur: *Eſt ſcientia Mathematica, explicans deſcribensq́ totius terræ ſitum in genere, præcipuarumq́ partium ejus in ſpecie, tam quoad poſitionem interſe mutuo, quam quoad expanſum undiq́ cælum.*

III. Dividitur Geographia, in *Chorographiam.* quæ eſt deſcriptio particularis, cujusdam Regionis; ut Hiſpaniæ, Galliæ, cum omnibus urbibus, pagis, ſiluis, montibus & fluviis. aut reſpectu Regionum conterminarum, aut totius terræ ambitûs. Et in *Topographiam.* quæ eſt propria & particularis deſcriptio Chorographiæ, ut urbis cujusdam, arcis, turris. in qua vel minimarum rerum, exacta haberi debet ratio. Addi poteſt etiam, pro tertia ſpecie: *Achronotologia Caſmica.* quæ cum iconibus, vel absque iis, Regnorum & Urbium, Terrarum ac Statuum, Morum & Conſuetudinum, actiones rituum, naturas incolarum, continet commentarios, porrigitque notitiam.

IV. Ob-

IV. Objectum Geographiæ, eſt Orbis terrarum. quem conſiderat ratione ſuperficiei, non ut eſt corpus. quatenusque ab hominibus inhabitatur, & refertur ad circulos cæleſtis ſphæræ. ad declarandos terminos & fines Provinciarum, earumque latitudinem & poſitionem monſtrandam.

V. Vaſta Terræ Machina, *in Orientem, Occidentem, Septemtrionem, & Meridiem* expanſa: magnis duabus partibus diſtinguitur. Orbe nimirum Veteri & Novo. *Vetus Orbis* tripliciter dividitur: *in Europam, Aſiam, Africam.* nec defuere dividentes bifarie: in Europam & Aſiam, deferendo Africam ad Europam. tanquam partem Hiſpaniæ annexam, nunc freto Gaditano, divulſam. Alii *quadrupliciter*: in Europam, Aſiam, Ægyptum & Africam. Aſiæ Ægyptum tribuendo, donec noviſſimi *ſinum Arabicum*, terminum inter Aſiam & Africam ponentes, Ægyptum Africæ aſſociarunt.

Porro *Orbis novus* dicitur. quòd contineat immenſam amplitudinem terrarum, è regione Europæ atque Africæ, verſus Occidentem ſitarum. Et *Novus.* quod à Veſputio Florentino, Emmanuelis Regis Luſitaniæ auſpiciis, à Gadibus profecto, primùm ex Europæis *America* ſit inventa, & dicta. poſtque à Chriſtophoro Columbo Genuenſi, magis luſtrata. Dividitur in partes duas: *Americam & Magellanicam.* Illa Arctoa, ſeu Borealis pars Orbis dicitur. hæc Auſtralis. quod ultima, verſus Auſtrum ſita eſt. & quod à *Ferdinando Magellano*, Anno Chriſti 1520. primum inventa, tali nomine inſignitur.

INVENTIO. Conceptibus V: *Delineationem Orbis terræ, Centrum ejus, conſideratáq; Extenſio-*

nis Geographicæ. in Concrucifixione Christo, repræsentans.

* CONCEP: I. Num: 176. CReaturam Mundi rationalem, rectè Docti, *Microcosmum*, id est *parvum Mundum*, appellarunt. Homo enim, præterquam contenta Orbis materialia, in constitutione Corporis sui contineat.

Telluris lapides: sunt Ossa. metallaq́ Nervi.

Pellis: crusta. pili, gramina. sanguis: aqua.

Participat quoque de proprietatibus, omnium ferme Creaturarum Orbis. Inquit D. Gregorius: *Omnis autem Creatura, habet aliquid homo. commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus. intelligere cum Angelis.* (Homil. 22. in Evangl.)

Quod subtiliter doctum sæculum, adinvenit in homine: hoc Salvator Mundi, vivis characteribus stigmatum, patenter in corpore Francisci, demonstravit. Ut quemadmodum, Aaron primi Sacri Antistitis Legis Antiquæ, *in veste poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia, in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta.* (Sap. 18. 24.) Ita ille, in veste carnis suæ, Orbis terrarum delineationem sculpentibus clavis efformatam, demonstraret fidelium Ecclesiæ. Proutque *Orbis terrarum*, quadrifarie dividitur: in *Europam*, *Asiam*, *Africam*, *Americam*. quas partes plagarum nomine insignit propheta. *A quatuor plagis terræ.* (Is. 11. 12.) *Super quatuor plagas terræ.* (It. 7. 2.) Ita in terrea carne Francisci, *DEus de terra creavit hominem.* (Eccl. 7. 1.) quatuor Manuum & Pedum vulnera, quatuor Orbis partes signant. ob læsuras membrorum *quasi terræ plagas.*

Nec sine mysterio, ab initio Ordinis sui, desiderans totius Mundi conversionem ad Christum, vix septem aggregatis sociis, iis iter universi Orbis, inflammativo sermone persuasit. factoque signo Crucis, sex Fratres, tribus (Wad. T. 1. fol. 46.)

bus Mundi plagis adaptavit. & versus quartam partem, ipse cum septimo socio perrexit. Supernæ Majestatis consilio, distribuente servo DEI, quatuor partes Mundi, Fratribus suis, quas mysteriosè expressit. Proportionaliterque ob Minoritanam *Parvuli Evangelici* humilitatem, appellandus: *Parvus Mundus.*

II. Conveniunt arcano Seraphicorum vulnerum, verba sacri vatis: *Operatus est salutem in medio terræ.* in mediis enim membris, Corporis *naturâ terrei.* Ut pote in medio manuum pedumque, ac in medio Corporis latere: operatus est Dominus, expressionem mysterii Crucis, signis sat evidentibus, sat sufficientibus. Quodsi de loco Hierosolymæ, quæ in *medio terræ* sita, dicitur. Ubi Christus passus est, intelligi debeant prædicta verba. Hujus ipsius loci *administratione* per Fratres suos, gaudet Franciscus, qui sacra Hierosolymitana Passionis Dominicæ loca, hucusque pie colentes, custodiunt. * CONCEP: Num: 177. Ps. 73. 12.

III. Atque ut loquitur Jeremias Propheta: *Qui fecit terram in fortitudine sua, præparavit Orbem, in sapientia sua*, JEsus Chstistus est, vulnera sua communicans Francisco. Is enim in *fortitudine Crucis*, & fortis sufferentiæ Passionum: fecit terram de maledicta, benedictam. & *præparavit novum Orbem.* signis Passionis & Mortis suæ impressis Viro DEI. Idque in *sapientiâ sua.* scilicet sapientia Crucis, de qua Apostolus. *Prædicamus Christum Crucifixum Judæis quidem Scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atq; Græcis, Christum DEI virtutem & DEI sapientiam.* * CONCEP: Num: 178. Jer. 51. 15. 1 Cor. 1. 24

IV. Grande Crucis Sacramentum, si intelligere placuerit? Geographicarum considerationum, objecta non levia reperiemus. Inquit Maximus Taurinensis: *Cœlum quoq; ipsum, hujus signi figurâ, dispositum est. nam cum quatuor* * CONCEP: Num: 179. Homil de Cruce 3.

tuor partibus distinguitur, Oriente, Occidente, Meridiano at septemtrione, quatuor quasi Crucis angulis continetur. De Salvatoris in Cruce extensione, partibus Orbis accomodata, pulchre venerabilis Beda:

Homil. in Luc. 23.

Quatuor inde plagas: quadrati colligit Orbis.
Splendidus Auctoris, de vertice fulget Eous
Occiduo sacræ, lambuntur sidere plantæ.
Arcton dextrâ tenet, medium læva, erigit axem.

Crucis Christi vi & virtute, in Concrucifixione: quemadmodum *Terrarum Orbis*, distinguitur, in Zonas seu *Cingulos*, circulares; in *Climata*, minores continentia circulos. atque licet magnitudinis non postremæ sit: *punctum* respectu cœli vocatur. Ita *terrea caro* stigmatibus insignita: non sine *Cingulis* fasciarum est, vulnerata membra ad sistendum sanguinem ligantibus. non sine *Circulis parallelis*: rotundorum in manibus & pedibus Vulnerum. Atque *punctum* minimum, vocari potest: ob humilitatis demissionem. aut ob *puncturas clavorum* infixorum.

* CONCEP: Num. 180.

V. Geographicæ picturæ, seu descriptionis Orbis, subjectum est: *Membrana extensa.* Mappa dicitur. quod sicut mappam, in mensa extendunt. Ita Geographicas *membranas* in mensis exponunt, in parietibus extendunt. *Instrumentum* autem descriptionis: est calamus, vel scalprum. *Color*: rubeus vel subniger. *Figura* Orbis descripti: rotunda. *Signa*: Denotantia eminentiora loca, urbesq; præcipuas, aut Metropolitanas, sunt *puncta* vel *Cruces*.

Stigmatisatum Corpus, *Mappæ Geographicæ* simile. & quoad *extensionem mappæ*: in extensione Concrucifixionis, non obscura. quoad *exarationem scalpro*; quoad *signa punctorum & Crucis*; ac quoad *Colorem rubeum*: non hæc quoque obscura: in sculptura vulnerum; rubore sanguinis; puncturis clavorum; mysterioque Crucis. Profecto

parva Charta Carnis Francisci, magni præfert figuram Orbis. pauperque spernens mundum, facile ejus repræsentat formam, juxta:

Clauditur angustis, terrarum machina chartis.
Et faciem mundi, parva papyrus habet.
Non solum nunc terra Ducum est. pervenit ad omnes.
Tot pretio terras, jam quoq; Pauper emit.

CAPUT XVIII.

De 37. Scibili Hydraphico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Descriptionem, Differentiam, Objectum, Divisiones, Considerataq; Hydrographiæ, declarans,*

I. H*Ydrograghia* à *Hydraulica* differt. nec idem significare. illa est descriptio seu speculatio aquarum, quoad Qualitatem naturalem, situmque diversum; hæc est practica deductio variorum effectuum aquæ, in machinis industriâ ad inventis, & elaboratis.

II. Aqua, Objectum Hydrographicæ considerationis, quatenus Globum terrenum concernit, pars est Mundi inferioris, centrumque cum Terra universi. Elementum est *pellucidum.* quia enim rara, lumini est pervia. Unde si non fuerit alta, crassa turbatave, ostendit Diaphana, quæ in imis ejus resident fundis. *Aerem* densitate, *Terram* raritate superat. Estque aut *Mota.* idque dum currens agitatur reciproce, ut Maria. vel agmine perpetuo defluit, ut flumina, fontesque. aut *Quieta* stagnansque, & non nisi violentia ventorum agitari solita.

III. Inter Aquas, primo loco offeruntur *Maria.* seu reciprocantium aquarum Generalis collectio. per *reciprocationem* autem, intelligitur Æstus, seu *Maris Motus*, quo

exundans fluit, & exactà periodo refluit. ab aliis Maris accessus & recessus dicitur. Causæ ejus variis variæ placent, hanc si non spernis accipe. Moveri mare diversis Motibus, quod ventorum impulsu cieatur, & ab Oriente in Occasum perpetuo fluit, ob diurnam cælestium Orbium conversionem, à quibus occulta quædam vis, aquas secum abripit in Oceanum. Videtur hoc velle Vegetius: *Elementum Pelagi, tertia Mundi pars est, quod præter ventorum flatum, suo quoq; spiramine motuq; vegetatur.*

De Re Milit. L. 4. c. 4.

IV. Universa Aquarum Maris moles, generaliter Oceanus appellatur. particulariter verò, pro diversitate locorum, & Mundi plagarum. ab Oriente, *Eoum*; ab Occidente, *occiduum*; à Meridie, *Australe*; à septemtrione, *septemtrionale* nominatur. Ac ut à septemtrione, Orientem versus progreditur, occurit mare *Sarmaticum* & *Scythicum*, Sarmatiam & Scythiam abluens. Utrumque *Hyperboreum* & *Glaciale* seu *pigrum*, dictum. Sequuntur mox ad Orientem: Mare *Sericum*, Chinense, & Archipelagus S. Lazari. A meridie autem: Oceanus Indicus, Persicum Mare, & Arabicum. Superato *promontorio Bonæ spei.* occurit Oceanus *Æthyopicus*, inde *Atlanticus*. Hinc, excipit *Gallicus*, mox *Britannicus* & *Oceanus Germanicus*, Germaniæ littora lambens. Quidquid demum aquarum est, inter Asiam, Americam, Magellanicam. Mare vocatur *Pacificum*. Et quod inter Americam, Europam, Africam, ad lineam æquinoctialem protenditur. *Mare septemtrionale*, dicitur.

V. Inter Maria quæ ex vasto Oceano, per Freta, non uno loco, penitiora Terrarum ingrediuntur: primarium est *Mare Mediterraneum.* sic dictum, quòd *Terram* cognitam tunc temporis, dum appellationem hanc nactum, *mediam* quasi secaret. Præter Mediterraneum hoc, magnum inter-

internum Mare, reliqua interna non tam Maria, quam sinus censenda. Interna autem dicuntur, quod per sua Freta, terras irrumpant.

Ipsa natat tellus, Pelagi lustrata coronâ
Cingentis Medium, liquidis amplexibus Orbem.

INVENTIO. Conceptibus V: *Orbem aquis circumfusum, Varia Maria, Circumstantias eorum, fluvios & fontes, puteosq; in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. EXcitabat & hortabatur, Sacer Hymnographus, ipsas aquas elingues, ad promendam Altissimi laudem. *Aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini*; sed illas, quæ *super* cœlos sunt. quasi quæ *sub cælo*, indignæ & ineptæ viderentur. Igitur sapientia incarnata, ut terræ Molis, superstructa Aquis, *supermaria fundavit eam, & super flumina præparavit eam*, una simul cum Aquis, laude rationali, coleret Creatorem; in *Orbem terrarum*, cinctum & affluentem maribus fluviisque, Corpus Francisci efformavit. Communicatio enim dolorum Christi, Condolentiaque Passioni ejus, *Magna est velut mare*, dicente Propheta. * CONCEP. Num. 181. Psl. 148. 4. Psal. 23. 2. Thr. 2. 13.

Quemadmodumque DEus, elegit & præscripsit locum habitationis populo suo, termino Maris. *Et terminus Maris, erit vobis mare magnum, & terminus iste, erit vobis terminus Maris.* Ita animæ Seraphici Patris, locum habitationis, *scilicet Corpus*, circumdedit JEsus Christus, *terminis Maris rubri*, sanguinis. terminisque impressorum vulnerum, quibus in Cruce, terminavit vitam, explens illud: *Consummatum est.* Deut. 34. 6. Joan. 19. 30.

II. Mare *Oceani*, à littoribus plerumque accipit nomen. & à *Dextris*, ubi primum terram intrat: *Arabicum*, * CONCEP. Num. 182.

Persi-

Persicum, Indicum. à ſiniſtris vero: *Britannicum, Germanicum, Scythicum* appellatur. Sanquis *dextræ manus ſiniſtræq;* Concrucifixæ: appoſitè aquis marinis littora dextra ac ſiniſtra carnis alluentibus, asſimilari poteſt. *Hoc mare ma-*
Pſ. 103. 25. *gnum & ſpatioſum manibus.*

At & Mare Mediterraneum, quod ex Oceano, inter Abylam Mauritaniæ, & Calpen Hiſpaniæ promontorium, irrumpens, per medias terras diffunditur. Africamque dirimit ab Europa: exprimitur lateris vulnere. Et *Mediterraneum* dici poteſt: quia ſanguineis æſtuans fluctibus, in *medio Carnis*, medium inter vulnera manet. dividitque vulneratum corpus, in imam & ſupremam partem. Utque Propheta apponit *Cor* Mari, alloquens Tyrum. *Ventus*
Ezech. 28. 25. *Auſter contrivit te, in corde maris.* Nec Mare vulnerum, absque corde, in latere læſo eſt.

Mare quoque *Atlanticum Oceanicum*, eò quod erectæ ſtaturæ montem Atlantem alluit. & quòd, *ocius cæteris currat*, taliter vocatum: ſanguis è vulneribus pedum, ſignat & denotat. Staturam erectam hominis, quaſi *Montem allambens*; ociùsque: ambulantibus licet ægrè pedibus, *abſolvens curſum.* Poterat patiens Job alios, Franciſcum non poterat interrogare: *Nunquid ingreſſus es profunda Ma-*
Job. 38. 16. *ris, & in novisſimis Abysſi deambulaſti.*

* CONCEP: Num. 183. III. Nec ſolum *Materiam fluidam* Maris: fluxu ſanguinis ſui, Concrucifixus Chriſto demonſtrat; ſed quoque accidentia circumſtantiasque. Et quantum ad Colorem *Maris rubri*, vel *Mare Roſſo* dicti. ob terram rubeſcentem vel aliam qualitatem aquæ: Mare amaritudinis Pasſionis Domini, purpureis quoque reſplendet guttis, ac rubeſcit. Utque Mare mater matrixque aquarum, arenoſis clauditur locis, *Poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum,*
Ier. 5. 22. *quod non præteribit.* Ita hic multæ ſimilitudo adeſt arenæ. &

& quidem parvula semina, in Minoritana voluuntur Humilitate; aut in Corpore, naturâ pulvere. *distinctio* autem ad invicem arenæ, ejusque sæpe *rubicundus* ejectis corallis, variatio: ac ipsum quinque literarum nomen *Arena*. In Corpore, *distincto ab invicem* vulneribus; corallis sanguinis rubescenti; in numeroque quinque stigmatum, patent.

IV. Fluvii, decurrunt inter bina riparum, *medium tenendo*, latera. ab utraque parte prominentium. *Inter medium Montium pertransibunt Aquæ.* Fontes vero, in spatiis terræ declivibus scaturiunt. *Emittis fontes in Convallibus.* Job etiam asserente: *Torrens qui raptim transit in convallibus.* Omnes autem aquæ, *intrant in Maria nec redundant.* Mare Passionis Domini, inter littora corporis Concrucifixi defluens: licet si Amaritudine amaroque sapore, instar Marium, præditum sit. & dulcium tamen fluviorum ac fontium, similitudine, abundat & dulcoratur. Juxta: *Secundum multitudinem dolorum meorum, in corde meo, consolationes tuæ, lætificaverunt animam meam.* Laterale itaque Vulnus: fundit fluvium sanguinis, inter duas hic & inde adstantes vulneri, divisæ carnis partes, quasi instar eminentium riparum valla. Vulnera item Manuum ac pedum demissorum: stillant guttas sanguinis, tanquam in locis *declivibus* fontes. Dicere Sanctus potest: *Ostendit mihi fluvium vitæ*, dicere & nos de ipso possumus: *Benedictio illius, quasi fluvius inundavit.*

[Margin: * CONCEP: Num. 184. — Ps. 103.10. — Job. 6. 15. — Ps. 93. 19. — Apoc. 22.2. — Eccl. 39.28.]

Sed & mysterium fontis, res enarrat. Ad Conventum de Saxo Montis falco, ab ingenti quodam lapide sylvis vestito cognominatum, reperitur fonticulus perennibus aquis abundans, quem miraculosè eduxit Franciscus, cujus & Nomen hucusque hæreditat. mirum? aqua ejus hausta efficaciter sanat febres, morbosque submergit varios,

[Margin: Wad. T. 1. fol. 159.]

rios. Meritis ejus qui convenientia fontibus loca, expres-
sit mysteriosè.

* CONCEPT. Num: 185. Baron. T. An 6. an. 446.

V. In Ecclesia Cathedrali Constantinopolitana, fuit puteus deaurato tectus cooperimento, in hunc, imago Crucifixi, quam Judæus odio Christianæ Religionis, cultro perfodit, cum ex inflicto vulnere, copia sanguinis efflueret, injecta: aquam totam cruentavit. Mane facto, ex more, ad hauriendam aquam, venientes, sanguinem repererunt. delatus ad Præfectum urbis casus, qui projecta occisorum cadavera quærere mandavit, at nullum repertum. nonnisique imago Crucifixi vulnerata, fundens sanguinem. Fassus crimen sceleris patrator, fidei susceptione Catholicæ, mortem effugit. Salvatoris vero veneranda imago, supra puteum, ambitu murorum Ecclesiæ adjunctum, collocata est.

In Ecclesia Sancta, Catholica Romana: *profundissimus* humilitate; plenus *aquarum pœnitentiæ*; fundens è *vivo corpore sanguinem*; Vulneribus *excavatus puteus*; extitit Franciscus. in hunc Crucifixus JEsus, *imaginem mortis suæ*, impressis signis Crucis, imposuit. Ut, ubertim è puteo corporis ejus, Vulnerum fluvii manarent, & eggrederentur. Malis Catholicis ad terrorem & confusionem. Bonis ad amorem & consolationem, Alter: *Puteus aquarum viventium*.

CAPUT XIX.

De 38. Scibili Optico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Descriptionem, Differentiam, Divisionem, Objectumq; Opticæ. declarans.*

I. O*ptica* Græcis. latinis *Perspectiva*, aut scientia *perspiciendi*

endi ſeu perſpectandi. hinc ab *Obtutu*, vel *Optutu:* quod perſpectare accurateque videre ſignificat, nomen ſibi uſurpat. Apud Arabes autem, Libri Doctrinæ hujus, de *Aſpectibus*, vocantur.

II. Deſcribi poteſt: *Eſt ſcientia Phyſico Mathematica, de regulis prope vel in diſtans, lineis rectis vel non rectis, accurate, & non erronee perſpiciendi.*

III. Speculativa dici poteſt. quòd indagationis ejus, non ſit finis, Opus aliquod, ſed *Demonſtratio.* ad diſcernendum inter id, quod apparet in viſu aliter, quàm ſit; & illud quod apparet ita, ut eſt. Sicut quadrata, dum reſpiciuntur de longinquo, videntur eſſe concurrentia, & æqualia, videntur eſſe non æqualia. Quantum autem ad fabricam *Tubi Optici*, *Perſpiciliorum*, *Speculorum*, hæc non curæ ejus eſt, ſed Mechanicæ.

IV. Æquâ lance diſtribueretur: in *Doctrinam de Viſionis accidentibus*, requiſitis vel non requiſitis; conducentibus, vel obſtantibus, & aliis concernentibus. & in *Doctrinam de Modis Viſionis*, non erroneæ, ſed accuratæ. Ait Alpharabius: *Scientia de Aſpectibus, docet quibus modis viſus errare poteſt, ad hoc ut non erret. docet apprehendere altitudinem arborum, & parietum montiumq́, profunditatem quoq́ fluviorum, quatenus cadit viſus ſuper horum fines.* De Diviſion: Mathem.

V. Objectum, hujus *ſcientiæ viſivæ*, inſtrumentale, *Quo*, eſt Oculus, terminativum vero, eſt *viſibile.* ideſt quod videri poteſt. Porro *ſubjectum viſionis*, ſeu Formale organum viſùs. eſt illa pars Oculi, in qua actus viſionis elicitur & recipitur. Eam autem alii putant eſſe: *Nervum Opticum*; alii Oculi membranam *Araneam*; alii, Membranam Retinam. quæ immediate, humorem vitreum ambit. Oculus enim tribus humoribus conſtat: *Aqueo, Cryſtallino, vitreo.* & ſeptem tunicis, ſeu Membranis: *Adnata, Cornea, Sclerode, Choroide, Retinâ, Aranea, Uvea.* IN-

INVENTIO. Conceptibus V: *Tubum Opticum, Oculi speciem, Visionem Sacrorum, fenestras Videndi, mysteriaq. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: Num: 186. I. OMnipotens creans Artifex:

Ovid. I. Met. *Os homini sublime dedit, cælumq; videre Jussit & erectos, ad sydera tollere vultus.*

Ut autem ad *alta* & *dissita*, visio oculi Humani, magis pertingere posset. *Tubum Opticum*, Mathematica scientia, in subsidium Naturæ, ad invenit.

Christus JEsus, ab oculis hominum, ascensione in cœlum, procul sublatus, *in altissimusq; habitans:* Ut commodius corporeis oculis, in alto videretur, Franciscum impressione vulnerum suorum, in similitudinem *Perspectivæ*, seu *Tubi Optici*, efformavit. Quòd mysteriose possint Divi Evangelistæ, trutinari verba, postquam jam in Cruce pendentem, *omnium oculis expositum*, descripsisset Dominum. *Et*
Joan. 19, 36. *iterum alia scriptura dicit. Videbunt in quem transfixerunt.* Quasi jam conspectum, *iterùm* visuri forent, in signis transfixionis Francisci, similitudinem JEsu Crucifixi. Con-
Is. 38, 14. quæri Sanctus non potest: *Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in Excelsum.* carne ejus efformata Crucis signis, in similitudinem *Tubi Optici*, quo distantia & longinqua, ac si proxima cernuntur. Cum vulnera: & transparentiam & profunditatem, & rotunditatem, & internam obscuritatem, *Tubi Optici*, exprimant.

* CONCEP: Num. 187. II. Immo stigmata, agentia vices oculi, suspicientis in Excelsum & ad cælestia, nihil incongrui asserere. Sicut enim in architectura Oculi, adest cavitas. in cujus medio globi figura, hanc & illam partem sequitur, nervis opticis alligantibus & retrahentibus. ita hic, Cavitas est Vulnerum fora-

foraminis; sunt in medio clavi, rotundæ Capitellorum figuræ, in utramque partem agitabiles, musculis manuum & pedum, alligati & attracti. ait S. Bonaventura: *Cernebantur quidem in membris illis felicibus clavi, ex ejus carne, virtute Divina, mirifice fabrefacti, sicq; carni eidem innati, quod dum à parte qualibet premerentur, protinus quasi nervi continui & duri, ad partem oppositam resultabant.* Quemadmodumque Oculi, abundant liquidis humoribus; suntque lachrymosi dilluvii meatus. Sic vulnera non sicca, sanguinei enim humoris erant fontes, & scaturigines bullientes. dicere valet Beatus Pater, ad DEum *stillat oculus meus.* cum juxta illud: *Pungens oculum, deducit lachrymas, quæ sæpe sanguinolentæ sunt.*

Vit. c. 15.

Job. 16. 2.

Eccl. 22. 24.

III. Conveniunt patientissimi Job verba, Francisco signa Crucis præferenti. *Et in carne mea, videbo Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* nam per objectum carnis suæ, tanquam per Tubum Opticum, vidit Salvatoris Crucifixionis, similitudinem in se. aliisque monstravit. *Et quidem ipse & non alius.* Cum solus tam *expresse & vivifice*, summis Pontificibus approbantibus, signa Mortis Christi, detulit. optans corditus semper:

* CONCEP: Num. 188.

Job. 19. 26.

Nil videam quamvis, in te Christe omnia specto.
Omnia si videam, te sine, specto nihil.

IV. Nec absque mysterii latebra, Sponsa JEsu Christi retulit: *Similis est Dilectus meus capreæ, hinnuloq; cervorum, en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Et rectè Capreæ & hinnulo, scandentibus alta montium, transilientibus declivia, Unigenitum DEI, comparavit. Siquidem assumptus in cœlum, transiliit inferiora, *ascendit in altum.* Jam autem quid per parietem, cujus *fenestris cancellisq;* prospiciens, & ipse con-

* CONCEP: Num. 189.

Cant. 2. 9.

conſpectus à Sponſa ſit, intellexerit? poſſe explicari in
Pſ. 60. 4. Franciſco, *parieti* illi, de quo ſacer textus: *Quousq; irruitis in hominem, interficitis univerſi vos, tanquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ*, comparando. Tum ob *inclinationem* Minoritanæ Humilitatis; tum ob *Maceriam* vulnerum. Poſt hunc itaque Parietem, *ſtantem Redemptorem*, id eſt expoſitam ſimilitudinem Redemptionis, Sponſa Chriſti, Eccleſia Catholicâ, conſpicit per *Cancellos* & feneſtras vulnerum.

* CONCEP: Num: 190. V. Job exemplar Patientiæ, repletus vulneribus, plene afflictus, Tribulationem, *reſpectum DEI* in carne ſua
Job. 7. terminatum, myſterioſe non dubitavit appellare. *Oculi tui in me, & non ſubſiſtam.*

Seraphicus Vir, vulneribus Crucis repletus, alloqui poteſt Agnum, ab æterno *prædeſtinatione*. & in tempore, *executione ferali* occiſum: Innocens Agnicule JEſu Cruci-
Apoc. 5. 8. fixe. (de quo S. pagina: *Vidi & ecce in medio Throni & quatuor animalium, & in medio ſeniorum, agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem & oculos ſeptem.*) Oculi tui in me, communicatione Vulnerum tuorum, his me reſpexiſti. Nihilque Novi, *Oculis Vulnerationem* adſcribe-
Cant. 4. 9. re, innuente eandem cælesti Sponſo: *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa, vulneraſti cor meum, in uno oculorum.*

Et qui vulneribus ſuis, *organa myſterioſi viſus* efformavit. is interceſſione ſua ad DEum effecit, ut in locis vul-
S. Bon. Vit. c. 16. nerum, inſtrumenta viſus naturalis reſiderent. Cum enim quidam, in pænam furti, calumniâ imputati, ſub Octaviano Civitatis Aſſiſii Judice, efoſſione oculorum deformaretur, & anguſtiatus præciſione nervorum, cum cultello duceretur ad altare S. Patris, poſtularetque miſer gratiam, novos meritis ipſius recepit oculos, non minus limpidè ut priores, viſui ſervientes.

CA-

CAPUT XX.

De 39. Scibili Catoptrico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Deſcriptionem, Differentiam, Diſtinctionem, Objectumq́ Catoptricæ, declarans.*

I. NOtitia, prout eſt de *Speculis Uſtivis*, ſeu refractione radiorum Solis comburentibus, *Catoprocauſtica* dicitur. prout vero eſt, de ſpeculis *Viſivis*, vocari ſolet *Catoptrica.*

II. Sumpta cum utraque ſpecie, deſcribi poteſt: *Eſt ſcientia Mathematica, opticæ ſubordinata, conſiderans ſitum & formas quantitatis, radii viſorii vel ſolaris, miſſi in corpus aliquod diaphanum, ad indagandam rationem, diverſorum effectuum repræſentationis Objecti.*

III. *Mathematica* dicitur, propter trutinam diverſæ quantitatis, ſubjecti & Medii radiorum. *Optica*, propter præſentationem Objectorum viſûs, & viſui. Atque poteſt eſſe partim *Speculativa*, partim *Practica.* prout vel Solas rationes *repræſentationum, effectuumq́* conſiderat. Vel Repræſentationum artem, modosque præſcribit.

IV. Duplex Scientia *Catoptricæ*, ſtatui poteſt: de ſpeculis *per medium ſui*, ſpecies objectorum, ad oculum transmittentibus. & de ſpeculis, ſpecies per idem medium per quod ferebantur, *reflectentibus*, & oculo referentibus. Rurſus *Specula Viſiva*, ſpecies transmittentia, ac præſentantia: alia ſunt Objectorum ſpecies *refringentia*, alia *Reflectentia.* Et hæc, *Concava, Convexa, Plana, Mixta, Multangula.* Specula autem *Combuſtiva*, vel ſunt radios ſolares, per *refractionem* in unum locum congregantia, vel reflectentia. Et hæc duplicia ſunt: alia tota ſui profunditate, diaphana, poſteriore opaca. qualia ſunt ſpecula communia, quibus lamina plumbea ſupponitur. alia ſimpliciter Opaca.

V. Illud autem Vulgò *Catoptricis* speculum est: cujus medium ultra se species transmittens, easdemque refringens, aut à se reflectens, objecta repræsentat. sive illud sit Crystallus, sive Vitrum, sive quodpiam aliud corpus diaphanum, aut solidum, ut Marmora, & Limatum ferrum.

INVENTIO. Conceptibus V: *Lucida Specula Legis Antiquæ, Circumstantias, Effectus & mysteria Mystici Speculi, in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: I. Num: 191. NOn longe à loco Residentiæ Domini Sabaoth, in Lege Veteri, jussu de cœlo, Moyses, *fecit labrum aneum, cum basi sua, de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* (Exod. 38. 8.) Causam Expositores enarrant: Ut Sacerdotes ingressuri tabernaculum, ornatum suum, ad speculum, concinne adaptarent, maculasque conspectas, lavacro eluerent. Salvatoris Mundi, latus lancea apertum, *ostium* est Sacratissimi tabernaculi, corporis ejus. *Labrum irriguum aquis:* est fons sanguinis & aquæ, inde manans. Membra autem candidissima, clavis perforantibus diaphana: Specula lucidissima sunt. Christus enim, *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula, DEI majestatis.* (Sap. 7. 25.) Ut recte Drogo Ostiensis proferat: (De S. Domini Pass.) *Fecisti Domine JEsu de corpore tuo, flagellis conciso, spinis coronato, Cruci affixo, speculum animarum nostrarum.* Ast postquam assumptus est in cœlum Dominus: Franciscum, Vulnerum suorum signis decoratum, vices *speculi*, Crucifixionis, supplere voluit & statuit. siquidem membra ejus, clavis transfigentibus, transparentia videbantur, instar pellucidi speculi. Nec sine arcano factum, quòd in superliminari lapide Loci, ubi natus est Patriarcha Pauperum, vetustis chara-

cteribus inſcriptum ſit, hoc inconcinni metri carmen:

Oratorium: fuit bovis & aſini ſtabulum
In quo natus eſt Franciſcus, Mundi ſpeculum.

II. Quemadmodumque Legis Antiquæ ſpecula: ad *labrum aquarum in oſtio Tabernaculi* poſita. Ita Salvator, ſpecula ſtigmatum, poſuit ad labrum aquarum: *Lachrymoſæ Pœnitentiæ, & Condolentiæ Chriſto.* Ferventer & frequenter prædicante Franciſco, *Verbum Crucis & fructus pœnitentiæ.* Ut non exequentibus prædicationis mandata, conveniret paræmia: *Si quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur Viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo, conſideravit enim ſe & abiit. & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit.* Quantum ad *oſtium* expoſitorum ſpeculorum: hoc exprimit, ex omnibus Eccleſiis Ordinis ſui Charior Viro DEI, *Portiuncula*, ab *Oſtio, vel parva porta*, dicta. Ubi ad oſtium, cum Publicano ſtans, ſæpius exorare ſolebat cœlum. Ubi *plenaria Indulgentia*, die ſecunda Auguſti, pro toto Mundo impetratâ, *oſtium vitæ* apertum.

* CONCEP. Num. 192.

Jacob. I. 23.

III. Quod ſi in ſpeculo Concrucifixionis, videre deſideras communem materiam ſpeculi, ex qua ſolet eſſe fabrefactum. ſcilicet è combuſtis lignis, *cinerem*; igne percolatum & coadunatum; transparentis ſubſtantiæ Vitrum; ad opacitatem, diaphaneitatemque, quòd nigreſcens & candeſcens ſit plumbum, laminâ plumbea ſubductum; hæc adſunt. Nam Franciſcus, Habitu cinereo veſtitus; ardens in flammigeris Lignis Crucis Chriſti, alterque aduſtus Phænix. Item, Corpus ejus, transparens, ob transfixionem manuum ac pedum. Et laminâ, non plumbea quidem, ſed ferreis ſimilium clavorum, ſubductum, ſolidatumque. ad expresſionem ferme omnium, materialium ſpeculi circumſtantiarum.

* CONCEP. Num. 193.

* CONCEP: Num. 194. Lib. de Exemp. Vir. c. 3. n. 9.

IV. Jucundum relatu, quod *P. Joannes Rho* tradit: Vixit Florentiæ puella quædam, mundi mancipium, corporique ornando in dies vacans. Hyppolitus autem Galatinus, Vir Virtutis & Zeli, ex adverso domus illius habitabat, cernens quòd horas ad speculum fenestræ appensum, ut se aliosque secum perderet, absumere solita esset. Itaque cubiculi sui fenestras aperiebat, ac studiose obambulans, ornatui vestium criniumque, quasi ad speculum aliquod, insistebat. Observavit illa curiosius, & mirata Viri vulgò sancti levitatem, non sine cachinno, speculum ejus postulavit. Nactus opportunitatem, novi generis speculum, Christi nimirum passi tabellam eleganter depictam monstravit & donavit. perculsa spectaculo, velutque in divina crystallo, conspicata vanitatem, totam se religiosæ vitæ consecravit. Franciscus quoque, Mundi amatoribus, domus corporis sui fenestras, apertis vulnere membris aperuit. Ut speculum similitudinis passi JEsu, inspicere cuique liceret. De repræsentata imagine Crucifixi, in corpore Concrucifixi, proferre convenit. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* (1. Cor. 14. 12.)

* CONCEP: Num. 195.

V. Optime utilitatem, inspectionis Crucifixi JEsu, intelligens Sanctus Rosedinus, Conim bricensis Episcopus, pro stemmate suo, eligit Crucem. è cujus dextro brachio, *speculum.* è sinisto, *circinum* suspensum erat. Ut indicaret, virtutes omnes conspici, iisque veluti circino vitam nostram ac mores admetiendos esse. Francisci stigmata: sunt talia stemmata. & *Crux* JEsu, evidentibus signis, in corpore ejus delineata; Membraque perforatione transparentia: *instar speculi* sunt. nonne quoque *Circinus* dependens de Cruce & à Cruce Domini, norma & Regula Vitæ ejus, fuit semper. Optime Seraphicus Pater, scivit & practicavit: quod scivit & practicavit Seraphicus ejus Filius.

Did. Mar. in Vit. L. 2. c. 13.

lius: *Sit ergo regula vivendi passio Salvatoris, & tanto am-* S.Bon.Stim.
plius in hoc consolemur, quanto amplius Christo conformamur, p. 1. c. 4.
& tanto amplius desolemur, quanto ab hoc exemplari, ac regula elongamur.

CAPUT XXI.

De 40. Scibili Gnomonico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Descriptionem, Divisionem Differentiam, Objectumq; Gnomonicæ, declarans.*

I. PEr *Gnomonicam:* doctrina de Gnomone, id est stylo horas indicante. seu umbilico, cujus umbrâ internoscuntur horæ. intelligitur. ab aliis sciotherica appellatur. id est umbram venans horarum, sive deprehendens umbris horas.

II. Describi potest: *Est scientia Astronomica Practica, considerans situs motusq; Orbium cælestium ac Astrorum, in ordine ad monstranda tempora & horas, in corporibus physicis, signo aliquo intercipiente Solis lumen.*

III. Gnomonica Investigatio horarum umbris, duplex est. *Naturalis & Artificalis.* priori vulgò utuntur villici & Agricolæ. loco *Sciotherici*, habentes de die *Umbras* suorum corporum; aut ex umbra ab inserto digitis ramusculo, per volam manus sparsâ, colligentes mediam diem, vel pomeridianum spatium, pro majori vel minori quantitate umbræ. *Posteriori*, scientifici & politioris ingenii, stylo inserto, dimensis lineis, characteres horarum, umbrâ solis, edocente.

IV. Prædictæ Gnomonicæ, conveniunt in hoc. quòd ambarum Sciotherica, nonnisi de die, sub dio, idque cœlo dumtaxat Sereno, practica sint. Rursus *Artificia-*

ficialis, indicat umbris horas: aut *per se*, dum directe proprie monstrantur projecta à gnomone umbrâ. aut *per accidens*. dum non ipsa umbra, sed in umbra & opaco corpore, intus descripto lineis horarum, per immissionem radii solaris, foramine ad hoc præparato, signantur & declarantur.

V. At non solum, *Sciothericon*, materiale Objectum est Gnomonicæ, quo umbrâ solis, horæ indagantur. sed etiam est *Horologium Magneticum*. dum acu versoriâ, Magnetis beneficio, totius primi Mobilis Situs & Motus, ad umbram Solis, aut ad Motum Acûs, sine Umbra exhiberi solent. In quo demonstrantur, mira virtute magnetis, mirâ utilitate: gradus, declinationes, Ortus Occasus Solis, quantitas dierum & noctium, item crepuscula, signa Zodiaci, lineæ signorum ejus ascendentium, horæ diurnæ ac Meridianæ. Et quæ sunt Considerationis: *Scientiæ de Tempore*.

INVENTIO. Conceptibus V: *Horologium Achaz, formam Sciotherici, Magnetica signa horarum, Specimenq́. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

*
CONCEP: I. Num: 196. CLaret fulgore famæ hucusque, *Umbratile* horologium Achaz, in quo Sol decem lineis regressus, quindecim annorum Vitæ, Ezechiæ Regi ægrotanti, fecit illucescere horas. *Adjiciam super dies tuos quindecim annos.*
Is. 38. 6. *ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in Horologio Achaz in sole retrorsum, decem lineis, & reversus est Sol decem lineis, per gradus quos descenderat.*

Sol justitiæ, Christus JEsus. mortalis & immortalis Vitæ Author, non solum ægrotanti uni homini, sed Univer-

so

ſo Mundo, adferens Salutem. Ut *Horologium Vitæ annun-
tiativum*, in Domo Eccleſiæ ſanctæ, redemptis ovibus
ſuis extrueret, & fundaret: comparavit Franciſci Corpus,
projiciens umbram ſimilitudinis ſuæ, adnotansque *puncta* Vi-
tæ in Cruce terminatæ. nimirum Vulnera ſuis ſimilia. Et
quidem ſimile, Umbratili Horologio Achaz. nam ut *quin-
tuplici numero* præditum fuit. quindecim annos, in *ter quin-
que* dividendo; ac decem lineas, in *bis quinq́.* Ita Quin-
cunx quoque ſtigmatum. Sicut propter Ezechiam de-
ſcendit Sol retrorſum decem lineis, ita Sol Chriſtus. di-
cente Prophetâ: *Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol* Malac. 4. 2.
juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus. qui aſcendit in cœlum, *de-
ſcendens retrorſum*, ad Montem Alvennæ venit. Idque *per
decem lineas*, transeundo nimirum, novem choros Ange-
lorum, & decimum *Chorum Beatorum*, naturâ humana, ab
Angelis diſtinctorum. Dictumque de effectu Horologii
Achaz: *Hoc autem erit tibi ſignum à Domino.* Vocanda Iſ. 38. 7.
quoque ſunt Seraphica Vulnera: *Signum factum à Domino.* *

II. At cum ſenſibilia, magis hominem moveant, ma- CONCEP:
terialia quoque Sciotherici ſtructuræ requiſita, non ob- *Num:* 197.
ſcura eſſe. *Plana* ſuperficies tabulæ; efformatio linearum
ſciſſuris exarata; & certo intermedio diſtincta. Etenim
amotâ *elevatione* ſuperbiæ; rejectâ *contractione* Avaritiæ;
comminuta *aſperitate* iræ; inſtar *planæ tabulæ*, anima Fran-
ciſci facta: Propheta de ſervis DEI narrante: *In omnibus* Iſ. 49. 9.
planis paſcua eorum. Loco autem *linearum exaratarum, &
inter ſe diſtinctarum:* eſſe ſciſſuras, vulnerati lateris, ma-
nuum & pedum. Et quoad *infixionem Gnomonis*, in medio
Solaris Horologii, ſeu *Styli ferrei acuti*, umbram horarum
indicem projicientis: exprimitur ſtylo, clavorum *ferreis* S. Bon. Vit.
ſimilium, in medio volarum & plantarum, fundatorum. *Um-* c. 15.
bram Mortis JEſu, ſignificatione monſtrantium. Gloria-

Cant. 2. 2. ri poteſt Sanctus, *ſub umbra illius, quem deſideraveram ſedi.*

Sciens Ultimas vitæ ſuæ horas, illas tanquam *Horologium Umbratile*, pro gnomone acuto, cuſpidato calamo; pro umbra, nigro attramento; pro motu Solis, mobilitate manûs ſcribentis uſus: Jacobæ de ſeptem: Soliis, Nobili Romanæ, brevi Epiſtolâ, immediate ante mortem ſuam ſcriptâ, declaravit. invitans ad funus exuviarum corporis ſui, ciliciumque ac ceram pro ſepultura poſtulans. æquum cenſendo, ut hæc conſolatio tribueretur ipſi, quæ in vita multa beneficia, amore DEI, præſtitit.

Wad. T. 1. fol. 347.

* CONCEP: Num: 198.

III. Horologium Magneticum, trito parandi uſu, ex oſſe eburneo fabricatur. in cujus medio, *rotundum foramen* patet, habens acum magneticam, ſeu ferrum exacuatum, lapide magnetico inunctum, aut perfricatum. *adeò mobile*, ut ſemper tremulum ſit. & hujus indice Naucleri naves dirigunt, curſum ſuum intelligunt, loca, partes, portumque inveſtigant. In Opere Concrucifixionis, hæc adeſſe omnia. nam inter *oſſa* manuum pedumque, rotunda eſt vulnerum cavitas. in medioque ejus, *inſtar Acus Magneticæ mobilis*: aculeatus, utramque in partem mobilis, licet inextrahibilis, reperitur clavus. Ut Franciſci corpus Vulneribus Crucis ornatum, pulchre videatur elaboratum, in *Horologium Magneticum*, in Navi Petri Eccleſiæ Catholicæ, poſt receſſum Chriſti in cœlum, novo prodigio, repoſitum. *Myſterio Paſſi Chriſti*, (cujus Sacroſanctum corpus, in ſepulchro, lapide erat tectum, qui, *erat quippe magnus Valde*, & qui virtute quaſi Magnetica *ſummo mane*, attraxit ad ſe, Sanctarum feminarum animas) perunctum & qualificatum.

Marc. 16. 5.

* CONCEP: Num: 199.

IV. Quoad effectum Horologii, ex ipſo nomine intelligitur: *demonſtratio horarum.* A quâ, nec ſigna Concrucifixionis ceſſant. Et juxta: *Omnia opera bona & omne opus hora, ſuâ*

Eccl. 39. 39.

suâ subministrabit. satisfaciunt illi sciscitationi Evangelicæ? *Nonne duodecim sunt horæ diei*, duodecim horarum significationibus. Vulneratæ enim manus, prædicant quatuor adesse horas: *Alienorum restitutionis*, justâ manu; *Bonorum operationis*, sanctâ manu; *Crucis portationis*, patienti manû; *suorum alteri traditionis*, resignatâ manu. Lateris verò vulnus, dictat etiam quatuor esse horas: *DEI dilectionis*, omni corde; *animi compunctionis*, pio corde; *proximi commiserationis*, benefico corde; *peccatorum abominationis*, constanti corde. Pedum quoque læsorum Horologio, quatuor monstrante horas: *Christi imitationis*, Apostolicâ viâ; *Virtutum prosecutionis*, perfecto cursu; *Majorum venerationis*, submisso poplite; *sui Humiliationis*, substratione aliorum pedibus. *Omni tempore benedic DEum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat.* Tob. 4. 2. Totâ enim vita sua Seraphicus Vir, virtutum perfectione, Apostolica prædicatione, Vulnerum Crucis præostensione, *horam surgendi de peccatis*, cum Ecclesiastico Israelitarum, prædicebat mundo: Eccl. 32. 15. *Horâ surgendi non te tetrices.* ac cum Ecclesiaste Christicolarum: Rom. 13. 11. *Horâ est jam nos de somno surgere, tunc enim propior est Salus, quam cum credidimus, nox præcessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo, opera tenebrarum.*

* CONCEP: Num: 200. Theat. Vit. Hum. Lit. H.

V. Bernardus Corovagius, artis suæ, quondam Papiæ, celebris Professor, elaboravit Horologium: sonitu æris, statutam horam significans, utque eodem ictu excitans, lumenque porrigens ignis scintillâ è silice, per insertum sulphur lucernæ, filum accedente & accendente. Concrucifixionis Christo Horologium, artificio peritissimi omnium factibilium, DEI Hominis elaboratum: ad devotionem, cernentes *Mirabilia Crucis*, excitat; horam pœnitentiæ & tempus acceptabile Salutis, *indice clavorum*, demonstrat; atque flammis Charitatis, Seraphicæ Concrucifixionis Christo, corda hominum, inflammat & illu-

Mat. 5. 17. illuminat. *Luceat lux vestra, coram hominibus, ut videant opera vestra bona.*

Juste equidem Annales Minorum, relationem quæ
P. Sal. Chr. sequitur appellant: *Falco, Horologium Excitatorium B. Fran-*
Alu. fol. 43. *cisci.* Hic in monte Alvernæ nidificans, magno se illi fæ-
dere amicitiæ copulavit. Semperque ad horam nocturno tempore, qua ad Divina officia, surgere solebat, cantu suo sonoro, modulabatur. cum autem infirmitate gra-
S. Bon. c. 8. varetur, parcebat, nec tam tempestivas indicebat excitationes, & circa nonnisi diluculum, tardius ad orationem excitabat. Præstante cælesti Numine hanc Dilecto suo gratiam: qui mysteriosa, expresit horologia.

CAPUT XXII.

De 41. Scibili Arithmetico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Definitionem, Divisionem, Objectum, consideratáq; Arithmeticæs, declarans.*

I. NUmeralis aut *Numerorum* scientia. Græcis, Numerum *Rythmon* dicentibus, Arithmetica appellatur. Estque Mathematicarum prima: tyrocinio & Instrumento. quia in *Proportione*, in *Spatio*, in *Motu*, numerus invenitur. Unde sublata Arithmetica, auferuntur cæteræ scientiæ Mathematicæ. non è contra, durante per se, scientia de Numeris.

II. Diffiniri potest: *Est Ars bene numerandi.* Numerare autem bene est vim, proprietates, & usum Numerorum, recte nosse, & considerare.

III. Objectum, est *Numerus*. qui sumptus in Genere: est *compositarum unitatum aggregatio.* aut, est *Multitudo ex Unitatibus constituta.* Unum enim, semen esse Numeri, non

non Numerum. nisi antecedens solum, vel remanens sit. *Unitas* vero est: quà unum quodque dicitur unum, sive id corporeum sive incorporeum sit. Ut unus Lapis, unus Angelus.

IV. Cum autem Numerus, duobus modis consideretur, ut est *in se*, *& in Materia*, ideo Generali divisione Arithmetica, alia est *Practica*, alia Theorica. *Illa* inquirit de Numeris, secundùm quod aliquid ejus numeratur. Sicut utuntur eis in commerciis & Negotiationibus. *Hæc* quantum Mens percipit, considerat Numerum absolute, abstractum ab omni Motu & Materia. atque ea quæ accidunt illius Essentiæ in se: ut quod alius sit par, alius impar, unus superfluus, alius Diminutivus, & hujusmodi, proportionum Numeri considerationes.

V. Cum autem *Practica Arithmetica*, frequentiori in usu sit, declarantur partes ejus consistere, in scientia *Conjungendi* numeros, & scientia *Disjungendi*. Prior, *congregando*, *duplicando*, *multiplicando* numeros. Posterior: *diminuendo*, *mediando*, *dividendo*, perficit calculationem suam. *Scientia vero Radicis inveniendæ*, sub utraque continetur. cum Radix, dividendo, & multiplicando inveniatur. Porrò *Numerationis Communis*, quatuor esse species: *Additionem*, *Subductionem*, *Multiplicationem & Divisionem*.

INVENTIO. Conceptibus V: *Mysterium Numerandi*, *signa Numeri*, *compositæ numerationis specimen*, *speciemq; Numerationis*, *in Concrucifixione Christo repræsentans*.

I. Quis crederet? in DEo omnium perfectam scientiam atque infinitam: etiam Numerationis non spernere Artem. *Numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis* nomina

* CONCEP: Num. 201.

Ps. 146. *nomina vocat. Magnus Dominus noster & magna Virtus ejus,*
Sap. 11.22. *& sapientia ejus, non est numerus.* Aggratulante etiam sapiente Hierosolymitano: *Omnia in Mensura & numero & pondere, disposuisti.* Christus ut Opera Redemptionis, perfectissimâ Arithmeticæs amussi, in satisfactione Justitiæ Divinæ, perfecisse cognosceretur; sua vulnera in Francisci corpore *sub mensura & in numero* disposuit, & signis numericis similia exhibuit. Quatenus Patriarcha Pauperum eelemsynas amore Salvatoris, sibi & Fratibus præstitas, haberet signa calculandi computique faciendi, exposcendo justam de cœlo, Benefactoribus restitutionem.
Eccl. 42. 7. *Ubi manus multæ sunt claude, & quodcunque trades, numera & appende, datum vero & acceptum omne scribe.*

*

CONCEP: Num: 202. II. Antiquitus, postmodum, succesive, nuncque. *Varius signorum Numeri Usus.* Olim, punctis in assere, vel membranâ, depictis numerabant. Post, quia exile quid videbatur, lineolis productis longibus, numerum discernebant.
Plin. L. 7. c. 40. Romani annos consulares, clavis fixis notabant, ex eorumque multiplicata fixura, annorum numeri agnitionem, assequebantur. Nunc, præter signa usitata: alii extensis contortisque digitis manuum; alii nodis funiculo alligatis numerant. In Concrucifixione quoque, instar *punctorum* aut clavorum, signantium Numerum: *puncturas* vulnerum, *fixurasq;* clavorum, videre est. Et pro nodis funiculorum, *discretivis numerice:* sunt chordæ, vulneratam carnem præcingentis, ligamina; vel fasciarum nodosi nexus, sistendi gratiâ cruoris, læsa membra stringentes.

*

CONCEP: Num. 203. III. Exordium Numeri, constituit litera I. finem dictat, vocula O. quæ conjuncta primo signo, decem. illa sola, unitatem significant. Vulnera Crucis, ex quò commemorant mortem JEsu, in qua unicam animam posuit pro
Ps. 21, 21. ovibus suis, ut in specie ejus oravit David: *Erve à fra-*

mea

mea DEus animam meam, & de manu Canis unicam meam. *Unitatem* connotant. Item, exquò impressa Francisco, *unum* nonnisi *Necessarium*, DEum scilicet computanti, Luc. 10. 42. omnia alia pro Cyfris & somniis, *strictam eligendo paupertatem*, reputanti. Ut dicere possit: *Unicus & pauper sum* Ps. 24. 16. *ego*, demonstrant unitatem. Quantum ad signum, decennarii numeri, sic IO, exprimi soliti: in manu qualibet ac pede, *orbiculari Vulnere, ac longiori paulùper, simul infixo clavo*, demonstratur exactè. In signum nimirum, Decem præceptorum *Decalogi Divini*, perfectæ observationis.

IV. Character Ecclesiastici Numeri. aut rectis col- * CONCEP: lumellis, aut decussatis, in Modum Crucis, absolvitur. Ut Num. 204. IIII. atque X. Immo Voces Numerales, non sine Cruce describuntur. Simplex, duplex, triplex, quadruplix, sexies, sexagesies, centuplex. Stigmatisatarum Manuum ac Pedum clavi, à *parte priori*, rectitudine suâ, quaterni efformant Characterem Numeri IIII. Nec Crux obscura, in Christi Concrucifixione. *Qui autem sunt Christi, carnem* Gal. 5. 24. *suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Quantum ad *signum* C. centesimæ Calculationis. Juxta: *Et omnis qui* Matt. 19. 29. *relinquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios aut agros, propter me, centuplum accipiet*, hæc litera, monstratur in *Communicata* Cruce Christi. Ac Lateris Vulnere exprimitur. quod S. Bon. Vit. c. 15. semi*Orbiculare* à principio erat. post mortem, nonnisi rotundum, seu instar duplicium CƆ. literarum conjunctarum, apparuit.

V. Adiit quidam, ut sacer refert Evangelista, Profes- * CONCEP: sorem æternæ veritatis Salvatorem nostrum, compu- Num. 205. tum divisionemque bonorum suorum postulans: *Magister* Luc. 12. 13. *dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem.* Et quia hæc humi reptans Calculatio, negata. Cælestis autem, my-

steriosa Arithmetica, *Divisionis & Multiplicationis* intro-
Luc.12.51. ducta. *Putatis, quia pacem veni dare in terram, non dico vobis: sed separationem. Erunt enim ex hoc, quinq; in domo una. divisi tres in duos, & duo in tres. Dividentur Pater in Filium & Filius in Patrem suum, Mater in Filiam, & Filia in Matrem.*

Cujus Responsi, difficultatum textus plenus, in impressione, apparet planus. Etenim *domus una:* corpus est Francisci, *unum numero.* sub cujus Luteo tecto, habitabat anima. *Quinque existentes in una domo*: esse vulnera quina, subjectata in uno corpore. *Hæc quinq;, dividuntur in tria.* quia quintuplicia numero, triplicia sunt differentialiter. scilicet, alia manuum, alia Lateris, alia pedum. Porro, *divisus Pater in Filium.* Christus enim Pater Salvando-
Is. 9. 6. rum, *Pater futuri sæculi.* Filio suo Francisco, divisit & communicavit *similitudinem* vulnerum suorum. *Divisum imperium Cæsari, tribuens Jovis.* Tandem, *divisa Mater in Fi-*
Eccl 24.24. *liam.* Sapientia enim incarnata, *Mater pulchræ dilectionis,* conceptum Sapientiæ Crucis dividendo, impressit Filiæ, animæ nimirum Francisci, vocationem Spiritus Sancti sequentis; domosque & parentelam amore Christi spernen-
Ps. 44. 11. tis, juxta: *Audi Filia & vide & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui.* Divisaque *Filia in Matrem.* quando anima Viri Sancti, peperit Christo & Ecclesiæ plurimos Filios, institutione Regulæ Mino-
Regul. c. 6. ritanæ, Matri assimilatæ, dum hæc continet: *Quia si Mater nutrit & diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere, Fratrem suum spiritualem.* Ad laudem DEI, mysteriosa Arithmeticæ cælestis signa & considerata, repræsentantibus Signis Concrucifixionis Christo.

CAPUT XXIII.

De 42. Scibili Geometrico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Explicationem, Divisionem, Objectum, Considerataq; Geometriæ, declarans.*

I. GEometria, à radice Nominis, eſt *Terræ Dimenſio.* Terra enim Græce, *Gè. metra*, Menſura vocatur. Ab uſu autem, *eſt bene metiendi ſcientia.* quæ nempe docet bene metiri, omne menſurabile. Et ex ipſa tanquam radice, principia, *Aſtronomia, Coſmographia, Optica, & Mechanica Metricæ*, aſſumunt. bene à Platone, & magis propriè; ſcientia *Menſurativa*, ab Hebræis vero: *Ars dimenſionis*, dicta. In Phileb. & 7. de Rep.

II. Diffiniri poteſt: *Eſt ſcientia Mathematica, bene dimetiendi quasq; Magnitudines, ad terminos quantitatis continuæ declarandos.* Metiri autem bene intelligitur, rei cujusvis Menſurabilis, naturam, vim, proprietates, habitudines, uſusque, interpretari & exercere. juxta Alpharabium. L. 6. de differ. Math.

III. Metiri, dupliciter intelligendum, aut *Abſtractè*, Logicâ mentis cogitatione rei menſurabilis, genera, affectiones & proprietates, contemplando, ejusdemque menſuram, certis ſchematibus, ingenioſâ ratione demonſtrando. vel *Concrete.* in Materia ſolida, adhibito inſtrumento, phyſico, notâ menſuræ, rei Materiatæ longitudinem, latitudinem, & craſſitiem explicando. *Prius* Menſurandi Genus, appellatur *Geometricum*, eſtque Mathematicum, ſuisque demonſtrationibus ſimplex perpetuò. ipſamque *Theoriam* comprehendens. *Poſterius* magis exiſtit Mechanicum, vel ſaltim Practicam, ſemperque Materiæ ſubjicitur, ſenſibusque noſtris exponitur & certitudinem à priori ſumit, ejusque praxin demonſtrat.

IV. Subjectum Geometriæ, est *Magnitudo*, seu Quantitas continua rei, cujus partes termino communi cohærent. Et hujusmodi Magnitudinis quantitas est: quæ omnes sui partes, habet à se invicem dependentes, & inter se communi termino junctas & connexas. Sicut partes *Lineæ*, *superficiei*, *& Corporis*, inter sese, absque ulla divisione continentur. Porro *Magnitudo* quælibet: aut *Linea* est: aut *Lineatum*. Linea, est Magnitudo tantum longa. Lineatum, est magnitudo, plusquam longa, ex lineis compositis orta. estque vel *superficies*, vel *Corpus*. Atque ex his Magnitudinem Geometricam assurgere, quisque facile intelliget.

V. Terminus autem, quo Magnitudinis partes cohærent: est ejus extremum. Et Aristoteli & Euclidi, dicitur: *Communis sectio*. Ut in Linea, *punctum*; in superficie, *Linea*; in Corpore, *superficies*. hucque pertinet Difinitio illa: Continuum est, *cujus partes communi termino cohærent*. Punctum vero: *Signum, cujus nulla est pars*. id est, signum in magnitudine individuum.

INVENTIO. Conceptibus V: *Exemplar Mensuræ perfectæ, specimenq́ Naturalis Circini, formam, Lineam, ac Miram Dimensionem. in Commcrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEPT: I. Num: 206. INter Creaturas Rationales, maxime homini, terrà corporis circumposito, in terraque degenti, cujus DEus:
Ps. 38. 12. *Mensurabiles posuit dies*. Geometriæ scientia, de *Mensuris*
2. Cor. 10. 12. *Terræ*, summe est necessaria. *Ipsi in nosmet ipsos metientes, & comparantes nosmet ipsis nobis*. ait Doctor Gentium. Comprehensionemque Mensurarum Cælestis Geometriæ
Eph. 3. 17. iterum persuadet: *In charitate radicati & fundati, ut possitis compre-*

comprehendere, cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo & sublimitas & profundum. Sapientia Crucis: dum impressit stigmata, Geometricæ mensuræ, Longitudinis, Latitudinis, sublimitatis & profunditatis, expressit schemmata. Et patet *Longitudo:* in extenso corpore, Concrucifixione; *Latitudo:* in Charitate Seraphica, causa Concrucifixionis; *Sublimitas:* in continua altissimaque contemplatione Christi Crucifixi. *Profunditas:* in excavatione profunda Vulnerum Concrucifixionis.

II. Natura ipsa, adeo *Geometriæ Cultoribus* favet. quod modos mensurandi instrumentaque, per ipsa naturalia membra, corporis humani porrexerit. Quisque enim rite formatus homo, habet staturæ suæ cubitos quatuor. adeoque tantus est, quanta extensio brachiorum ejus. Peragitur item optimè mensuratio, & *membris manuum.* Latitudo enim unius palmi, certæ est quantitatis index. *Spatium palmi,* quatuor digitis transversim positis, constituitur. Distentâ vero manu, inter policem & indicem: *Spithama,* seu quarta pars Cubiti, indicatur. Membris item Pedum, *mensurandi mos,* nec quoque insolitus. quina collocatio pedum, constituit pasum. pedes 750 vicibus positi, faciunt stadium, continens pasus 125.

* CONCEP: Num: 207.

Franciscus, Vulneribus Crucis insignitus, naturales has Mensuras, exprimit & declarat. Extensio enim brachiorum, ut de Christi extensis in Cruce brachiis dictum: *Redemisti in brachio tuo populum tuum.* atque à Propheta vaticinante: *Et brachium tuum extentum erit:* Crucis tessera est. quæ extensionis formam significans, cessit in possessionem Viro DEI, Concrucifixo. Quemadmodumque Manus, in mensurando dividuntur, sic vulnere divisæ & distractæ. Mensuram, manu DEI, efformante: *Et ipse misit eis sortem, & manus ejus, divisit eam illis in mensuram, usq; in æternum possideb-*

Ps. 76. 16.
Ezech. 4. 1.
Is. 34. 17.

possidebunt eam. Vulnerati item pedes, & hi mensurandi organis non carent. Quinarius enim numerus passuum, nonne in quinis plagis, elucet? Et quod olim *Divini furo-*
Jer. 51. 13. *ris* erat: *Venit finis tuus, pedalis præcisionis tuæ.* Docto Cor-
In Loc. cit. nelio à Lap. ita textum explicante: *Finem pedalis præcisionis vocat, finem pede DEI, quasi æqua & justa mensurâ, sceleribus Babylonis commensum & emensum.* Hic, Amoris Divini signum, Omnipotentiâ Dei, *Finem mortis JEsu Christi, mensurâ præcisionis pedalis,* in vulnere pedum efformante.

* CONCEP. Num. 208. III. At quoque Artificialium instrumentorum Geometriæ, non latent specimina. Ut enim est Circini mensurantis peripherium, *Materia ferrea, cuspides acuminati, rotunditatem circumcirca, ac in medio punctum,* seu centrum, ponentes. Ita in volis Francisci, adsunt clavi, *ferreus similes*; exercentes Circini actum, scilicet *rotunditatem* Vulnerum; ac punctum *puncturæ mediæ.* DEus homo Christus, opus stigmatum, *In circino tornavit illud & fecit ima-*
Is. 44. 13. *ginem Viri, quasi speciosum hominem, habitantem in Domo,* Domûs Domini.

* CONCEP. Num. 209. IV. Normam Lineæ Geometricæ cujus in dirigendis rectitudinibus usus est. Crux JEsu Christi, Ligni sui figurâ, præfert. Quam super corpus Francisci, rectâ amussi protrahens Redemptor Crucifixus, cum Concrucifixo sibi colloquium inire potest, ad dandam directè responsio-
Job. 38. 4. nem. *Interrogabo te, & responde mihi, ubi eras? quando ponebam fundamenta terræ:* In monte Alvernæ adfuit servus tuus, quando reponebas *fundamenta* Redemptionis, in *terra* Corporis mei impressione. *Quis posuit mensuras ejus, si nosti? aut quis tetendit super eam, lineam:* tu Domine super terream carnem meam, vulneribus, *Lineam Crucis* extendisti: id est ad normam susceptorum in Cruce Vulnerum, Signa Crucis impressisti.

V. Erat

V. Erat Sunamitidi parvulus filius, immaturè vitam, CONCEP:
in Mortem commutans. Mater accurrit ad Eliſeum, ut eli- Num: 210.
ſa morte, Vita reſtitueretur. Propheta ad conſolandam 4. Reg. 4.
Genitricem, per Giezi ſervum ſuum, miſit baculum, ponen- 26.
dum ſuper faciem pueri: quaſi & mors baculo caſtigata,
recedere deberet, & vita longinqua viâ abiens, cum ba- 3. Reg. 17.
culo redeundo, accederet. Ipſe demum ſequutus Magiſtri 21.
ſui Eliæ exemplar, qui ſuper mortuum quoque puerum,
expandit ſe & menſus eſt tribus vicibus, aſcendit, *& incubuit*
ſuper puerum, poſuitq; os ſuum, ſuper os ejus, & oculos ſuper 4. Reg. 4.
oculos ejus, & calefacta eſt caro pueri. Ut aſpiceret iterum 34.
lucem.

Puerum, *parvulum ſubmiſſione*, Franciſcum omnes fatemur. ſuper hujus faciem, poſuit *menſuram baculi Crucis ſuæ*, Chriſtus JEſus, repoſitis in carne ejus Vulneribus Crucis. ſanctiſſimamque carnem ſuam, ſuperimpoſuit carni Dilecti ſervi ſui, menſurando manus, latus, pedes. quando imprimens vulnera, *latus* ſuum Deificum: lateri; *Manus*, Confor. Pi-
volis; Pedes, pedibus applicavit. *Incaluit* autem *caro* ſani de Stig.
Seraphici pueri, cum ex contactu *Seraph*, calorem Chari- ad finem.
tatis, ignesque amoris novos concepit.

Nec ſine divino inſtinctu. cum puerulus quidam nomine Joannes, repentino muri lapſu periiſſet, diſcerpto- Wad. T. 1.
que corpuſculo, funus pararetur, motus miſericordiâ ac- fol. 114.
ceſſit ſecreto, & præmiſſa oratione, tetendit ſe ſuper mortuum, & vocavit eum proprio nomine. mirum! confeſtim reſpondit, & ſurrexit, integræ ſanitati & vitæ reſtitutus. Operante DEO, per ſervum ſuum prodigia, qui *Extenſionem* Eliſei, *& menſuram* Eliæ, ſuper mortuum puerum, myſteriosè renovavit.

CAPUT XXIV.

De 43. Scibili Mensuratico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Differentiam, Divisionem, Objectum, considerataq; Mensuraticæ, declarans.*

I. METron. significat græce, Mensuram. inde *Metretas* mensura liquidorum dicitur. alii Metropolitanum vocant: à Mensura Civitatum, quibus præsidet, impropriè licet, sed non male. quòd etiam dimensio distantiarum terræ, spectat ad Metricam.

II. Mensuratica, à *Geodesia* differt. quod hæc, *Terræ dimensio est.* Et Scientia quæ in cognoscibilibus corporibus sunt Magnitudinum, & figurarum solidarum, quoad *Compositionem & Divisionem.* illa largius patet, & non solum de Mensuris Magnitudinum, & Figurarum solidarum agit. sed etiam de Mensura quacunque *rei materiatæ tangibilis*. ita, ut ab ea mutuent Mechanicæ, Instrumentorum mensurantium praxim & notitiam.

III. Diffiniri potest: *Est scientia Mathematicæ in genere, Geometriæ in specie, subordinata, practica, rei Materiatæ, notâ quadam instrumentorum mensurâ & pondere, quantitatis percipiendæ tradens dogmata.*

IV. Partitio *Metricæ*, aut est de *Distantiis*, aut de *Ponderibus*. Ars mensurandi Distantiarum: considerat Objecti Longitudinem vel Brevitatem, idque aut Corporum solidorum Naturalium, ut sunt spatia terræ. aut non solidorum materialium, ut sunt extensiones variæ rerum Artificialium. *Latitudo* autem & *Profunditas*, sub Distantia continentur, quæ extensio est non recta, sed obversa, aut depressa. Ars verò *Mensurationis* ponderum: considerat rei

rei *Gravitatem* vel *Levitatem*. idque tam in Corporibus *continuis*, ut lapides, ligna, machinæque junctarum partium. quàm in *discontinuis*. Ut fluida, arida, quorumque partes ad invicem separatæ.

V. Formalitas Objecti, est *Demonstratio & Investigatio æquipartium.* aut, *Justa rei Quantitas.* Atque hunc Metricæ Artis finem, variæ Artes Mechanicæ: in Myropolicis confectionibus; bellica Architectura; Mercatorum Negotiationibus; auri ferri lapidis ligni operationibus; prætendunt.

INVENTIO. Conceptibus V: *Mensuram Justitiæ, ftateræ specimen, formas mensurandi, ac Lineæ normam. in Concrufixione Christo, repræsentans.*

I. Altisimus in Lege veteri, specimen æquitatis justitiæque suæ, sub figura mensurantis, & æque ponderantis ftateræ, demonstravit, dum in Convivio Balthasar Regis *apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis: Mane, numeravit DEus regnum tuum & complevit illud. Thecel, appensus es in statera, & inventus es minus habens. Phares, divisum est Regnum tuum, & datum est Medis & Persis.* — * CONCEP: Num: 221. — Dan. 5, 26.

In Lege autem Nova, DEus Homo factus, non in pænam & justam vindictam, sed in memoriam satisfactionis pro Homine, sua Vulnera, Francisco communicavit. *Justitiæ Crucis mensuram & pondus* efformantia. Juxta: *ponam judicium in pondere, & justitiam in mensura.* Qualia enim per Hierosolymtanum *Judicium*, perpessus est stigmata Salvator, tali in mensura & paritate impresit. in pondere quoque mysterii Crucis. ut sancta Catholicorum Mater decantat: — Is. 28. 17.

Dulce ferrum, dulce lignum, dulce pondus sustinent.

CONCEP: II. Obtigit servo DEI, quod exoptabat Athleta pa-
Num. 212. tientiæ fortissimus: *Appendat me in statera justa, & sciat Deus*
Job. 31. 6. *simplicitatem meam.* Etenim confixus Cruci Christi est, de qua prædicatur:

Beata cujus brachiis, sècli pependit pretium
Statera facta corporis, prædamq; tulit tartari.

Unde cum simplicitatem ejus columbinam, increparet Frater Elias, Ordinis primus Vicarius Generalis, vaticinatus est ipsi arcano cælesti motus: Heu carnis prudentiâ elate.
Wad. T. 1. *appensus jam es in statera, & judicio DEI, inventus es minus*
fol. 267. *habens.* Prophetiamque res probavit, ejecto & extra Ordinem mortuo, licet in pœnitentia, eò quod exoraret tunc B. Patris intercessionem ad DEum. Domino Spiritum prædictionis, sub specie stateræ conferente servo suo; cujus ægregium exemplar exhibuit.

* CONCEP: III. Non ad ignorantiam suam manifestandam, sed
Num: 213. ad aliorum depellendam, sciscitabâtur Propheta. *Quis*
Is. 40. 22. *mensus est pugillo aquas? & cælos palmo ponderavit, quis appendit tribus digitis molem terræ? & libravit in pondere montes, & colles in statera?* Responsumque datum, cum Francisco stigmata data. Etenim Christus, *aquas* compassionis Concrucifixioni suæ, Vulneribus impressis, (contracto & *excavato pugillo* similibus) iisdem quâsi pugillis, *mensuravit.* Item *Cælos palmo ponderavit* Christus. quando *extenti* in Cruce, quasi ad mensurandum *palmi*, figuram impressit servo suo, *Cælis enarrantibus gloriam DEI*, (ut S.
Homil. 30. Gregorius, de Viris Apostolicis intelligit,) simili. *Libravit*
in Evang. *Montes in pondere collesq;*, Christus. quando *Montis Calvariæ* mysteria Crucis, in *Monte Alvernæ*, ad Libram certæ similitudinis, appendit in carne Concrucifixi sibi. Tum præ Humilitate, tum præ Vulnerum profunditate, demissis & profundis *collibus*, non absimili.

IV. Li-

IV. Liquidorum fluidorumque, formæ mensurarum variæ, ferè tamen omnium instar cyathi, cotilæ, quartariæ; addito in oris extremitate claviculo, mensuræ signante terminum. * CONCEP: Num. 214.

Mysterium pretiosissimi Passionis Dominicæ *liquoris*; *Vini & Opipobalsami* sacratissimi sanguinis, in Vulneribus Francisci, quasi in *Vasculis mensurarum*, intus excavatis, repositum est. Instarque, mensuranti cyatho locò claviculi, ad oram apponi soliti: *clavorum signa*, in extremis manuum & pedum membris, locata. Expletum Christi in ipso promissum: *Mensuram bonam & confertam & coagitatam, & superfluentem, dabunt in sinum vestrum*, superfluente ubertim, è stigmatibus sanguine, ut eà *alligari fasciis opus fuerit.* Luc. 6. 38.

V. De quo Propheta ait: *Ecce Vir, cujus erat species, quasi species æris, & funiculus lineus in manu ejus, & calamus mensuræ, in manu ejus, stabat autem in porta.* A Francisco exprimi videtur. etenim à *viribus virtutis*, antonomasticè ab Ecclesia Sancta appellatur: *Vir Catholicus totusq; Apostolicus.* species ejus quasi *æris.* candentis æris, igne & ardore charitatis Seraphicæ. *Funiculus lineus* in manu ejus. fune enim lineo præcinctus. vel lineis fasciis, *vulnera manuum* ligantibus: exprimitur. * CONCEP: Num: 215. Ezech. 40. 3. 1. Ant. Off.

Pro *Calamo* vero *Mensoriæ ulnæ*: esse mysterium *Ligneæ Crucis, ac Vulnera ejus.* Ut enim Linea Ulnæ, quinis notata est incisionum signis, ad quatuor Ulnæ partes denotandas, & unam semipartem partis Ulnæ. ita quinque sunt sectionum notæ, in Quincunxe stigmatum, perfecta sat vitæ Christianæ, mensurâ & Regula.

CAPUT XXV.

De 44. Scibili Musico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Descriptionem, Differentiam, Divisionem Objectumque, declarans.*

I. MUsica, derivatione à *Musis* nomen sumit. illæ à *Muson* dictæ. id est à quærendo ab eis vim carminum, & vocem modulationis.

II. Describenda vel sic: *Est peritia modulationis, sono cantuq́, consistens.* aut, *Est peritia sonorum, naturalibus vel artificialibus instrumentis productorum, in Unum reductionis, ad efficiendam suavem, & regulatam Harmoniam.*

III. De Genere Mathematicarum est. quod Quantitati in Numeris sonorum attendat. & *Speculativa* dicitur: cum investigat scientiam eorum, rationes & causas, ex quibus componitur Harmonia, ut est in se & non in aliquo instrumento. *Activa* verò. cum invenit harmonias sensitivas, ex instrumentis ad hoc præparatis, arte vel naturâ. Ut in organis corporis humani, & rebus Materialibus. formareque pneumata, & alia provenientia ab instrumentis doceat.

IV. Musicæ, species sunt: *Harmonica* & *Organica.* Priorem, intellige esse: *modulationem vocis humanæ.* Posteriorem, *modulationem, consistentem in instrumentis, iisdemque administratam.* Porro Harmonica, triplex est: *Naturalis*: communis omnibus, suavior multis; *Choralis.* Gregorianis modulis regulisque, vocem naturalem elevantibus vel deprimentibus. *Figuralisq́,* quæ fractione inflexioneque vocum, cum *Contrapunctus & Eugeus,* id est permutatione & intersticio silentii Musici, figuratarumque Notarum observatione modulatur. *Harmonica* autem, tripliciter etiam

etiam administratur: *Intensione*, ut nervis filis. *Spiritu*, ut tubis organis; aut his, quæ ad aquam resonant. *Percussioneq́*, ut dum æra, coria, aliaque, ad diversos efficiendos sonos, pulsantur.

V. Instrumentalis Musicæ, quis esset Inventor? Sacra pagina narrat: *Jubal ipse fuit pater canentium, Cithara & organo.* Unde à Jubilo, jubilationeque dictum, Latini volunt. hic Fratris sui Tabalcain *qui fuit malleator & faber, in cuncta opera æris & ferri*, adstans operibus, ex sonitu inter percussiones resiliente motivum sonitûs Musici adinveniedi sumpsit. *Cantus verò Figuralis notarum*, traditur Inventor fuisse. Guido Aretinus Monachus, notas ex hymno, D. Joannis Baptistæ, *vocis in deserto clamantis*, dicti. seu Syllabas Musicales: Ut, Re, Mi, fa, sol, la. mutuans ingeniosè. Gen. 4. 21. Joseph. L. 1. Antiq. Cranz. L. 4. c. 18. Metrop.

Ut queant Laxis, Resonare fibris:
Mira gestorum, Famuli tuorum.
Solve polluti, Labii reatum.
S. Joannes.

INVENTIO. Conceptibus V: *Cantum Psalmorum, Notas Musicales, Citharæ Specimen, figuramq́ citharisantis David. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. PRæterquam, * CONCEP: Num. 216.

Musica turbatas animas, ægrumq́ dolorem,
Sola levat, merito Divumq́ hominumq́ voluptas.

ipsius etiam Cordis humani solamen est. *Vinum & musica lætificiat cor.* Ad laudem quoque supremi Numinis in templo Salomonis: *Tubis & voce, & cymbalis, & organis, & diversis generis musicorum concinnentibus, & vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur.* Sal- Eccl. 40. 20. 2. Par. 5. 13.

Salvator Mundi, ad avertendam & obruendam sæcularium hominum, ineptam lætitiam; ad consolandam Pœnitentium mæstitiam; ad exhilarandam Benefactorum pauperis, in mundo tribulationem; ad modulandamque DEI laudem & gloriam: in corpore Francisci Vulnera sua imprimens, juxta: *Docentes & commonentes Vosmetipsos,*
Col. 3. 16. *psalmis hymnis & canticis Spiritualibus.* eadem, sensum Spiritualem Carminum Psalmi, (quæ olim decantabat Rex David) resonantia & modulantia effecit: *Convertisti planctum*
Ps. 29. 12. *meum, in gaudium mihi, concidisti saccum meum & circumdedisti me lætitiâ, ut cantet tibi gloria mea & non compungar, Domine DEus meus, in æternum, confitebor tibi.* Etenim *planctus* Viri DEI, *conversus in gaudium*: cum plangens Passum Christum, *Crucis Vulneribus*, Mundo animæque suæ *gaudium adferentibus*, insignitus est. *Omnis autem disciplina in præsen-*
Hebr. 12, 11. *ti quidem non esse gaudii videtur, sed mæroris, postea autem fructum pacatissimum, exercitatis per eam, reddet justitiæ.* Saccus ejus concisus est: cum caro tegens animam, stigmatibus *concisa.* Cantabat Domino gloriam, *ut non com-*
2. Cor. 12. 7. *pungeretur*: Stimulo Carnalitatis. prout & Apostolus exorabat: sed *stimulo & puncturâ* Concrucifixionis JEsu. Quam
Wad. T. 1. & promeruit. à longe, disponens carnem suam, eamque
fol. 190. inter stimulos Veprium, (cum quadam vice, immundâ cogitatione torqueretur) exercens, cruentâ confixione spinis, præparavit.

* CONCEP: Num: 217. II. Cantus *Regularis*, ut dissonantia pellatur, Harmoniaque inducatur, claves Musicales, colore nigro, formâ tali ❖, aut ✠✠✠✠, inter Lineas rubro colore depi-
Spec. Vit. ad ctas, observare solet. Corpus Francisci rivis purpurei
med. sanguinis, abunde defluentis: quasi lineis rubeis, depictum. Inquit Historia: *Die Jovis serò, & per totum diem Veneris, nullum apponere remedium Vir Sanctus volebat,* quod si-

stendo

ſtendo ſanguini apponebatur, *affectans die Crucifixionis Chriſti, in vulneribus ſuis, Crucifixi duros perferre dolores.*

Quoad claves Muſicales: ✠✠✠✠, *clavis*, (per ſimilibus formâ & colore, nigreſcenti ferro) infixis membris, efformantur. Alloqui Impreſſorem ſignorum ſuorum, decantando, valet: *Et ego confitebor tibi in Cithara, Sanctus Iſrael. exultabunt labia mea hymnum, cum cantavero tibi, & anima mea quam redemiſti.* id eſt ſignis Redemptionis impreſſis: eam *Redemptam* talibus plagis, declarando. Quemadmodum autem ad perfectionem ſancti Cantûs, non labia, ſed cor neceſſarium. Pſ. 70. 22.

Non vox, ſed votum, non Muſica cordula ſed cor.
Non clamor, ſed Amor. clangit in aure DEI.

Ipſo Altisſimo ſignificante: *Populus iſte ore ſuo & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus, longe eſt à me.* ita in modulatione Concrucifixionis Franciſci: magis cor in vulnerato latere *Amorem.* quàm labia, clamorem pſallunt. *Cantantes & pſallentes in Cordibus veſtris.* Iſ. 29. 13. Eph. 5. 19.

III. Sed præter ſigna Clavium Muſicæ, voces quoque numericas cantûs, expresſione audiri, in ſtigmatibus: Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La,. Et quidem VT. pro prima litera, quinque V. ſignificante: quina ſunt vulnera. pro altera T, Chriſti Crucem denotante: myſterium *Thau*, id eſt Crucis Dominicæ, clarum eſt. Vox *Re:* realitatem, vel Rem ipſam ſyllabâ innuens: declaratur, *realibus*, non imaginariis non æquivalentibus martyrio; vel adverſorum perpesſioni; Vulneribus, ut reipsà Chriſti erant. Vocula *Mi.* charitatem ſignificans, *Doleo ſuper te mi Frater Jonatha:* cernitur in condolentia Chriſto Paſſo. ex qua & fraterna ſimilitudo Crucis, collata eſt. Signum *Fa.* initio nominis *Franciſci* Famuli Chriſti exprimitur. *Sol Muſicus:* nec hic obtenebratur in ſignis Concrucifixionis. imprimente illa Salvatore, * CONCEP: Num: 218. 2. Reg. 1. 26.

Malac. 4. 2. vatore, de quo Propheta: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Justitiæ.* Clausula demum Cantûs *La:* in continua meditatione Mortis Domini, in Cruce Orantis: *Cla-*
Matt. 28. 46. *mavit IEsus voce magna, dicens: Eli Eli Lammasabactani. hoc est DEus meus, ut quid dereliquisti me,* continetur.

Nec absque mysterio est. quòd cum certificaretur cælitus, de remissione peccatorum, ac promissione sibi gloriæ cælestis, *Canticum Solis dictum* composuit. Solem ad gratias DEO agendas excitans, astraque Cœli varia.
Leg. 3. soc. Cumque accideret, ut exorirentur Turbæ, inter Episcopum & Consules Asisii, compatiendo jussit Fratres suos, adire Prælatum Civesque, & in conspectu eorum, illud *Canticum Solis* præcinere, addito versu, de offensarum dimissione. Mirum! simplicibus carminibus Cantici Solis: Amor & Pax exarsit, continuoque reconciliati. Efficacem virtutem habente *Cantico Solis* Viri DEI: qui signa nu-
* meri Cantûs, *Sol.* aliasque voces Numericas, efformavit.

CONCEP: IV. Non Mundanæ Lyræ delirantis, ut dictum,
Num. 219. de cœlo: *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & canti-*
Amos. 5. 23 *ca Lyræ tuæ non exaudiam.* Sed Lyræ, dulci Symphonià spirituali, lenientis & linientis mæsta mortalium corda, suavis resonat Harmonia. nam ut Lyra *Crucis*, expansique in Cruce hominis, figuram expressam refert. cum per fidium materiam ligneam, aliud transversim transponatur setosi calami lignum. Et Musici extentum brachium Lyram supportans, quasi Concrucifixione extensi hominis, nervos venasque protractas monstrat: ita in stigmatibus, mysterii *Ligni Crucis*, & hominis extensi Concrucifixione, patent Symbola.

Utque in Fidibus, quatuor esse superius foramina; clavosque eis impactos, circumvolventes nervos; atque, in medio foramen, non jam rotundæ ut illa, sed oblongæ

Formæ.

Formæ. Ita, in manibus ac pedibus, transfixa clavis adesse foramina. quintumque in medio lateris. & quidem *in vita* oblongæ qualitatis. Profecto adnumeravit DEus servum suum, Viris gloriosis & laude dignis, de quibus sacra pagina: *In peritia sua, requirentes Modos Musicos, & narrantes carmina scripturarum.* Indeque promeruit, quod gravi pressus infirmitate, cum cæleste exoraret solatium, adstitit Angelus, fidiumque melodia, tremulam ejus resocillavit animam. tanta suavitate Musicæs, & cordis delectatione, ut si diutius duraret, corpus resolveretur. Recreataque sunt infirmà Francisci membra: quæ *infirmitate Concrucifixionis*, sacræ Musicæ organa, expresserunt.

Eccl. 44. 5

Migl. L. 1. c. 12.

V. Ante Arcam Domini. *Ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & Lyris, & tympanis & sistris & cymbalis.* additque Sacer textus: *& David saltabat totis Viribus ante Dominum.* Coram Arca *Corporis Domini*, atque *Sponsæ ejus*, *Ecclesiæ Catholicæ*, Ludens in omnibus *Lignis fabrefactis*, apparuit Franciscus, alter *parvulus David*, humilitate & paupertate. quando Sacrosancti Ligni Crucis, in corpore suo detulit vulnera. Atque *sicut in fabricatione auri, signum est Smaragdi, sic numerus Musicorum, in jucundo & moderato vino.* Ita pretiosa exhilarativaque, mystica musicorum organa, referunt stigmata. Ferturque, quod ex Evangelio perlecto, de *tollenda Cruce* inspiratione perceptâ, mirifico repletus gaudio, amoreque ebrius, Gallicâ & Italica lingua, suaves decantabat hymnos. accipiensque duo ligna, in modum Lyræ transposuit, unum lævâ pectori apponendo, alterum dextrâ, per aliud transversim ducendo, in spiritu ludebat gaudens, & delectabatur: qui compositurам *Lignorum fabrefactorum Musicæ*, mysteriosè efformavit.

* CONCEP: Num. 220.

2. Reg. 6. 5. 14.

Eccl. 32. 8.

Posn. Cron. p. 1. L. 1. c. 88.

CAPUT XXVI.

De 45. Scibili Logico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen*, *Descriptionem*, *Divisionem*, *Considerata*, *Objectumque Logicæs*, *declarans*.

I. LOgos apud Græcos: significat *Sermonem* & *Rationem*. hâc tamen differentia: quod intelligendum sit de sermone interno, seu verbo mentis, aut *ratione*, *secum*, de veritate rei differente. non autem de *externa enunciatione*. Hebræi *sapientiam Meditativam*, aut Artem meditandi, vocant. Nos, scientiam Rationalem, Partemque Philosophiæ speculativæ completivam.

II. Definitur à nonnullis: *Est scientia ordinandi propositiones enunciativas*, *secundum figuras Logicas*, *ad eliciendas Conclusiones*, *quibus pervenitur ad cognitionem dictorum*, *& ad judicandum de illis*, *utrum vera sint vel falsa*. aut hæc Descriptio placeat: *Logica est rationalis scientia*, *in qua disputatur*, *quemadmodum in utramq; partem*, *de rei veritate disputandum sit*. Licet corrigi possint, antiquæ definitiones præfatæ.

III. Plures esse Divisiones Logicæ. primo enim dividitur in *Naturalem & Artificialem*. id est ipsummet *intellectum aptum ad discurrendum*, sine subsidio artis. & *Facultatem superadditam intellectui*, facilitantem ad discurrendum, absque periculo erroris. Rursus *Artificialis*: dividitur in *Docentem*: per quam communiter intelligitur Facultas docens, quomodo confici debeant, Modi sciendi. Ut Syllogismus, Difinitio, Divisio. atque in *utentem*: per quam intelligitur facultas, confectiva horum modorum. *Docens item*, vel est *Topica*, vel *Critica*. illa *inventionem*, hæc *dispositionem* gubernat.

IV. Bene asserunt *Utentem Logicam*, tractare de *Genesi & Analysi Logicâ.* Estque Genesis: prima pars praxis Logicæ, qua aliquid contexitur, juxta normas Logicæ, modo disputatorio. *Analysis* autem altera pars praxis Logicæ, qua opus contextum, juxta normas hujus artis retexitur sive resolvitur, ad indicandam rei veritatem. estque *Axiomatica, Syllogistica, Methodicaq;.*

V. Objectum Logicæs, alii statuunt *Modum sciendi.* quod illo, veritas investigatur, & probatur. alii *prædicamenta.* quod ad ea, res omnes, rationabiliter investigabiles, reducantur. sed sint alia, & *prædicta.*

INVENTIO. Conceptibus V: *Porphyrianam, Arborem, Logicaliaq; decem prædicamenta. in Concrucifixione Christo repræsentans.*

I. RAtionalis scientia, eò cultores sui evexit, ut laudum summis celebrari meruerint æncomiis. maxime enim, si quæ alia, *Animali rationali competit* & necessaria est. Ut pote ad ratiocinandum discurrendumque creato. *Petro Abailardo*, magni ingenii & scientiæ Viro, Cluniaci, sancto fine quiescenti, Galli hos titulos, in Epithaphio dederunt. * CONCEP: Num: 221.

Gallorum Socrates. Plato maximus Hesperiarum.
Noster Aristoteles. Logicus quicunq; fuerint
Aut par, aut melior.

Rudolpho item *Agricolæ* Frisio, Heidelbergensi Professori, Logicorum illo sæculo Coryphæo, qui relictis sophisticis altercationibus, præcepta Dialecticæs ritè disposuit. Epitaphium his adornatum, extruxere Germani:

Scilicet hoc uno meruit, Germania quicquid. Beyertl. T. 4 Lit. L.
Laudis habet Latium. Græcia quicquid habet.

JEsus Christus, intellectus æterni Patris Verbum, ut sua *sa-*

sapientia Crucis, tanquam propria & verissima *Rationali scientia*, Franciscum præclarum, & Logicis terrenis laudabiliorem exhiberet: impressis Crucis Vulneribus, *Logica cælestis*, inter cætera objecta, *Arborem* Prophyrianam, expressit & plantavit. An enim Umbram *Salutaris arboris Christi*? non supplet mysterium. Utque sunt illius expansi hanc & in hunc partem rami. Ita hic *Extensio Concrucifixiva*.

In arbore Prophyriana, est species animalis, inscripta: *Homo*. hic, descripta figura passi Unigeniti Filii DEI, *facti hominis*. Alloqui Sanctus, desiderantes scientiam *veræ*

Eccl.16.25. *Logicæ*, seu scientiam *Veritatis infallibilis*, potest: *Audi me fili & disce disciplinam sensus, & in verbis meis attende in corde tuo, & dicam in æquitate disciplinam & scrutabor enarrare sapientiam, & in verbis meis, attende in corde tuo, & dico in æquitate spiritus virtutes, quas posuit DEus, in opera sua ab initio, & in veritate enuncio scientiam ejus.*

* CONCEP. Num. 222. II. Cathegoriarum Logicæ prima, est *Substantia*. primariæ: *Quantitas* & *Qualitas*. Substantiæ nomen, à substando Accidentibus actu. Unde & Proprietates ejus sunt: *Subjectum esse Accidentium, & non esse in subjecto Inhæsionis.*

Cant. 8. 7. Franciscus, juxta: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Substantiam corporis, Domum animæ suæ, dedit pro dilectione JEsu Crucifixi. Cujus substantiæ corporis, *accidentia* sunt

Ps. 61. 2. stigmata. Amatorque *Subjectionis* humilis, cum Sancto Vate proposuit: *DEO subjecta erit anima mea.* & Homini-

Eph. 5. 2. bus, *subjecti invicem in timore Christi.* Nullique *adhæsit*

Deut. 11.22. *subjecto* unquam, nisi DEO suo. *Diligatis Deum adhærentes ei.*

Quoad *Quantitatem* & *Qualitatem*. hæc quoque exprimuntur. Et *Discreta Quantitas*, in discreto corpore, discon-

discontinuantibus membris clavis, patet. *Qualitas*, in similitudine cum Vulneribus Christi. Apostolici voti, signifer mortui Salvatoris, compos effectus: *Qualis terrenus tales & terreni, & qualis cælestis, tales & cælestes. igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cælestis.* 1. Cor. 15. 48.

III. Adaliquid Logicum, seu *Relatio.* cujus totum esse est, ad aliud se habere. item *Actionis & Passionis.* seu respectuum ipsius agentis ad passum & passi ad Agens. evidentia quoque adesse documenta. Esse enim Vulnerum Francisci, *totum est ab alio*, dicere valet Redemptori suo: *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me, totum in circuitu* signis Crucis. Erat, *Vir cujus est nomen Domini spes, & non respexit in Vanitates & insanias falsas*, sed juxta: *Respice in faciem Christi tui*, in Christo Crucifixo, totius suæ relationis fundavit respectum. * CONCEP. Num. 223. Job. 10. 8. Ps. 39. 5.

Actionis item *Passionisq;*, respectus adesse. imò ipsa *Concrucifixionis Passio*, cum resignatione Pasi ad Agens: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Utque Sacrosancta Mater & Virgo, decantavit: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Ita Humili servo Dei proferendum. *Lætabor, in misericordia tua, quoniam respexisti humilitatem meam.* Profectò, *Spiritus timentium DEum quæritur, & in respectu illius benedicetur.* Job. 13. 15. Luc. 1. 48. Psal. 30. 8. Eccl. 34. 14.

IV. *Quando.* seu respectus rei temporalis, ad ipsum tempus. atque *Ubi.* seu respectus extrinsecus rei locatæ, ad ipsum corpus locans. mysteriose etiam spectantur. Opportuno enim & proportionato *respectu temporis*, Feria sexta, & circa festum Exaltationis Sanctæ Crucis, impressio facta. Ut sicut Dominus, *feria sexta* Crucifixus est. atque cum vulneribus *exaltatus in Cruce* erat. ita simili die, & circa festum Exaltationis trophæi Christi, concrucifigeretur Franciscus. *Locus* etiam stigmatum, non * CONCEP. Num. 224. Wad. T. 1. fol. 32. Chron. Alu. Mon.

sine

sine mysterio. nam ut Crucifixus Dominus in Monte Cal-
Wad. T. I. variæ, ubi tempore Passionis *petræ scissæ sunt.* Ita Christo
fol. 288. concrucifixus Vir DEI, in Monte Alvernæ, ubi petra in-
gens scissa est, cum petris in Morte Salvatoris, ruptis. ut
hucusque disrupta cernitur, ipso Angelo revelante id, B.
Patri, ibidem oranti.

* CONCEP. Num. 225. Wad. app. Chron. Vid. L. I. hic. de Jur. Can. S. Bon. c. 15.

V. Ultima demum Prædicamenta, *sitûs & Habitus.* satis habitant in impressione stigmatum. ipsæque species situs: Ut *stare, sedere, jacere. Stans* enim Vir DEI, à Christo recepit vulnera. cum iisdem, die extremi judicii, *cum judicantibus duodecim tribus Israel,* sedebit. Ut multi graves referunt Authores. Et *jacendi situs*, quando in lectulo feretri, eadem vulnera, post mortem, à multis visa & palpata, jacente Mortuo jam Beato, inventus.

Habitus denique, ut esse vestitum esse armatum, declaratur. cum JEsu Christi, qui *Habitu inventus est ut Homo,* (Philip. 2. 7.) Franciscus induens vulnerosam similitudinem, *Induimini Dominum JEsum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.* (Rom. 13. 14) terminavit relationem: Ob Logicæ cælestis considerata efformata, usurpare valens:

Linquo coax ranis, vanaq; vanis.
Ad Logicam pergo, quæ non timet ergo.

CAPUT XXVII.
De 46. Scibili Dialectico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Differentiam, Descriptionem, Objectum, Consideratãq; Dialecticas, declarans.*

I. Dialectica à *Differendo*, quod Platoni est *ratione uti*, dicitur. alii *Dialogiam* vocant. quasi dialogismum secum aut cum aliis, argumentando instituentem.

II. Dif-

II. Differt à Logica. quod illa Materias differendi, prout Inventioni & Judicio rationis humanæ ſubſunt, tractet. hæc ipſius Argumentationis, aut Diſſertationis, præcepta & formas tradat.

III. Difinitur: *Eſt diſciplina de Requiſitis, formisq́, ſyllogiſticè de veritate rei, in utramq́ partem, probabiliter diſſerendi.*

Uti hominem ratione docet, Dialectica, quare
Merito artium apicem, magnus hanc Plato vocat.

IV. Finis Materialis eorum, quæ tradit Dialectica, de acceptione terminorum, de Locis, Figuris, Differentiis argumentationum, de intelligentiaque propoſitionum, eſt *Diſſerere.* ſeu rem aliquam ſcientifice, unum ex alio inferendo. tractare.

V. Diſputatio de veritate rei, fit *Argumento* & *Argumentatione*, non ut eandem ſignificationem habent. ſed prout *Argumentum:* eſt ratio, rei dubiæ faciens fidem. & *Argumentatio:* eſt argumenti per orationem explicatio. cujus duæ ſunt ſpecies: *Syllogiſmus*, ſeu Oratio, in qua quibusdam poſitis, ex his quæ poſita ſunt, aliud neceſſario ſequitur. eo, quod hæc ſint. *Inductioq́.* ſeu Oratio per quam à particularibus, ad univerſalia fit progresſio, probandæ rei gratiâ. Sunt item & alii duo Argumentationis Modi. quorum unus à *Syllogiſmo,* alter ab *inductione,* ducit exordium. *Enthymema*, ſeu imperfectus Syllogiſmus, in quo altera propoſitionum prætermiſſa, feſtiva infertur concluſio. & *Exemplum.* quod non ex pluribus ut Inductio, ſed ex parte partem approbat. Porrò omnis *ratio diſſerendi*, quatuor Facultatibus ſubjecta eſt, *Dialecticæ, Rhetoricæ, Philoſophiæ* & *Sophiſticæ.*

INVENTIO. Conceptibus V: *Materias Disputationis, Exemplum Argumentationis, Dilemma, Conclusiones Argumenti, Modumq́ Disputandi, in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

CONCEP. I. Num: 226. MUndus quem DEus *tradidit Disputationi hominum*, gloriatur Sapientum suorum, de Naturis rerum di-
Eccl. 3. 2. sputationibus, magnique ducit Sapientiam Salomonis, qui
3. Reg. 4. 13. *disputavit super lignis, à Cedro quæ est in Libano. Usq́ ad hyssopum quæ egreditur de pariete, & disseruit de jumentis & volucribus & reptilibus & piscibus.*

Christus Crucifixus, Mundum instaurans depravatum, redimensque: non dissertationum sæculi, in quibus, *verba*
Eccl. 6. 11. *sunt plurima, multamq́ in Disputando, habentia vanitatem.* non disputationum Dialecticarum, de jumentis volucribus terrenisque rebus, ut Salomon disputavit; non Argumentationum, tantum de probabili rerum veritatis indagine: sed *Disputationum* sapientiæ cælestis, de supernis veritatis arcanis, in Concrucifixione Francisci exposuit. Ut novus repræsentaretur Salomon, *super lignis à Cedro quæ est in Libano, usq́ ad hyssopum*, disputans. id est de Ligno Crucis, quam etiam ex Cedro constructam fuisse narrant:

Gloss. in Clement. 1. de Trinitat. *Ligna Crucis, Palma, Cedrus, Cupressus, Oliva.*

Et *usq́ ad Hyssopum.* amarissimæ Passionis JEsu, in qua,
Joan. 19. 29. *spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.* repræsentatione ejusdem Passionis Dominicæ, vivificis vulneribus.

Nec aliud, in oppugnatione exordii vitæ suæ spiritualis, à Parente naturali, opposuit argumentum, quam *Cedri Crucis.* cum enim non solùm contradixisset, sed & maledi-
Pisan. Confor. fr. 5. ceret ubicunque reperisset filium suum, ille ad declinandas feri Genitoris, diras durasque execrationes, hominem quen-

quendam pauperculum, in Patrem adoptavit. rogans ut quoties ab illo malediceretur, è contrario sibi per ipsum facto signo Crucis, benediceretur.

II. Inter species *Argumentationis*, numeratur *Exemplum*. dum ex paritate rationis & propter similitudinem unius rei, infertur id etiam posse competere alteri rei. Ad convincendum intellectum humanum, in spiritualibus: *argumentum Exempli Vulnerum Crucis*, in carne Francisci descriptum. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* prout & Exemplar factus Concrucifixus Christo Vir DEI, juxta: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in Charitate.* qua major esse non potuit, quàm *ponere vitam* per Concrucifixionem, pro dilectione Salvatoris sui.

* CONCEP: Num. 227.

1. Pet. 1. 21.

1. Tim. 4. 12

Ac quemadmodum oppugnari solet positum Argumentum, adversâ opinione. ita Exemplar stigmatum. nam Gregorius IX. summus Pontifex, scrupulum dubitationis quendam in corde gerebat, de vulnere lateris, cui apparens nocte quadam Beatus, elevans brachium dextrum, detexit vulnus, & phialam postulavit, in porrectamque à Pontifice, sanguinem effluere fecit implens totum calicem, ut *oppugnantis*, submergeret incredulitatis caliginem.

S. Bon. Vit. c. 16.

III. Sed & *Dilemmatis*, id est argumenti bicornuti, ob duas propositiones ita dispositas, ut respondens necessario cogatur, aliquid contra se negare vel admittere: clara species est, duobus clavis acutis, in manibus & pedibus, *bicornua* effigiantibus. *Sensu vero Dilemmatis*, tali resonante in illis: *Aut est memoranda Passio Christi semper, aut non.* Si non. cur ergo JEsus, prodigiosa impressione vulnerum, reduxit illam, in memoriam. Si *memoranda*. cur ergo ingrate, insensate, non recordaris Passi Redemptoris. juxta: *Recordare paupertatis, & transgessionis meæ, absynthii & fellis.*

* CONCEP: Num: 228.

Thr. 3. 19.

 Apper-

Apparuit servo DEI quadam vice, Sacratissima JEsu Parens, dulcissimum complexa pusionem, affectuabat ille, humilia sua subjicere ei brachia, Divamque Genitricem, ut porrigeret filiolum, interpellabat variis modis. Hujus *Dilemmatis* figurâ, digne exprimendis:

Hunc ego sæpe sua, poscebam, à matre puellum,
Ille sed à Matris, noluit ire sinu
Hanc ego, sæpe sua, poscebam à prole parentem,
Illa sed à Nato, noluit ire suo.
Quid faciam, negat hic Matrem, negat illa puellum
Nec vult alteruter se dare. Uterq; dabit.
Vel rapiam Matri puerum, Materq; sequetur.
Vel rapiam Matrem. nollet abesse puer.

Bene Urgente, *dilemmaticè* Francisco: qui efficaciam ejus, in Mysterio Mortis Domini, expressit.

* CONCEP: Num. 229. IV. Ac sicut Argumentationum tota vis, in *Conclusione.* ut illa sola coronet Dissertationum opus. ita in corpore decorato stigmatibus, suo gaudet effectu. Nam *Conclusionis Vitæ* Christi in Cruce, dicentisque: *Consummatum est, & inclinato capite tradentis Spiritum.* (Joan. 19. 30) Signa sunt & ultimæ tesseræ, cardinalia nempe vulnera. ait Apostolus: (Rom. 10. 4.) *Finis enim Legis, Christus ad justitiam, omni credenti.* Sacerque Evangelista, non sine mysterio Historiam Passionis Domini orditur sic: (Joan. 13. 1.) *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

Sed quomodo intulerint veram Conclusionem stigmata attendamus: Quidam officio Prædicator, virtute & fama præpollens, desiderans ratione investigare miraculum, dubium contraxit. (Wad. T. 1. fol. 376.) Ei nocte apparuit Franciscus dicens: Vide manus & pedes. cumque videret volas confixas, & lutulentorum pedum Vulnera non videret. Remove ait lutum à pedibus meis, removitque & agnovit.

nec

nec ultra in dubii conflictamine versabatur. Conclusionem ratiotinationis dubiæ inferentibus, Concrucifixis membris.

V. Publice expositarum Thesium, quatuor nonnisi verbis, absolvitur in Disputationibus sensus, scilicet dum dicitur: *Concedo*, *Nego*, *Distinguo*, *Transeat*. Si autem placet inclinare aurem, ad signa vulnerum Francisci, hæc similia verba, exaudientur. Et quidem *Concedo*. cum Salvator, communicationem Passionis suæ, concedere dignatus est, & donare, quod nemo potest damnare. *Ipso enim concedente pacem, qui est qui condemnet?* Sed & *Negatio*, etenim abnegatis omnibus & semetipso. *Qui vult venire post me, abneget, semetipsum & tollat Crucem suam.* tulit Vir DEI, Crucem, vivificâ supportatione. *Distinctio* autem, in distincta vulnere carne, patet. Quantùm ad verbum respondentium in Disputatione: *TranseaT*. propter amorem Crucis, expressæ primâ & ultimâ verbi litera, *Crucis Sacratissimæ signa*, non permisit à se transire Franciscus. sicut procul transire fecit, omnia transitoria. *Mundus transit & concupiscentia ejus, qui autem facit voluntatem DEI, manet in æternum.* Quam pulchre, cum patiente Job, patiens proferre valet Sanctus: *Ad Omnipotentem loquar, & disputare cum DEO cupio.*

* CONCEP: Num: 230.

Job. 34. 29.

Luc. 9. 23.

1. Joan. 2. 17.

Job. 13. 3.

CAPUT XXVIII.

De 47. Scibilij Rhetorico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Descriptionem, Officia, Partitionem, Considerataq; Rhetoricæs. declarans.*

I. RHetorica, à *copia locutionis* dicitur. *Rhesis* enim apud Græcos, *Locutionem* significat. ab aliis *Eloquentia* vel *Oratoria* appellari solet.

II. Ab Ariſtotele ſic definitur: *Eſt quædam facultas perſpiciendi, quid in una quaq; re ſit ad perſvadendum, accomodum.* Vel ſic etiam definienda: *Eſt diſciplina docens rem ſolerter inventam, prudenter diſpoſitam, verbis politis ornatam, fideliq; memoria comprehenſam, ad ſvadendum vel diſvadendum aliquid, dictione proferre.*

III. Oratoris officium eſt *Docere.* id eſt argumentis & rationibus uti, ad rem probandam, vel fidem conciliandam. Item *Movere.* id eſt ſvaviter aut ſi expedierit, vehementer, ad Motus graves, conſternationis, doloris, admirationis Auditorem incitare. *Delectareq;.* id eſt quandam in animo recreationem, dictione ac materia ejus excitare.

IV. Finis artis Rhetoricæ, *Oratio.* quæ eſt diſerti Oratoris, ingenioſe inventa, diſpoſita & ornata, cum gravitate vocis, Geſtus, in conſpectu Auditorum pronunciata actio.

V. Partes autem Rhethoricæs, quinque asſignantur: *Inventio:* quæ docet quærere invenire, & excogitare res, de quibus dicat Orator. *Seu,* eſt excogitatio rerum verarum aut verisſimilium, quæ probabilem reddant quæſtionem. *Diſpoſitio:* quæ docet partes Orationis ut Exordium, Confirmationem &c. ac etiam argumenta, recte collocare. *Seu,* eſt rerum inventarum, in ordinem diſtributio. *Elocutio:* quæ docet Oratorem, ea omnia quæ invenit & diſpoſuit, verbis & ſententiis ornare. *Seu,* eſt idoneorum verborum ac ſententiarum, ad inventionem accomodatio. Quarta Pars: *Memoria,* firma & fidelis rerum & verborum, ad intentionem perceptio. Quinta, *Pronuntiatio.* docens Orationem inventam, diſpoſitam, verbis & ſententiis ornatam, cum vocis moderamine & Geſtus gravitate proferre.

INVENTIO. Conceptibus V: *Rhetoricam cælestem, Organa vocis, Gestus Oratorum, efficaciam perorationis, ac signa moventia. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. EX quò *fons sapientiæ, verbum DEI in excelsis*, caro-factum. Interque sanguinei Virginei fontes effusum est: facundia cælestis Rhetoricæ dissertior extitit. terrestris autem desertior. *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum, & erit quasi pythonis de terra vox tua, & de humo, eloquium tuum mussitabit.* Prædicationis eloquentissimo tonitru, non magniducente, altitudinem terrenæ Eloquentiæ: *Et ego cum venissem ad vos, non in sublimitate Sermonis aut Sapientiæ, annuncians Vobis, testimonium Christi.* Rhetoricæ hujus cælestis disciplinam, *Virtus DEI*, tradidit & instituit, Franciscumque dum Signis Crucis affecit, Oratorem effecit. Vulnera enim ejus, non venenate dulcem Sermonem, spirant: *per dulces Sermones & benedictiones seducunt corda Innocentium.* non tumore elationis strepentem. *nemo vos decipiat in sublimitate Sermonis.* sed enarrationem pangunt: *Vita & Mortis Christi*: illam, imitatione, hanc expressione. *Nos autem prædicamus Christum Crucifixum, Judæis quidem Scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem Judæis, atq; Græcis, Christum DEI Virtutem & DEI Sapientiam.*

* CONCEP: Num: 231.
Eccl. 1. 5.
Is. 29. 4.
1 Cor. 2. 1.
Rom. 16. 18.
Col. 2. 4.
1. Cor. 1. 23.

II. Utque promendæ & exprimendæ vocis:
Instrumenta novem sunt: guttur, lingua palatum.
Quatuor & dentes, & duo labra simul.

* CONCEP: Num. 232.

Ita in signis Concrucifixionis, *sanguine vocem promentibus*, instar profunditatis oris: profunditas est vulnerum; instar labiorum rubedine affectorum: esse adhærentem vulneribus, carnem rubentem; instar Linguæ, quæ fine acu-

ta,

S.Bon.c.13. it.15. ta, nervosa, rubea, nigrescens: esse clavum ex nervis mirabiliter confectum; acuminatum nigrescentem sanguine tinctum. Dentium verò, instrumentorum loquellæ ad instar: Sunt in vulneribus, ossa ossiculaque proxima

Ps. 34. 20. carni. *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi?* Con-crucifixione. Profectò Franciscus: *Est qui emittit Ver-*

Eccl. 19. 2. *bum certum, enarrans veritatem.*

* CONCEP: Num. 233. III. Gestus quoqne Oratorum, efformantur. & prout quidam *Corde, manu, pede,* licetsi linguam habeant,

Psal. 11. 3. loquuntur. *In corde & corde locuti sunt.* &, *Tibi dixit cor*

Psal. 26. 8. *meum, exquisivit te facies mea.* ac de manu, sacro textu

Prov. 6. 14. narrrante: *Digito loquitur.* Ita Franciscus corde compuncto in latere læso, eloquium adhortans emittit: *Filii ho-*

Psal. 4. 3. *minum usquequo gravi corde dilligitis vanitatem & quæritis mendacium, quæ dicitis in cordibus vestris compungimini.* Ita Vulneratæ ejus manus, non sine gestu & actu Sermonis

Ps. 36. 27. perorant: *Declina à malo; & fac bonum.*

Et decuit docuit, qui re sua verba probavit
Plus malefacta nocent, quam bene dicta docent.

Utque pede, exagerando & terrefaciendo, pulsatur ab Oratore tellus, sicque loquella ejus expressius promitur. ita perfossi pedes, dum atterunt calcando clavis infixis terram, affectum hunc perorant: *Quid volui super terram,*

Psal. 71. 25. *defecit caro mea & cor meum, DEus cordis mei, & pars mea DEus in æternum.*

* CONCEP: Num. 234. IV. Nemo elingui Sanguini, profusam attribueret eloquentiam, nisi enarraretur de Sanguine Abel. *Vox*

Gen. 4. 10. *Sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra.* Item de san-

Hebr. 12. 24. guine Christi: *Et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel, videte ne recusetis loquentem.* Quod magis, etiam *ferrum,* ferre sermonem testatur, almus Hypponensis Præsul: *Clavi & lancea clamat, quod in Christo sit DEus,*

De Pass. Dni c. 24. *recon-*

reconcilias sibi Mundum. Sanguis de Vulneribus Francisci abunde manans, voce etiam & clamore præditus est: enarrando sanguinem Crucifixi, innocenter pro ablutione scelerum Orbis, effusum. Utque Dilectus DEO hominibusque Moyses, affectabat: *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.* Ita Sanguinis fluibilis vox: est instar stillarum roris. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Christus JEsus, venit in hunc Mundum peccatores Salvos facere.* Deut. 32. 2. 1. Tim. 1. 15.

V. Tullianâ Svadâ Orator, Marcus Antonius, antequam Romano consedit in Senatu, cum in conspectu Patrum, reum quenpiam defendendum peroratione suscepisset: arrepto illius sago, multis confosso telis, sanguine conspersо, ac testante vulnera pro bono Reipublicæ suscepta, adeò efficaciter peroravit: Ut magis Judices spectaculo, quàm eloquio in partes suas traxerit. Oratoria Francisci Vulnerum, similis est. etenim dum perorat & persvadet amorem JEsu Passi, ut efficacius commoveat Mortalium corda, scissuras Carnis, *Vestimenti animæ Christi*, in suo demonstrat corpore, & plusquam Rhetorice, quæ perpessus sit pro homine Salvator Mundi, declarat & explicat. * CONCEP. Num. 235. Apud Carth. de Pass. Dni.

CAPUT XXIX.

De 48. Scibili Paræmiatico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Descriptionem, Partitionem, Objectum, Considerataq; Paremiæ, declarans.*

I. P*Aræmia*, pro accomodato rebus temporibusque dicto, usurpatur. ab aliis vulgariter *Proverbium* dicitur. Græcis Vocabulum hoc, significat: dictum passim

per ora hominum obambulans. Unde & *Proverbium*. quasi *pro Verbis & per Verba bivium*, sonat.

II. Notitia Paræmiarum, describi potest: *Est Disciplina celebrium dictorum, subtilitate ingenii concinnaq; brevitate insignium, ad intimandos sensus, rebus temporibusq; accomodatos.* Et requiritur ad Paræmiam, ut sit *celebre dictum*. scilicet Vulgari usu celebratum, & communiter jactatum. Unde *Adagium*, Latinis, *Circumagium*. Item requiritur ut sit *Scitum*. ad discernentiam à Sermone communi. Neque enim quod populari Sermone tritum, in catalogum Paræmiarum reducendum.

III. Dicti rebus temporibusque accomodati, præcipuæ species sunt. *Gnomata*, *Apophtegmata*, *Paradigmata*, *Lemmata*, *Ænigmata*, *Paradoxa*, *Adagia*, *Proverbia*, *Symbola*, *Scommata*, *Sententiæ*, *ac Responsa Magnorum Virorum*, *brevibus verbis multa continentia*.

IV. *Paradigma*: est enarratio Exempli hortantis aut deterrentis brevi eloquio. *Lemmata*, sunt certa verba brevia, iconibus figurarum, aliquid denotantium adscripta. vel verbo per transennam atributa. *Ænigmata*, nihil aliud sunt, quam obscurior *Allegoria*, dum sententiâ per occultam similitudinem rerum, aliud dicitur, aliud significatur. *Paradoxon*, est dictio inopinate accidentium, nec apparentium inter se convenire, gratia declarandæ acuminositatis, excitandæque admirationis.

V. Differre autem *Ænigma* & *Parodoxum*. quod hoc in verbis, illud in rebus, difficile sit cognitu declaratuque. Porro *Adagium*, sumitur pro dicto vulgò usupari solito, descriptione polita rei, ut *veritas in vino*, id est, *Ebrii verum dicunt*. Per *Symbola*, intelliguntur verba nonnulla, notas & formas mysteriorum, aut agendorum vel fugiendorum, intimantia. *Scommata*, sunt salse dicta, atque si

mordicitus, sarcasmi dicuntur. si *jovialiter*, *Facetiæ*. per *Gnomata* vero, intellige *Sententias* sensûs præcipui.

INVENTIO. Conceptibus V: *Acumen Dictorum, acuminosum sensum, scite dicta Verba, breviaq; Gnomata. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. NOn postremus semper, prudenti & acuminoso dicto, attribuitur honor; *Cum Sapientia proferas responsum verum, si est tibi intellectus responde proximo, sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato & confundaris, honor & gloria in sermone sensati.* Sapientia æterni Patris JEsus Christus, ut *verbo Crucis suæ* declararet inesse prudentissimam & accuminosam intelligentiam. *Verbum enim Crucis, pereuntibus quidem stultitia est.* in impressione stigmatum: *Acumen Crucis Sapientiæ, sciteq; dictum*, efformavit. Et si pro Corinthiis, gratia Divina præventis, Apostolus protulit: *Gratias ago DEO meo semper pro Vobis, in gratiâ DEI, quæ data est vobis in Christo* JEsu, *quod in omnibus divites facti estis in illò, in omni verbo & in omni scientia, sicut testimonium Christi, confirmatum est in vobis.* Quidni Ecclesia Sancta, gratias referat Christo JEsu Sponso suo, quod in Francisco, & *testimonium Vivificum Crucifixi* Domini, *confirmatum sit.* & Verbum Crucis, in omni scientia, ut Apostolus loquitur, declaratum.

* CONCEP: Num: 236
Eccl. 5. 14.
1. Cor. 18.
1. Cor. 1. 4.

II. Utque inter præcipua Paremiæ, seu *Sapientis Dicti*, ornamenta, est *Acumen*:

Omne Epigramma, sit instar apis, sit aculeus illi.
Sint sua mella, sit & corporis exigui.

attestante ipso Sacro textu. *Et in sermonbus meis stimuleris.* ac patet ex Christi, paræmiatica Saulis allocatione: *Durum*

* CONCEP: Num: 237.
Eccl. 12. 12.

Act. 9. 5. *rum est tibi, contra stimulum calcitrare.* Ita Verbum Crucis, in carne Francisci, signis cruentis exaratum, non sine *acuminibus* clavorum infixorum; non sine *puncturis stimulorum* est. Siquidem, *verba sapientum sunt stimuli, & quasi*
Eccl. 12. 11. *clavi in altum defixi.* Vel ut Hebræi legunt: *Clavi plantati*, vel ut Græci, *igniti*, prout sunt clavi, ardore Charitatis Seraphicæ ignescentes.

* CONCEP. Num. 238. III. Non absque mysterio, Doctor Gentium, paræmiaticum *quinq; verborum*, optavit stylum: *In Ecclesia volo*
1. Cor. 14. 19. *quinq; verba sensu meo loqui, ut & alios instruam, quam decem millia verborum in lingua.* Pari modo Franciscus, in Ecclesia Catholica, quinque nonnisi verba proposuit exposuitque. nimirum *quinq; vulnera JEsu.* quinque vitæ Christianæ requisita, loquentia: Pacem, unanimitatem, concordiam, benignitatem, charitatem. Et *linguâ* quidem *operum*, sensu comportationis ad invicem, *sensu Patientiæ*, non sola linguâ.

* CONCEP: Num. 239. IV. Commendabile etiam est. Paræmiaticum Dictum à *Brevitate*,

Quicquid præcipias, esto brevis, ut citò dicta.
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

hinc vox: *brevis*, in hanc *verbis*, anagrammaticè resolvitur. Crux JEsu Christi, *Humilitatis* Symbolum est. quæ explicari nequit, nisi submissorum *brevitate* verborum, non autem longis, & in latum diductis, vanam gloriam
S. Bon. Vit. cap. 6. sui crepantibus, verborum philacteriis. Franciscus, dum Crucis Verbum pandit stigmatibus, in suimet exaltatoriis deprædicatoris *Verbis*, *Brevis*. ait Seraphicus Doctor: *Humilitatem quo poterat sectabatur conatu, quam adeò perfectè assecutus est. Ut copiosa ubertate, Virum DEI repleret, in propria enim reputatione nihil erat, nisi peccator, cum in veritate, speculum esset & splendor omnimodæ sanctitatis. propter*

quod

quod studebat tanquam Christi discipulus, in oculis suis & aliorum vilescere, à summo esse dictum Magistro commemorans, quod altum est apud homines, abominatio est apud DEum.

V. Fortis & patiens Athleta Christi, S. Marcus Arethusæ Episcopus, candore senii jam affectus. ab infidelium turba, innumeris Cruciatibus pressus, tandem in sublime, ferventissimo dominante æstu levatus. Ut Apum vesparumque configeretur aculeis, in tortores suos jocabatur: *Abjecti vos, qui humi repitis, erectus verò ego, & excelso loco collocatus.* Vereque excelsus, quem victrix tolerantia, omni crudelitate humana, fecerat superiorem. Verbum Crucis, similia enarrat. in alto enim Alvernæ theatro, non calore occasum sentientis Solis, sed calore Seraphicæ Charitatis, accensus inflamatusque Franciscus, reptantes super terram, terræ amatores, acuminosis clavorum suorum alloquitur paræmiis, seu *acute dictis.* enarrans Christi verbera, per sua vulnera.

* CONCEP. Num. 240. Theod. L. 3. Hist. Eccl. c. 16.

CAPUT XXX.
De 49. Scibili Historico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Descriptionem, Divisionem, Considerata, Objectumque Historiarum, declarans.*

I. Historia est *narratio rei gestæ.* dicta à *Historin.* id est videre vel cognoscere. quod veterum, nemo conscriberet historiam, nisi qui interfuisset & quæ conscribenda essent, vidisset. hinc Historia proprie significat: rerum gestarum expositionem, narrationem, demonstrationem.

II. Quoad Nomen, Divisio Historiæ, hæc statui debet: quando summa retro temporum, annorumque supputatio, historicè comprehenditur; & per Regum princi-

pumque successum, multa necessaria perscrutantur: narratio hujusmodi, *Historia* appellatur. *Ephemeris* autem: cum unius diei actus describuntur. *Calendaria* dicuntur, cùm in Menses singulos, narrationes digeruntur. *Annales*: dum enarrantur, res singulorum annorum. *Chronica*. Temporum seriem, latinè significant. *Chronologia* & *Chronographia*, sunt narrationes rerum, ordine sæculi.

III. Historica in genere, sic explicari potest: *Est peritia scientifica, scripto traditionis rerum gestarum ac dictorum celebrium, cum explicatione circumstantiarum anni, loci, personæ, prout in rei veritate quid. factum, ad porrigendam scientiam anteactorum, vel distantium, narratione scitu dignorum.*

IV. Divisio Historiæ Generica quintuplex: in *Historiam Scientificam*, seu de Literis, Literatisque. in *Historiam Physicam*, seu Naturalium; in *Historiam Politicam*, seu de rebus Civilibus; *Historiam Mechanicam*, seu de natura subacta operibus factitiis; & *Historiam sacram*, seu de Rebus Fidei & Ecclesiæ.

V. Historia sacra, cùm suis constituatur speciebus, dividitur in *Ecclesiasticam*, *Historiam Prophetiarum*, ac *Historiam Nemeseòs*, sive Providentiæ. *Prima*, Ecclesiæ militantis tempora & statum diversum memorat. sive illa fluctuet ut Arca *in diluvio*; sive itineretur ut Arca *in eremo*; sive consitat ut Arca *in templo*. Hoc est: *statum Ecclesiæ*, in persecutione, in Motu, & in pace referrat. Altera, *Prophetiarum*, ex duobusque Relativis constat: *Prophetia ipsa & ejus adimpletione.* quæ magna cum sapientia, & reverentia pertractanda. siquidem Prophetiæ, non *continenter* & *punctualiter*, explentur: sed referunt Auctoris sui naturam: *Cui unus dies, tanquam mille anni, & mille anni tanquam unus dies*. Tertia, *Historia Nemeseòs*. occupaturque in observanda illa Divina conniventia, circa vindictas

seras,

seras, & inopinatas; salutes subito affulgentes & insperandas; consilia Divina, per ambages rerum tortuosas & stupendas spiras, tandem se manifestò expedientia, & similia. Quæ valent non solum ad consolandos animos Fidelium, sed ad percellendas etiam conscientias Improborum.

INVENTIO. Conceptibus V: *Historiam mysterii Patriæ, Temporis & Annorum, Nominis præfigurativi, Actuum totius vitæ, ac Heroum Historiam. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: Num. 241.

I. IN *Alto*, quæ prævisa sunt: in imis, Causæ secundæ circumstantiis suis, sæpe præfigurant: ait D. Gregorius, de Salvatore nostro: *Nascitur in Bethlehem. Bethlehem quippe panis domus interpretatur. ipse namq; est qui ait: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Locus enim in quo Dominus nascitur, domus panis antea vocatus est. quia futurum profectò erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes internâ satietate reficeret.* Prodigium stigmatum, in cœlo prædeterminatum, multa quoque præfigurantia, & mysterium intimantia antecesserunt. Si enim consideretur, ut de *Bethlehem* dictum, *Patria* Francisci. Hæc *Umbria*, Italiæ Regio, in Ducatu Spoletano antiquissima, & mysterio approportionata extitit. nam ut ob montium Altitudinem, & arborum densitatem, umbrosa; vallibusque ac petris prædita; (è quibus aquarum frequentius manant fontes.) ita in mirifico opere Concrucifixionis, pro *Umbris vallibusq;*: esse umbrosum, ad intra lateris Vulnus; esse *convalles Plagarum*, in manibus & pedibus. pro *Vivis* fontibus aquæ: (*Vitæ vehiculum*:) sanguinem fundentes.

Homil. 8. in Evangel.

Bodin. in Def. Duc. Spol.

Quoad Nativitatis locum, *Assisii Urbem*. quæ in colle

Wad. Annal. T. I. Appar. arduo Vallis Spoletanæ sita, Sanctæ Hierosolymorum Civitati, similitudine proxima. (Ut illa, *Montem Calvariæ* continet:) in medio sui, Montem pulcherrimum, Occidentem aspicientem, complectitur: mysterio adaptata est: Nam sicut Vulnera Christus Hierosolymitano in Monte recepit, ita Francisco nato in urbe Hierosolymæ simili, impressit. Quatenus par Locorum, Memoriæ Passionis Domini, in Orbe foret. *in terra Sancta*, ubi summus Pontifex, *Legis Antiquæ*, Hierosolymæ residebat. Et in *Italia*, ubi summus Pontifex, *Legis Novæ*, residet.

* CONCEP: Num. 242. Annal. Minor. T. I. app. § 3. II. Sed ultra Historicæ Chronologiæ, attendamus. Editur in Lucem Seraphicus futurus Ecclesiæ Atlas, anno à Redemptoris Nativitate 1182. & vitam ad annos 45. produxit. Anno autem Domini 1226. felicissime conclusit. Per id autem tempus, *Salahadinus* Ægypti Soldanus, dissidentibus inter se Christianis Principibus, Hieros. Anton. 3. p. Hist. tit. 24. Andrich. in descr. Terræ San. solymam, anno 1187. invasit, & secundâ die Octobris, feria sexta, occupavit. *Quinquennium ætatis*, jam attingente Francisco. Et licet nemo Consiliarius Altissimi fuit, aut noscit ordinata ab æterno, cur in hoc aut tali tempore fiant. licet tamen, procliveque opinari: illum *quinquennem* puerum jam destinatum tunc, cum *Terra Sancta* amittenda foret. Ut præostenderetur, in virili ætate, quinque numero plagarum, divini amoris manu insigniendum, destinandumque Terræ Sanctæ, Spiritualem Reparatorem. prout per Minoritas Fratres ejus, trecentis & ultra annis, inter infideles Saracenos, administratio Locorum sacrorum, lætificat Ecclesiam.

Notandum item, *Annos vitæ ejus 45.* fuisse: continentes sacrum quinarii Numerum. atque amissam Terram Sanctam, feria sextâ: *quâ die* stigmata recepit. Item amissam *secundâ Octobris die*, & solemnitatem Francisci. *secunda post*

post hanc, id est quarta die, celebrari in Ecclesia. Quæ & alia, nonne innuunt mysterium Passionis Christi Domini. Latuitque arcanum, quod Crucifixi JEsu Amator, ad Montem Alvernæ, antequam in ipso insignia Crucis imprimerentur, *quinquies* accesserit, *quinquiesq;* commoratus fuerit. *Primo*, quando à dæmonibus in Monte raptatus & percussus est, atque de rupe in præcipitium missus; *Secundo*, post Comitia Ordinis, Assisii celebrata; *Tertio*, cum pergens per *Plebis Castrum*, sacellum oblatum sibi recepisset; *Quarto*, dum fontem in monte Pominio Miraculose Scaturire fecit, Joannique cæco, visum restituit; *Quinto*, dum Camaldulensium Eremum invisit, menseque integro, sacris exercitiis ibidem vacavit. Quo numero sacro: *Historia Seraphica*, *quinq; Vulnerum* præfigurabatur.

Chron. Alu. fol. 32. & seq.

III. Nomen item: Stigmatum factum omen. Vocatus enim in Lavacro Baptismi: *Joannes*, Matre velut altera Elisabetha Volente; Patre postea cum faciliter addisceret *Francicam* linguam, *Franciscum* vocante. Ut igitur D. Joannes Baptista, futuram in Cruce mortem JEsu, (de quo Propheta: *Quasi agnus mansvetus qui portatur ad victimam*) præmonstravit dicens: *Ecce agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi.* Ut Joannes Evangelista, stans sub Cruce Domini, singularis Amator Crucifixi Magistri sui apparuit. ita Franciscus, *nomen illorum non inane* portans, repræsentativa JEsu Crucifixi imago, factus. & quasi nomine anunciativo rei futuræ, decoratus. Quod si idem mysterium, in nomine altero: *Franciscus*, velis? & hoc *anagrammaticè*, Crucis mysteria sonat: *Crucis Fans* enim dicitur. id est elocutor, aut *infans*, ex cujus ore perfecit DEus laudem suam.

* CONCEP: Num. 243. Wad. T. 1. fol. 17.

Jer. 11. 19.

Joan. 1. 29.

Joan. 19. 26.

Psal. 8.

IV. Sed nec *Loca*, nec *Tempora*, nec Nomina tantum, Historiæ vitæ, præsignabant gratiam Concrucifixionis Viri DEI.

* CONCEP: Num: 244.

DEI. etenim ferme totius vitæ cursus, nil nisi summum Crucis JEsu portendebat arcanum. *A cruce incæpta ejus natalitia.* nam domum à Baptismo relatus, ab Angelo in specie perigini, in humero dextro, signo Crucis impresso decoratus est. In vita quoque, ex multis Crucis apparitionibus & miraculis. quædam recensentur:

Wad. T. 1. app. fol. 17.

Antiph. Officii.

Crucis arma fulgentia, Vidit Franciscus dormiens.
Christum dicentem audiens, tua erunt hæc omnia.
Crucis vox hunc alloquitur, terdicens, tu te præpara.
Vade Francisce repara, domum meam, quæ labitur.
Crucis Sacrata lectio, ter Francisco se præbuit,
Dum ter librum aperuit, pro virtutis indicio.
Crucis verbum proponitur, Fratribus per Antonium,
Et Franciscus ad ostium, in Crucis modum cernitur.
Crucis arbor eximia, per os Francisci apparens
Cogit fugere draconem & dæmonia.
Crucis signum Tau, litera fronti Francisci scribitur,
Quæ variè distinguitur, miranda lucis opera.
Crucis magnum mysterium, super Francisco claruit,
Dum signatus apparuit, Cruce duorum ensium.

Cum Cruce demum vita finita. siquidem etiam *Concrucifixus* erat; & transpositis in modum Crucis manibus, moriens suis benedixit Fratribus.

* CONCEP: Num: 245.
Surius T. 1. Vit. Sanctor.

V. Historia Ecclesiastica, summis laudum celebrat præconiis, *Theodorum* Romani exercitus Ducem, hic sub Licinio Imperatore diro Christianorum lanigena, sprevit exosis Deorum larvis, arma & cultum ferre, magis eligens in castris fidei veræ, militare. Vulneratus igitur atrociter, atque in Crucem actus, quinque clavis confixus, patientissime decantavit: *Rex meus & DEus meus, nomen Sanctum ejus, sit benedictum in sæcula.* Quidni Laudibus, heroica in Francisco non efferre vulnera. Qui Concrucifixus

Ps. 143. 2.

cifixus Christo, atque Cardinalia quinque ejus vulnera portans, Nomen Sanctissimum JEsu, summo affectu, summâ laude coluit, svavissimeque semper decantavit: *Sit Nomen* Psal. 112.
Domini benedictum, ex hoc nunc & usq; in sæculum. Benedi- Exod. 15.18
ctum sit in sæcula & ultra. Dignusque inventus *pro Nomine JEsu pati*, sub titulo inscripti nominis JEsu in Cruce, manentia vulnera.

CAPUT XXXI.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Explicationem, Partitionem, Objectum, consideratãq; Poeseôs, declarans.*

I. NOmen Artis hujus, cæpisse cum primùm Homines, exutâ feritate, rationem vitæ habere cæpissent; seque ac Deos nosse, illustrioribus verbis ac jucundioribus Numeris, Religionem, Deosque describere ac laudare. hoc cùm formâ quadam, quæ *Poëtes* dicebatur exequebantur: *Poëma* vocatum est. ejusque fictores, Poetæ appellati.

II. Poesim Genus esse Doctrinæ, Verbis plerumque adstrictæ, materiâ rerum Solutæ & licentiosæ. Spectareque ad specialem intellectus operationem phantasiæ, quæ illicita rerum comparativa conjugia & diuortia comminiscitur, ac machinari solet. ad magis exprimendam, ac svavius, rei assumptæ Materiam.

III. Species Poesèôs septem esse. *Comædiam, Tragædiam, Invectionem, Satyram, Fabulam, Historiam, Argumentum.* Ex his *Comædia*, Poësis, cujus exordium triste, finis in lætitiam commutatus. *Tragædia* cujus lætum principium, sed in tristem finem desinens. *Invectio:* est carmen reprehensorium, animo bono compositum. *Fabula:* est nec

nec vera nec verisimilis rerum narratio. *Historia.* est rei vo gestæ descriptio metrica. *Argumentum*, est rei vilis, voluntaria similitudo, aut assimilatione tractandæ rei, assumpta occasio. *Satyra:* est poësis carpens vitia, & mores suæ ætatis.

IV. Subjicienda quoque alia Poëticæs divisio, priores contrahens & continens, *Primo* in Rythmicam. vel *Metricam.* cui Scibilia attribuenda Carminum, diversæ Formæ. Item Epigrammata, Anagrammataque. *Secundò* in Dramaticam: ad quam reducendi Dialogi theatrales, Satyræ, Elegiæ, Odarumque Genera. *Tertio* in Apologicam, cujus sunt Fabulæ, Commenta, Parabolæ, Diversæque Fictiones Poetarum. *Quartò* in Ænigmaticam, cum Gryphis, seu obscuri Sermonis propositionibus, atque inscriptionibus Emblematum, Hieroglyphicorumque. *Quintò* in Heroicam, quæ narrationes Historicas, rerum magnarum, non frivolarum, adspersis modicis jucunditatibus Poëticis, prosequitur.

V. Tres autem *Characteres* Poetarum esse. *Primum*, in quo tantum Poeta loquitur. ut in Libro Virgilii Georgicorum. *Secundum*, Dramaticum, in quo Poeta nunquam loquitur. Ut est in Comædiis, atque Tragædiis. *Tertium*, Mixtum, ut est in Æneide. Ubi & Poeta, & introductæ loquuntur personæ.

INVENTIO. Conceptibus V: *Poesim Divinam, signa Metricæ, figuras Poeticas, descriptiones, ac Carminum speciem. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: I. Num: 246. Athteniensibus, scientiâ & Doctrinis, olim celeberrimis, ut felici eventu Sapientiam Crucifixi, Doctor Gen-

Gentium instillaret. Usus est Poësi, ex eaque enarrandæ veritatis argumentum assumpsit, *Quidam Vestrorum Poetarum dixerunt, ipsius enim & Genus sumus*, indeque deduxit: *DEum non longe abesse ab uno quoq;.* Totius Mundi, incolis rationalibus, ut jucundo doctrinæ modo, Memoria Redemptionis excitaretur, *Poeticæ Metricæ signis*, producta est figura Mortis Domini, in corpore Francisci. Et quemadmodum *locutus est Salomon, tria millia parabolas, & fuerunt carmina ejus, quinq; & mille.* Ita plusquam Salomon Christus, vulnerum suorum carmina quinque, in Concrucifixo sibi, locutus est *ad populum, & oves pascuæ suæ.*

Act. 17. 29.

3. Reg. 4. 32.

II. Quod si figuras Quantitatis Poeticæ, divisæ in Longam, talis Formæ —. & in Brevem hujusmodi ᴗ. invenire desideras? reperies. Quid enim infixus clavus, à parte superiori longior. retorti verò & inflexi cuspidis ab infra, denotat? si non longam, ac item figuram brevem, Mensuræ Poeticæ. Manuum quoque orbiculatæ Vulnerum Formæ. Laterisque protractius & majus Vulnus: nonne expresse figuras. *longæ & brevis quantitatis*, efformant? Ipsa quoque Crucifixio, in qua caput pectus & pedes in *longum* extensi, manus verò pendentes, instar arcus, aut lunæ, *incurvatæ:* lineolam prosodicæ Quantitatis longæ. & inflexuram brevitatis, efformat. Vir DEI, ob expressa metra Carminum, adnumerandus est Viris gloriosis, de quibus Sacer textus: *In peritia sua requirentes Modos Musicos, & narrantes carmina scripturarum.* Proferendum Francisco. *Et statuit super petram*, Alvernæ. *pedes meos*, exprimentes pedes metricos, *& direxit gressus meos, & immisit in os meum Canticum novum, Carmen DEO nostro.*

* CONCEP: Num. 247.

Eccl. 44. 5.

Psal. 39. 3.

III. Propter Carminis Elegantiam, vel necessitatem, variis in suo Metaplasmo, utuntur Poetæ figuris. & alias enumerant hi versus:

* CONCEP: Num. 248.

Propthesis apponit capiti. quod Aphæresis aufert.
Litera in Anthitesi, varia est. Tmesis secat apte.
M. necat Ecthlipsis. perimit synalæphe Vocalem.

Carmen Passionis JEsu, his figuris omnibus, ad elegantiam completum. *Prothesis apponens Capiti.* Ut dicendo: gnatus pro natus, expressa. Nam Capiti Christianorum Crucifixo. membrum corporis Francisci, similitudine Crucifixionis interveniente, apposite annexum. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem, in mensuram uniuscujusq; Membri, augmentum Corporis facit.* Figura verò *Tmesis secans apte.* id est, cum inter partes dictionis, aliquid interponitur: *In Vulnerosa intersectione*, apparet. Ecthlipsis, seu literæ *M. elisio.* Francisci Amor Hnmilitatis, non *Majoritatis*; non *Magnificentiæ*; non *Multitudinis* divitiarum; explet. *Corruit magnitudo elevationis superbi Angeli, magnitudoq; Virium inferni, dum humilis in Cruce* JEsus, *inclinato capite moritur.* cujus Vir DEI, amator extitit.

Eph. 4. 15.

Stezius de Cruc. ser. 3.

*
CONCEPT: Num: 249.

IV. Acumine Poeseos, juxta qualitates quantitatis Metricæ, non improprie difiniretur homo: quod sit *Choreus.* id est constans Longa & Brevi. juxta: *Homo natus de Muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis.* Homo DEI, plagis Christi decoratus, descriptionem prædictam, mirùm, quam perfecto exemplo exprimit. *Longa* Vita ejus: quando in *omni patientia* & *longanimitate*; longis in jejuniis; protractioribus in orationibus; Altissimo serviebat. Vita ejus *Brevis*, erat: in brevitate paupertatis; abbreviatione verborum; somnique parcitate. Ut quasi parvulus brevis arenæ, strictusque grumulus, humilis fuerit. inundationem maris magnam, amaræ passionis Domini, intra littora corporis sui continens. *Si enim fuerit*

Job. 14. 1.

rit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo, consummatio abbreviata, inundabit justitiam. Is. 10. 22.

V. Ezechieli vati veridico Omnipotentis, missa de coelo manus, Librum obtulit, expanditque coram eo. *qui erat scriptus intus & foris: & scriptæ erant in eo lamentationes & carmen & væ.* Librum hunc, scriptum ad intra & extra, denotasse Passionem Salvatoris nostri, asserit Gregorius Nazianzenus. quem manus Domini, descendentis de coelo, porrexit Francisco, in carne ejus inscribendo Lamentationes, Lugubriaque carmina: *Doloris*, Morientis vitæ in Cruce, pro Salute mundi. Etsi cui *descriptionis Carminum*, oritur dubium? Sciat *pedes Metricos Carminum*, mysteriose efformatos. siquidem *quantitatis Compositæ* prosodicæ, inter Metricos pedes trisyllabos, *Amphibrachis* u—u. ut v. g. Amicus. exprimitur Vulnere Laterali, *medio & longiori*, inter orbiculata manuum Signa. Jonicus à Majori — — uu. vel Jonicus à Minori, uu— —. Manuum ac Pedum *quaternis orbicularibus cicatricibus*, clavisque longioris formæ, infixis: adamussim efformantur, Divinâ certò Poesi, novo modo expositâ.

* CONCEP. Num. 250.

Ezech. 3. 9.

Serm. de Cruce Dni.

CAPUT XXXII.

De 51. Scibili Mythologico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Descriptionem, Divisionem, Objectum, consideratáq; Mythologiæ, declarans.*

I. MYthologia Scientia, de *Excogitatis*, non simpliciter, sed ut Poeticæ subjungenda. à *Mythos* ex Græco, seu à Fabula dicitur. *Mythiton* enim, Fabulare significat. Fabulas autem, *à fando* nominaverunt Poetæ, quia non sunt res *factæ sed fictæ*. Quodsi obscenæ sint: à *nefando* crimine, dicendæ.

II. Describi potest. *Est doctrina de involucris figmentorum ingeniosis, seu fabulis scientificis, Varii Generis, sub Allegoriis & similitudinibus, Naturalia, vel Moralia dogmata, tradentibus.*

III. Omissis frivolis Fictionum generibus, species *scientifici Excogitati* sunt: Figmenta antiquorum Sapientum; Mysteria occultarum scientiarum; Parabolæ; Poetarum Heroicæ fictæ Historiæ; Proverbia; Responsaque à rerum irrationalium vel rationalium, casu vel Gestis ac dictis, usurpata. Unde Fabula Poetica largioris acceptionis, pro scientia tamen sumpta, in genere appellari potest: *Sapientia veterum.* cum & Philosophiæ initia ab ipsis fabulis cæpisse. & *sensa*, ab involucris exuviisque fabularum explicata. nam cum ab Ægyptiis, universa plane Philosophia, deportata esset in Græciam, per fabulas apud Græcos fuisse traditionem ejus.

IV. Porro *Parabola*, præcipuum Mythologiæ Objectum, ad Genus fictionum doctarum reducta: *Est sermo excogitatæ materiæ, sensum rei alium, quam verba sonant producens, ut quod per simplex præceptum intelligi aut teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplorum teneatur.*

V. Tres autem Parabolæ esse partes: *Proparabola* seu profabulatio. *Parabola*, seu ipsamet actio. & *Epiparabola*, seu affabulatio. ut patet in Parabola Pharysæi & publicani. Ubi præfabulatio præmittitur: *Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant, tanquam justi, & aspernabantur cæteros, parabolam istam.* enarraturque ipsa Parabola. denique post Affabulationem, mens & fructus declaratur: *Dico Vobis descendit hic justificatus in domum suam ab illo, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.*

IN-

INVENTIO. Conceptibus V: *Modos Parabolæ, Variasq; Parabolas, Inventa Poetica, & praxim. in stigmatibus, repræsentans.*

I. CUm intellectuales, onera *ratiocinationum & enuncia*- * CONCEPt
tionum, non omnes sufferre ac ponderare possent, Num: 251.
ortum sermo Parabolicus sumpsit, in quo: *Ficta volupta-
tis causa, sunt proxima veris.* Quatenus per assimilationes,
ex suppositis manifestioribus deductas, à sensibilibus ad
intelligibilia, assurgere mens humana posset. Unde Chri-
stus parabolarum tractatibus, Evangelisando Auditores
tractavit. *Locutus est JEsus in Parabolis ad turbas, & sine Pa-* Matt. 13.35
rabolis non loquebatur eis. In stigmatum efformatione, *Pa-
rabolâ novâ de Cruce*, sine sensûs involucro, Mundum Chri-
stus allocutus est. Etenim illud de Parabola, dictum Legis
Veteris: *Aperiam in Parabolis os meum, loquar propositiones ab* Psal. 77.
initio. atque in Lege nova: *Aperiam in parabolis os meum,* Matt. 13.35
eructabo absondita, à constitutione mundi. Francisci confi-
xione explicatur. dum aperto Vulnerum ore: *Verbum ab-
sconditum ab initio, à constitutione mundi,* scilicet *signa Vulne-* Apoc. 13.8
rum, (prævisa ab æterno) *Agni*, qui *occisus est ab origine Mun-
di*, promit & exprimit.

II. Evangelica illa Parabola: *Simile est regnum cælo-* * CONCEP: Num: 252.
rum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis Matt. 13.33.
tribus, donec fermentatum est totum. mysteriosè exprimi-
tur. Instar enim satorum triplicium, quæ sunt *vasa profun-
da.* triplici ordine *plagis profundis*, in pedibus latere mani-
bus, efformantur. Et Vocari Franciscus: *Frumentum ele-
ctorum* potest: cujus Caro quamvis jejuniis exhausta; Vul-
neribus dolorosis mortificata; post mortem tamen, albe-
scens & delicata apparuit, narrante Divo Bonaventura. Vit. c. 15.
Quantum ad *fermentum acetosum inficiens.* Hoc non fuit

1. Cor. 5. 7. infermentatus, observavit enim: *Expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi, etenim pascha nostrum immolatus est Christus. itaq; epulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ & nequitiæ.* sed fermentum acetosum possedit, acrimoniæ Passionis Domini, in qua
Matt. 27. 48. JEsus: *aceto & felle potatus est.*

* CONCEP: Num. 253. III. Altera Parabola, de tumido superbiâ Pharysæo, cum timido Publicano, pectus percutiente ceu Pellicano. in signis Concrucifixionis videtur & auditur. Et pro tun-
Luc. 18. 10. sione pectoris peccatoris pœnitentis; ac pro quinque ejus Verbis: *DEus propitius esto mihi peccatori:* est percussura plagæ lateris; est quinarius in Vulneribus verberum, licet non verborum numerus. Ipso DEO Patre, passionem Fi-
Is. 53. 11. lii sui, percussionem vocante. *Propter scelus populi mei, percussi eum.* Quodsi vis Publicani humilitatem? ait Se-
Vit. S. Fran. c. 6. raphicus Doctor: *In propria reputatione nihil erat nisi peccator, cum in veritate speculum esset, & splendor omnimodæ sanctitatis.* Exaltatione quoque, juxta Verbum Domini in
Jacob. 1. 9. Parabola, Vir DEI non est privatus, juxta: *Glorietur autem Frater humilis, in exaltatione sua.* Collataque ei impressio Passionis Domini, quam ipse Redemptor, *Exaltatio-*
Joan. 3. 14. *nem* appellavit. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* ut vere verificatum fit in illo dictæ Parabolæ assertum: *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.*

* CONCEP: Num. 254. IV. Non inelegans est inventum, cujusdam Poetæ recentioris, finxit ille: in extremitate fili Parcarum, numisma quoddam, seu monile pendere, in quo defuncti Viri alicujus nomen impressum sit. Tempus autem, cultrum Deæ Atropos præstolari, ut statim abscisso vitæ filo, numismata in fluvium Lethes oblivionis, projiciat. Circa fluvium autem, magnam vim avium volitare. quæ numi-

smata

ſmata arripiunt, ac poſtquam in roſtris, paulisper circumtulerint, per incuriam injuriamque, in fluvium decidere permittunt. Inter eas verò Cygnus reperitur, qui natans in fluvio, ſi numiſma aliquod cum nomine prehenderit, illicò ad templum quoddam deferre ſolet, immortalitati & memoriæ conſecrandum. Quâ Fabulæ adinventione. perſtringitur incuria Hiſtoricorum, atque etiam labor commendatur, quo perire non faciunt famam virorum Illuſtrium, conſecrantes facta eorum Poſteritatis memoriæ. Cygnus natans in fluvio pœnitentiæ, Franciſci figura eſt. flentis adeo compunctione compasſioneque Chriſto, ut lumen oculorum amitteret. Detulit hic in templum Domini, *Numiſma defuncti Redemptoris* ſui, memoriamque Crucifixi Domini,obliteratam renovavit: dum ſigna vulnerum ejus, in carne ſua, præſentavit. Ut proferendum ei ſit cum Principe Apoſtolorum: *Non enim doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri JEſu Chri-* 1.Pet.1.16. *ſti virtutem & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.*

V. Nec ſignificatio aut expresſio Sacrarum Parabo- * CONCEP. larum, ſine uſu in vita, B. Patris. etenim cum poſtularet ap- Num. 255. probationem Regulæ ſuæ, à ſummo Vicario Chriſti, Inno- Wad. T. 1. centio III. parabolam allegavit de Rege, Sponſæ paupe- fol. 63. ris ſed pulchræ, multos inopes alente filios. Quâ, dubium ſolvebat, de ardua nimis paupertate Minoritana, ut cenſebatur, ac difficultatem de ſuſtentatione Pauperum Fratrum ſuorum. tamque fructuoſe peroravit asſimilationem, ut quæ rogaret Pontifex benignè errogaret. Juxta: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, in verſutias* Eccl. 39. *parabolarum ſimul introibit, occulta proverbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum converſabitur.*

CAPUT XXXIII.

De 52. Scibili Ethologico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Descriptionem, Divisionem, Considerata Objectumq; Ethologicæ, declarans.*

I. E*Thologia & Æthopaja*, idem fermè. *Estq; Affectuum Morumq; Personæ, sive rei alicujus naturalis aut Moralis, expressio.* Etsi fiat figuris depictis vel exsculptis, vocanda hæc Disciplina: *Typus Ethologicus*, & complectitur etiam *Hieroglyphica* & Symbola *Heroica*, Emblematibus adornata.

II. Describi poest: *Est Doctrina Poetica, effictione signorum aut Figurarum, ex omnigena rerum materia assumptarum, addita inscriptione brevi, expressionis affectuum morumq; personæ alicujus aut rei, fine instruendi ad honestum, & dehortandi à malo.*

III. Typum Ethologicum, seu *Mysticam quandam Allegoriam gnomen complectentem*, ornatam figuræ involucro, & Epigraphe conditam: dividunt: in *Emblemata & Symbola.* & primo, *Ecclesiastica*, quæ vel Sanctorum laudem innuunt; vel ad Pietatem Christianam inducunt. Secundò *Scholastica*, quibus Universitates Professoresque, ad studia incitentur, & propter studia magnificantur. Tertiò, *Epithalamica*, quibus Amatoria addenda, si castæ sint Cynthiæ.

IV. *Hieroglyphica, Emblemata, Symbola, Heroica, Tesseræq; Gentilitiæ*, quamvis in Materia coincidant. quod hæ species omnes, non absque figuris. omnesque *Epigraphe* constare possunt. vel quod possunt esse absque inscriptionibus. Ut *Hieroglyphica* & *Tesseræ Gentilitiæ*, sunt absque inscriptione, & Emblemata, aliquando possint stare sola.

Nihilo-

Nihilominus ratione *ſenſus & Finis*, diſcrepant. *Hieroglyphica* enim, Religionis & ſcientiarum, myſteria denotant. *Emblemata*, indifferentium thematum, ſeriarum, jocoſarumque materiarum, argumenta exponunt. *Symbola Heroicæ*, nonniſi Politica negotia inſtruunt. *Teſſeræ Gentilitiæ*. nonniſi ſigna Familiarum, monumentaque gloriæ & gratiæ monſtrant.

V. Objectum itaque Ethologiæ, eſt *figura in Genere Hieroglyphica*. ſub qua & per quam exprimitur intentum. Denominari autem poteſt: à *figendo & ara*. fixis enim conſideratur oculis, atque ſicut in ara, aliquid myſterioſi eſt. ita in Hieroglyphica figura, latens aliquod myſterium, inveſtigandum.

INVENTIO. Conceptibus V: *Hieroglyphica Sacra, varia Emblematis requiſita, Symbola Poetica & Phyſica, in Concrucifixione Chriſto, repræſentans.*

I. OMnipotenti Factori Cœli & Terræ, Hieroglyphicorum quoque ad occulta Sapientiæ ſuæ arcana prædicenda, quibus Genus Mortale inſtruat, admoneat, præcaveat, & conſoletur, non inaſſveta uſurpatio. Ita Hieroglyphico Symbolo, prædicta eſt, Mitis & Pii Eliakim, ad Pontificatum Antiquæ Legis aſſumptio, duratioque ſtabilis & glorioſa. Quibus JEſu Chriſti, Summi Pontificis Legis Novæ, *dignitas & præeminentia*, deſignabatur. *Et erit in die illa, vocabo ſervum meum Eliakim filium Helciæ, & induam eum tunica tua & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manum ejus, & erit quaſi Pater habitantium Jeruſalem, & domui Juda. & dabo clavem domus David, ſuper humerum ejus & aperiet & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.* Quod

[Margin: * CONCEP: Num. 256. — Iſ. 22. 20.]

Quod Hieroglyphicum, *Salvo Literáli & Allegorico sensu*, ſtante genuinâ alia, Expoſitione Doctorum: DEus videtur in myſterio ſtigmatum in plurimis circumſtantiis expreſiſſe & declaraſſe. Nam pro *Vocatione Eliakim servi DEI:* eſt mirifica vocatio Franciſci, ab inſtabilitate ſæculi, ad perfectionis Apoſtolicæ ſtatum. Et juxta ſacrum
Eph. 4. 1. monitum: *Obſecro itaq; vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis, cum omni Humilitate,* Minor eſt factus, *& manſvetudine cum patientia.* Christi patienter vulnera tulit. Porro *Tunica illa Eliakim* & cingulus confortationis: *Tunicâ Habitus Religioſi*, & Chordæ cingulo, nodoſis quaſi ad confortandum revincto nexibus, exprimi poteſt. Et cum Dominus de *futura Crucifixione*
Joan. 21. 18 Petri, dixerit: *Cum autem ſenueris extendes manus tuas, & alius te cinget.* Concrucifixio Franciſci, recte Cinguli, Symbolum eſt. Demum, pro *Clave domus David* poſita ſuper humerum, (Crucem JEſu, aggravantem humeros.
Iſ. 9. 6. *Et factus eſt principatus ſuper humerum ejus*, de facto figurante.) eſſe Myſterium Crucis ejusdem, Concrucifixione ſupportatum. Porro *Apertionem & non clauſuram*, ſi vis intelligere inpræſenti? Videantur in *apertione* Vulnerum non concreſcentium, nec ſe *claudentium*. Clauſura vero, *& non Apertio:* in clavis transfigentibus, ab una parte capitello; ab altera, acumine reflexo, vulnera claudentibus, ut reſultantes retro, nullatenus eximi poterant.

*
CONCEP. II. Altera Aſſimilatio Hieroglyphica: *Egeni & pau-*
Num. 257. *peres, quærunt aquas, & non ſunt. lingua eorum ſiti aruit. Ego*
Iſ. 41. 17. *Dominus exaudiam eos DEus Iſrael, non derelinquam eos, aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes.*
In Loc. cit. Iſ. Quam, de Viris Apoſtolicis, intelligit *antitype & ſpiritualiter*, S. Hieronymus. juxta quod Chriſtus promiſerat eis:
Joan. 7. 38. *Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent*

fluent aquæ vivæ. Etiam Francisci Vulneribus, effigurata cernitur. Pauper enim, *Institutorq; Pauperum.* de quibus Ps. 73. 21.
sacer vates: *Pauper & inops laudabunt nomen tuum.* quærebat aquas de misericordissimo latere Crucifixi, *continuo* Joan. 19.30
exivit sanguis & aqua. Et quidem *arescente linguâ siti*, gratiæ DEI. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Siti inex- Matt. 5. 6.
plebilis amoris, (cujus sitis non dicit satis,) Crucifixi Salvatoris sui. Ut posset usurpare: *Aruit tanquam testa vir-* Ps. 21. 16.
tus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis. Quantum autem ad *apertionem Fluminum*, vel ut in Hebraico textu, *Disruptionem:* hæc è dissectis disruptisque Vulnere membris, effluente copioso sanguine erumpunt. Et apertio facta in *supinis collibus:* Pedum membris; *in medioq; campi*, Lateris, inter vulnera medii.

III. Prudentiæ esse, apposito Emblemate exprimere * CONCEP: Num: 258.
naturam rei. Ut addita Epigraphe, cognitionis imprimat speciem. Hinc *Emblema* significat *insertionem*, quod insertum sibi sensum habeat. vel Italice *Impressa* dicitur. quod imprimat cognitionem. Vel si in vase pretioso exaratum, *clavorum impactione insertio*, vocatur. Concru- Tullius in Orat. Callidii.
cifixio: requisitis Emblematum prædita. cum & *impactione clavorum* peracta; & ab *Impressione* per Christum, *Impressa* dici potest. Idque ad efformandum Emblema Amoris, cum Epigraphe addita: *Fortis ut mors dilectio.* quæ Cant. 7. 6.
olim, in mensa purpurâ vestita, disrupto cordi, adscripta erat, in Palatio Johannæ Viduæ, Ducissæ Cliviæ. Cor Florilegium Herm. c. 15.
enim etiam Vulneratum, pie asserit. R. P. Salvator vitalis, inquiens: *Beato Francisco & manus & pedes & latus, & cor suis stigmatibus insignivit.* Seraph Histor. L. 4. c. 15.

IV. En quoque aliorum Symbolorum mysteria? & * CONCEP: Num. 259.
primo: Turris, in littore maris situatæ, ignem in trula exponentis, cum Virgilii Semistichio: *Ferte citi ferrum.* auxilii

xilii militaris indigentiam postulationemque, significantis, Franciscus instar turris excelsæ fuit, contemplatione, conversatione que cælesti, supra terram ad alta se erigens. ignem seraphici amoris, Crucifixi IEsu, *ut altera Pharos* exponens, flammisq; his signum dans: *Citò ferendi ferrum*, in auxilium abolitæ memoriæ Passionis Domini. Prout ipsemet, cito ferrea arma adtulit: *Clavos infixos corpori suo*. ferreis persimiles ad vindicationem ab oblivione; & à non dilectione Passionis Dominicæ. Mundo, carne, & Diabolo, corda Christianorum obsidentibus.

* CONCEP: Num: 260. V. Perelegans item *Patientiæ Emblema*: Balsamum ex arbuscula incisa manans. *Venâ Bicolori*, lacteo primum candore conspicua, ruborem deinde induente. mirâ pretiosi fœtus Naturæ qualitate. Cum Epigraphe: *Pretiosus Patientiæ rubor*. Dicente illo Illuminato Evangelico: *Video homines velut arbores ambulantes*. Quidni Virum DEI arbori comparare? & quidem arbori Odoriferæ, factum: *Christi odor bonus*. Incisa hujus & dissecta Caro, mananti rubicunda sangvinis purpurâ, effluere facit *memoriam Passionis Dominicæ*. de qua ait S. Bernardus: *Sanus mihi videbar, nec sciebam, & ecce mittitur filius Virginis, Flius DEI altissimi, & jubetur occidi, ut Vulneribus meis pretioso sanguinis sui balsamo medeatur.*

Strabo L. 16. Geogr.

Serm. 3 Vigil. Nat. Dn.

CAPUT XXXIV.

De 53. Scibili Grammatico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Explicationem, Divisionem, Objectum considerataque Grammaticæs, declarans.*

I. L*iteralis Ars* dicitur. non quod Litera, Syllaba, Dictio & Oratio, sit ejus Materia, ut omnes Antiqui dixerunt. sed quod *Literatos* efficiat.

II. Inter *Disciplinas*, post Literas communes inventa est Grammatica. Ut qui jam literas didicerunt, per eam *rectè loquendi*, rationem sciant. extat de servitio ejus Linguæ humanæ, versus:

Grammatica os tenerum pueri, balbumq; figurat.

III. Divisio communis, posset sic appellari & ordinari: in Grammaticam *Theoreticam* seu speculativam. & *Historicam*, seu Expositivam. *Prior* complectitur: Prosodiam, Etymologiam, & Syntaxin. *Altera*, Lectionem Enarrationem, Emendationem & Judicium Sermonis *rectè constructi*. ut prima *Construendi*.

IV. Ultimatum Objectum ejus ex hoc colligatur. quod adhibetur simpliciter ad linguas. nempe ut eas quis, aut celerius perdiscat, aut emendatius & purius loquatur.

V. Cum postrema ipsa videatur, dignitas tamen ejus postrema non est. licet viatoris locum erga cæteras scientias obtinet. Cum scientiæ nostris sæculis, ex linguis eruditis, non vernaculis potissimum hauriantur. Utque contra maledictionem primam Generalem, *de sterilitate Terræ & esu panis in sudore*, industria humana, ut se restituat, & reintegret, reliquis omnibus Artibus utitur. ita contra secundum illud: de *Confusione Linguarum*, damnum. Grammaticam in auxilium advocat. ut accomodate Rationales interse conferentes, seipsos intelligant.

INVENTIO. Conceptibus V: *Doctrinam cælestis Grammaticæ, Declinationes Casuum, Verbi passiones, Interjectiones affectuum, Scholæq; Actus Heroicos: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: Num. 261. Quintil. L. 1. c. 4. I. ARistotelis trutinantis summa Cacumina rerum, Discipulus *Theodectes*, cum Grammaticæ considerata, exercito ingenio, mira facilitate, multis explicasset, nomen præfatum, quasi *divinitus docti* sortitus est. inprimisque, Author *manuductricis & januæ scientiarum*, laude cum eximia sua, meruit vocari. Christus Filius Altissimi, *sapientiam præstans parvulis*, Francisco suo parvulo, *arcana Sapientiæ Crucis* communicans, in carne ejus mysterio Crucis, parvulorum Artis primevæ, rudimenta scientifica adnotavit. quatenus Redemptionis Humanæ Doctrinam, ab *Elementis & Rudimentis* inchoatam, quisque Christianorum, facile colligere, legere & intelligere posset. Ut enim *Nomen Grammaticale*, his variatur & explanatur articulis: *Hic, Hæc, Hoc*. ita verum est dicere: *Hic stigmatisatus Franciscus*. Hæc stigmata Francisci. *Hoc corpus stigmatisatum*. Similiter de Membris immediate vulneratis, bene profertur. *Hic pes vulneratus, hæc manus vulnerata, hoc latus vulneratum*. Et sane illud est arcanum: cur verbis, positi super caput JEsu Crucifixi Tituli, insertus sit articulus: *Hic, est JEsus, Rex Judæorum*. ut Homo, ipsa per rudimenta articulosque primæ Doctrinæ, faciliter deduceretur, in agnitionem Redemptoris sui. Profecto Franciscus, summi Magistri, factus Discipulus. *Theodectes*, id est Divinus doctus. aut DEI dictus, appellandus.

Ps. 18. 8.

Matt 37. 37

* CONCEP: Num. 262. II. Crucis declinatio Doctrinalis, per omnes casus, à Malis fugitur. à Bonis amplectitur. Cum non deberet Christianus, declinare à Cruce, in qua JEsus *inclinato capite*, DEum Patrem, ad ignoscendum homini inclinavit. Franciscus, *reclinante Christo Crucem in corpore ejus*. Ut perfectissime perciperet, *per omnem Casum*, ad intelligentiam Spiritûs, *declinavit*. Atque *Nominativo Crucis*, imprimis: non bullatis titulis, optabat insigniri. *Christo confixus sum Cruci*. *Crux*

Gal. 2, 19.

Crux ei digno pondere, majores dat delicias
Quo major dolor angit, dum Crucifixum plangit.

Proutque Apostolus protulit: *per Evangelium ego vos Genui.* 1. Cor. 4. 15
ita Vir Dei, *in casu Genitivo Crucis*, quo ostendimus cujus simus filii, Genitor spiritualis factus filiorum, mirificè Crucem diligentium. E Sacerdotibus, vel commemoretur, S. Petrus Alcantara. cujus tantus *in Crucem Christi erat A-mor, ut ad conspectum ejus in aera raperetur, suspenderetur, atq; radios splendidissimos in Crucem ex oculis emittens, in illius amplexu nube candida circumdaretur, multis cernentibus.* Off. ejus Lect. 7. diei. Item è Fratribus, sit vel S. Didacus: *qui dum tempus suæ resolutionis instaret, Crucem amplexus & osculatus, dulce lignum dulcesque clavos nominans, exspiravit.* Off. Ant 2. vesp.

Dativus Grammaticæ casus: per quem ponitur, cui aliquid datur, declinat *huic Cruci.* Ablativus verò, per quem aliquid aufertur. declinat, ab *hac Cruce.* Dux Minorum. *Cruci Christi* omnia sua dedit, juxta Verbum Evangelii: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & Matrem & uxorem & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest esse meus discipulus, & qui non bajulat Crucem suam & venit post me.* Luc. 14. 26. Ablativo quoque *Casu Crucis*, virtuteque, abstulit technas inferni; carnis impetus; mundi insidias. *Ablatum se* & similem declinanti, asserens in orationibus suis, cum pio David: *Libera me quia egenus,* Ps. 108. 26. *& pauper sum ego, & cor meum conturbatum est intra me. sicut Umbra cum declinat, ablatus sum.*

Demum Accusativus Casus, declinans *hanc Crucem.* Accusantibus amatoribus Mundi, adversitates Crucis Christi. & illo antiquo Comicorum Proverbio: *Abi in malam Crucem*, improperantibus, à Francisco, accusatus non est, dicentis cum Apostolo: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JEsu Christi.* Gal. 6. 14. Quod si Vocativum Casum:

 O Crux,

O Crux, audire velis? multoties hoc signum invocavit. Ut olim D. Andreas: *qui cum pervenisset ad locum, ubi Crux*
Off. prop. 2. Vesp. *parata erat, exclamavit & dixit: O bona Crux, diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens Venio ad te.*

* CONCEP: Num: 263. III. Sed & Verbum Grammaticum Crucis resonat. *Verbum* enim *Carofactum*, postquam gravia genera tormentorum Passionis sustinuit: *passivi generis* extitit. *Christus*
1. Pet. 2. 21. *passus est pro nobis.* Domino ipsomet enarrante: *Nonne hæc*
Luc. 24. 26. *oportuit pati Christum.* In signis Seraphicis, Verbum passivum est: scilicet *Verbera Christi*, ac vertebræ foraminatæ Vulnerum. *Verbum* inquam *Crucis*. de quo Apostolus:
1. Cor. 1. 18 *Verbum enim Crucis, pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui Salvi fiunt, id est nobis, DEI Virtus.*

* CONCEP: Num. 264. IV. Prout autem tam Nomini quam verbo. Varia interjectionum adveniunt accidentia. præcipue dolentis affectus: eheu! heu! veh! ah! Pari modo, dum intenso dolore, Passo Christo, condoluit Vir DEI: non sine dolorosis suspiriis, gemitibusque naturaliter sequentibus vulnera, fuit.

Et optans cum coronato Propheta mortem: *Heu mi-*
Ps. 119. 5. *hi quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* ac cum Apostolo,
Phil. 1. 23. optatum desiderans finem vitæ: *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Mortem desideratam invenit: repræ-
Aug. de Millio, in suo Decal. Chron. Al-ver. fol. 103. sentationis *Mortis Domini*. in cujus impressione, Multorum *probatorum* ut refert narratio, cum Vulnera à Christo efformarentur. sæpius exclamavit B. Pater: *O Domine JEsu, O pie JEsu! quis poterit sustinere dolores tales:* ac quasi semimortuus cadebat & jacebat in terra. Prout Fr. Leo stans super rupem, quæ imminebat labro montis, audivit; & totum rei eventum, suis oculis vidit.

V. He-

V. Heroicos quoque Actus studiosorum Grammaticæ, Signa Seraphica declarant. Compluti in Hispania, frequentabant Scholam, *Justus & Pastor*, Fratres Minorennes. qui domi, à Parentibus, verâ Religione instructi, cum in Schola, idola Gentium commendarentur, Magistris se opposuere. quare delatos; (ne puerorum exemplo alii ad Martyrium incitarentur,) Præses Dacianus censuit, verberibus cæsos, dimittendos. Verùm cum fortiter, JEsu Christi fidem prædicarent, à Carnificibus extra urbem ducti, capite truncati sub Adriano Imperatore. à *tyrocinio*, ad tyrannum, à Schola, ad scalam cœli, pueri. ut essent majores in Regno cœlorum, pervenerunt. Seraphicus Pater, *Parvulus* Minoritate; *Justus* Perfectione; *Pastor* Ordinis institutione: ita in Schola Virtutum, Crucis Libro, voluit immorari, quod desideraverit, semper pro Christo mori. Signa Mortis JEsu Christi, propria elementa & initia Sapientiæ Christianæ existimans, eaque in corpore suo descripta, monstrans & deportans.

* CONCEP: Num: 265. Beierlinus de Mart. f. 279.

CAPUT XXXV.
De 54. Scibili Lexico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Descriptionem, Partitionem variam & Considerata Lexicæ, declarans.*

I. LExicon ex Hebræo, significat *Ordinatum*, ex Græco, *Vocabularium*, seu Dictionarium. Doctrina de Lexicis, si sumatur pro ratione *Lexicis utendi*, appellatur *Lexicologia.* si pro ratione Lexica scribendi, appellari solet *Lexicographia.*

II. Lexica describi potest: *Est Doctrina explicationis & interpretationis vocabulorum, in omni genere Sermonis, quoad*

quoad significata nominalia & verbalia, tam propria quam impropria.

III. Est autem Interpretatio & Explicatio Dictionum duplex: *Idiomatica.* quæ exponit significata Vocabulorum, linguæ *Vernaculæ vel Peregrinæ*, Hebraicæ, Græcæ, Germanicæ, & similium. & *Historica.* quæ exponit significata vocabulorum, in rerum descriptione Naturali, Civili, Morali, usurpatorum.

IV. Lexica *Idomatica*, subdividitur in *Ethymologicam*, quæ ex Typi dictione, aut ex initio Vocabuli, explicat origines vocum simplicium vel compositarum. & *Amphibologicam.* quæ vocabulorum distractam significationem, ambiguique sensus, exponit. id est Nominum plura significantium multis & diversis rebus, secundum eandem appellationem competentiam. Huc referri debent *Æquivocationes*; dum Nomen pluribus rebus commune est, quorum Essentia & Definitio diversa. *Homonymiæ*, cum voces sunt ambiguæ, atque obscuritates vocabulorum.

V. Lexica *Historica*, subdividitur in *Prosopographiam*, ad quam pertinent Alphabeta Provinciarum, Principatuum, urbium, Locorumque Notabilium. item Personarum: Imperatorum Regum Philosophorum Poëtarum Heroum & Antistitum. & *Nomen claturam*, id est Librum, nomina rerum in Historiis recensitarum, specialiter & succinctè explicantem. Non autem prout sumitur, à *calando Nomine*, seu vocando. dum Nomenclator, nominatim singulos appellat.

INVENTIO. Conceptibus V: *Mysterium Ethymologiæ, Eventum Nominis, Lexicam interpretatio-*

tationem, Anagrammata, Explicationem Nominis, ejusq; dignitatem, in Concrucifixione Christo, repræsentans.

I. AD magnarum rerum arcana significanda, illustribus Viris, tam in Lege Veteri, quàm Nova, ante ipsorum nativitatem, pænuntiatum est de cœlo Nomen. maxime tamen ad arcana *Passionis Domini nostri*, præferenda. Agar ancillæ Abrahæ dictum: *paries filium, vocabisq; nomen ejus Ismael.* Item Saræ, de Isaac. Zachariæ quoque prædictum: *Vocabis nomen ejus Joannem.* Et Nomen ipsius Salvatoris Nostri, *Vocatum est ab Angelo, prius quam in utero conciperetur.* Ismael autem projectus sub arbore; siti moriens; sedente à longe afflicta matre: *Umbra fuit*, in arbore Crucis, siti laborantis, morientisque, stante non à longe dolorosa Matre, Salvatoris Mundi. Sicut & Isaac paterni Holocausti Victima, *Umbra clarior Mortis Domini*, extitit. *Joannes*, nonne annunciavit Passionem JEsu, dicens? *Ecce agnus DEI, de quo* Propheta: *Quasi Agnus mansuetus qui portatur ad Victimam.* Sacratissimum itidem Nomen JEsu, nonne propter sufferentiam Crucis donatum? *Propter quod & DEus exaltavit illum, & donavit illi nomen; quod est supra omne Nomen.*

CONCEP. Num. 266. — Gen. 16. 11 — 17. 19. — Luc. 1. 13. — Luc. 2. 21. — Gen. 21. 15. — Gen. 22. 6. — Joan. 1. 36. — Jerm. 11. 19. — Phil. 2. 9.

Nomen Francisci. cùm non figurate, ut Ismael & Isaac, sed reipsà prætulerit insignia passionis Domini; cùm non verbis cum Joanne, sed vivo exemplari anunciaverit mortem Agni, pro Salute Mundi occisi: asserendum est, mysteriose collatum esse, ad magna Vulnerum Christi arcana explicanda demonstrandaque. Prout enim *Nomen ad significandam rem imponitur.* Ita instinctu cælesti impositum est, ad significandum singulis literis suis, Actum Sacrorum stigmatum. Ut patet in hoc Schemmate, Nominis FRANCISCUS.

Franciscum, Romanum, Assisinatem, Noster, Christus, JEsus, Salvator, Crucis, Vulneribus, Stigmatisavit. In qua enarratione Literarum Nominis ejus, descriptum est *Nomen* Sancti; *Locus* ditionis Romanæ, ubi natus. *Patria*, Assisium. descripti usitati Tituli Impressoris signorum: *JEsus, Christus, Salvator Noster.* descripta, qualitas signorum; quod sint *Crucis Vulnera.* Atque Actus, id est *Stigmatisatio.* Ut communiter Ecclesia nominat.

* CONCEP: Num: 267. II. Hebræi, ab Eventu, nomina imposuerunt suis. quæ significarent præsentem vel futurum. & Nomina illorum, erant quasi *Omina.* aut Vota rei futuræ. *Noë* à radice *Noach.* id est *quies vel quiescens.* à radice vero *Nacham*, id est *Consolator.* Quinque enim modis, juxta S. Patres, quiescere fecit & consolatus est homines: *prædicando pœnitentiam; agriculturam exercendo; plantando vineam, sacrificium offerendo; Genus Humanum diluvio absumptum reparando.* Nomen Francisci, eventûs sacræ Concrucifixionis, fuisse omen. ex Nomine enim *Franciscus.* (A, literam, in V. & S. in X. *Usitato Scholis modo*, mutando. Literam N, quoque inter vocales, *licitè* ellidendo. atque literam i, per ij ypsilon, *ut frequentius* fit, scribendo.) resultat dictio: *Crucifixus.* Atsi placet nomen, constans integritate Literarum. En ex his: *Franciscus stigmatisatus*, 23. literarum Anagramma: *Tum Signatus Sacris factis.* atque ex his: *Francisci Stigmatisatio.* aliud anagramma, 22. literarum: *Is fit Sancta Imago Cristi.*

Comm. in Gen. Corn. à Lap.

* CONCEP: Num. 268. III. Franciscus quoque, à *Franca*, concinnè dicitur lingua. quòd eam parvulus cito addisceret, sic à Patre vocatus. Teutoniceque, *Liberum* significat. Francorum enim nobilissima gens, à libertate nomen sumpsit. Romanorum exactione pressa, cum eam respuit. atque Galliam, Provinciam tunc Romanam attentavit, relicto ubique mansio-

In descrip. Atlan. Mund.

mansionis suæ vestigio, appellationisque monumento, etiam per interiorem Germaniam. hinc in Frisia, *Frankera*. in Germania, *Francofurt*. in Bavaria, *Francomark*. in Palatinatu, *Frankendal*. in Brabantia, *Francimont*, Civitatum extant Nomina. Prout autem *Libertas*, non acquiritur, nec conservatur, *sine sanguine & Vulneribus*. Unde & ejus Signum, *Purpura*, tinctura sanguinis coloratur. Ita, quæ refertur Sacris Francisci Vulneribus *Libertas*, *Per lignum servi facti sumus. & per Sanctam Crucem liberati sumus*. non absque profluvio & purpura sanguinis; non absque plagis heroicis.

IV. Constat, Romanos non indifferens, non vacuum, personis attribuisse Nomen. & Cæsarem, non tàm à Cæsarie capillorum, cum qua natus; sed quòd *cæso utero* matris, sit natus, dixerunt. Torquatus à *Torque*, quem Gallo in pugna detraxit. Publius Cornelius, *Scipio* dictus. quòd Patrem *vice scipionis*, regeret & duceret. Franciscus quoque dictus: quasi *Frangens* & *Cæsus*. à frango & cœdo. seu à *Fracto fructu & Cæsura*. quod *fracta sit & cæsa* caro ejus, mysterio Vulnerum Crucis. Utque *fructus maturus*, pendens in arbore, ardore solis *frangitur*, disrumpitur. ita arbori Crucis confixus; ardore Charitatis adustus; disrumpentibus carnem stigmatibus, fractus est. Similis, sacræ illius pœnitentis quæ irrigavit unguentis Caput JEsu, *fracto alabastro*. Marc. 14. 3.

* CONCEP: Num: 269.

Quantum ad *Cæsuram*. quâ versus cæditur & dividitur, dictam à Diomede: *Sectio* vel *Concisio*. in Corpore Secto vulnere, non obscura. Quemadmodumque Apostolus, pro amore Christi à Judæis, *quinquies* quadragenarias unâ minus perferens, gloriabatur dicens: *Virgis cæsus sum*. ita Viro Seraphico, de cæsura *quinq; plagarum* ob amorem & 2. Cor. 11. 24

* in honorem Salvatoris sui perpessarum, gloriandum est.
CONCEP: V. Doctor Gentium ea præventus est gratiâ. ut per-
Num: 270. hiberet de eo Redemptor Mundi: *Vas Electionis est mihi*
Act. 9. 16. *iste, ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus & Filiis Israel. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Quinque autem sunt Literæ nominis JEsus. & licet *Cabalistice* Scyn apponitur, ut sit *Jhesus*, id est. Deus continens humanitatem, quam assumpsit in suppositi unitate: id tamen fit, quòd Humanitas quinque transfixa Vul-
Matt. 28. 38 neribus: tunc demum hoc nomine Cruci apposito, sacratissima Quincunxe Literarum, inclaruerit, & decorata. Hinc jam inferre liceat: prætulit signa Vulnerum JEsu Franciscus: fuit quoque & *vas electionis* ut portaret Nomen ejus. Utque profundum vas solet esse; atque si *calatur* in eo Nomen aliquod, non sine scissuris est: ita caro ejus Vulneribus profundata, clavisque infixis sculpta. Valet hâc *denominatione uti. Christo Confixus sum Cruci. Vivo*
Gal. 2. 20. *autem jam non ego, vivit vero in me Christus.*

CAPUT XXXVI.

De 55. Scibili Alphabetico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Ethymologiam, Descriptionem, Divisionem, Objectum, Primordiaq; Alphabeticæ Artis, declarans.*

I. ALphabetum ut *nomen est.* significat congeriem variarum literarum. & patet ex divisione Syllabarum Nominis: *Alpha* enim apud Græcos, primam literam significat. *Etha & Theta*, succedentes reliquas. Hebræis *Aleph*, Græcis *Alpha*, Latinis A, usurpantibus pro exordio Literarum. quod in nomine Alphabeti reperitur.

II. Disciplina considerans Alphabetum, describi potest: est

est ars rudimentalis liberalis, Grammaticæ subordinata, docens formare literas, & eas intelligere, ex eisque Syllabas ac voces componere.

III. Literæ *Hebraicæ, Græcæ & Latinæ*, solæ videntur esse trinum perfectum. atque cardines particulariter derivatorum signorum. Hebreæ linguæ, elementa Literarum, secundùm Veteris Testamenti Libros, sunt 22. *Græca*, 24. *Latina*, inter utramque Linguam progredientis, viginti tria sunt elementa. Ratione autem Characteris, dividuntur in *Majoris Notæ*. quibus vel insigniores res notantur. vel certa verba inchoantur. & *Minoris*, quæ medium Syllabarum ingrediuntur, ac versuum.

IV. Litera *Hebræis*, dicitur *Signum*. quod sit nota Vocis, prolatæ vel scriptæ. *Græcis*, Apex. *Latinis* vero, & juxta Ethymologiam, dicitur *à Lituris*. quod antiqui prius scribebant, in ceratis tabulis, & postea delebant. vel *Literæ*. quod legendo iterentur.

V. De primo Literarum Inventore, variè disceptatur. Verius Adamo, cui à DEO infusæ erant scientiæ, inventum earum adscribendum. succesſive autem, *quis, qualesq;* primus efformaverit literas, pangunt criniti hi versus:

Moses Hebræas primus, exaravit literas. Bibl. septim. L. 17. de Discip.
Mente Phænices Sagaci, condiderunt Atticas.
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata.
Abram Syras. & idem reperit Chaldaicas.
Isis arte non minore, protulit Ægyptias.
Gulphila prompsit, Getarum quas videmus ultimas.

INVENTIO. Conceptibus V: *Characteres Amoris, notas Hebraicas, Latinas & Græcas. Literasque Martyrii. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. De-

* CONCEP: Num. 271. 1. Cor. 13. 1. I. DEclarans Apostolus *Charitatis necessitatem*, Linguis & Signis linguarum præcellere eandem asseruit. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.*

Franciscus Christo Concrucifixus, *Charitatis Seraphicæ*, evidens Emblema est. Characterum instar, efformatis Vulneribus ejus, ad describendam Charitatem Redemptoris Mundi, qua dilexit nos *usq; in finem*, finem nempe Crucifixionis.

Sacer Franciscus claruit. cui Seraph apparuit.
Signans eum Charactere. in volis plantis latere.
Dum formam Crucis gerere, vult corde, ore opere.

Utque humilis Hester, ab Assuero Rege, pro Judæis neci destinatis, impetravit *Scripturam Salutis* vario idiomate:
Hest. 8. 9. *Provinciæ atq; Provinciæ, populo & populo, juxta linguas & literas suas.* ita humilis Patriarcha Minorum à Rege Regum promeruit, *Epistolam Salutis* Characteribus Crucis, in corpore suo descriptam, Orbique monstratam.

* CONCEP: Num. 272. Bellarm. in Hebr. Gramm. II. Hebraicos Characteres, inchoat א Aleph. quasi *Aluph.* Princeps Hebræis dictum. tum quod prima literarum, tum quod prima vox sit nascentium. Francisc9, præterquam sit *Princeps Fratrum suorum.* qui ob humilitatem Nominis Minoritani, Literis *quæ minimæ sunt individuæq; partes Orationis*, comparari possunt. ipsam etiam exprimit *Literæ figuram*, notis Vulnerum suorum. Lineola enim media \. medio longiori lateris stigmate, exprimitur, Jod Sinistrum ʖ inversum: Clavo Sinistræ Volæ vel plantæ; Dextrum erectum ך: clavo dextræ manus ac pedis, demonstratur. *Aleph* autem aliter, ex quatuor Jodim ״״ scriptum: quaternis Vulnerum *clavis* efformatur.

Quan-

Quantum ad *Zain*, quasi *Zen* ז. id eſt Arma, propter figuram Clavæ. quis non cernit effective in Concrucifixione. Cum enim Clavi, qui malleo infiguntur commu-ter adſint: etiam mallei, quem litera efformat, reſpectum adeſſe. Lamed ל denique. à *Malmad* id eſt ſtimulo, ſeu veru, dictum. recte ſtimulantibus pungentibusque *Clavis retortis*, efformatur. ſed nec ſine illa celebri, Hebræorum litera T, Crucem Domini præfigurante, fronti Virorum Gementium impreſſa. *Signa Thau ſuper frontes Virorum gementium & dolentium*, condolens compaſſione Chriſto, extitit Vir DEI. Ezech. 9. 6.

Crucis ſignum Thau litera, Fronti Francisci ſcribitur. Ad Laud.
Quæ varie diſtinguitur, mirandâ lucis opera. Ant.

III. Certarum *Latinæ Linguæ* Literarum formulæ tales: C. I. O. Q. patenter etiam monſtrantur. Et quidem Literam C, *nominis Chriſti:* lateris ſciſſurâ ſemiorbicalatâ; Literam I, *nominis IEſu:* uno clavo ſeorſim ſumpto; O Literam, *nominis Ordinis:* orbiculatis Manuum & pedum ſciſſuris; Literam Q. *nominis Quinq.* rotundo uno vulnere, cum clavo ad infra retorto, demonſtrando. De hac Literarum in tabula Corporis Concrucifixi impreſſione, ipſe *Velox ſcriba*, Chriſtus JEſus ſpectatores alloquitur. *Videte quibus Literis ſcripſi vobis, mea manu.* * CONCEP. Num. 273. Gal. 6. 11.

IV. Græcæ Scripturæ, inter alias figuras, reperiuntur hujusmodi. Θ Φ Ψ Ω quarum ſimilitudinem, videre eſt. Thita eum Θ, orbiculari cicatrice manuum, ac infixo in medio earum clavo, exprimitur. Litera Φ iisdem Vulneribus manuum aut pedum, (ſumptâ medietate inhærentis clavi, cum prominenti extremitate extra Vulnus) repræſentatur. Litera Pſi Ψ ex quò figurat in Cruce diductas hominis manus, intermediansque caput. Concrucifixione declaratur. Demonſtravitque IEſus in carne ſervi ſui, * CONCEP: Num. 274.

Crucis Sapientiam, signis notarum Græcarum. ut quam, insaniam reputabant, noscerent esse Sapientiæ thronum. *Græci Sapientiam quærunt, nos autem prædicamus Christum Crucifixum, Judæis quidem Scandalum Gentibus antè stultitiam,*
1.Cor.1.24 *ipsis autem vocatis Judæis atq; Græcis. Christum DEI Virtutem & DEI Sapientiam.*

* CONCEP. V. Diva Eulalia Emeritana Virgo & Martyr genero-
Num. 276. sissima, duodecimum explens annum, pro nomine amore-
Ribad. inque IEsu, multis Cruciatibus, sub Daciano tyranno afflicta.
Vit. Patr. inspiciens Vulnera sua, lætabunda protulit: *Hæ literæ meis*
p. 2. *carnibus, meo sanguine inscriptæ, tuam mihi passionem referunt, ô bone JEsu.* Prudens sane Virgo, memor passionis Sponsi in sua passione; mortisque ejus in sua morte. Amator Crucifixi, signis Crucis, descriptam Passionem Redemptoris sui prætulit. Ut omnes avidi Literaturæ, imperitique ad amorem affixæ in Cruce sapientiæ, incitarentur attraherenturque. Literis sane mysteriosis, laude dignis, qui-
Act.26.24. bus illud competere nequit: *Multæ te Literæ ad insaniam convertunt.*

CAPUT XXXVII.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Interpretationem, Descriptionem, Divisionem, Objectum, consideratáq; Legitericæ, declarans.*

I. L*Egitura* aut *Literologia* dicitur. non ab Ethymologia *Literæ*. quæ sic vocatur. quod iter legentibus præstet, vel quod in Legendo iteretur. sed à *rationali*. quod Græce Logium appellatur. Ut sit de Literis ratiocinatio.

II. Describi potest: *Est notitia considerans qualitatem Figuræ literarum, ut ea quæ simpliciter vel composite accidere ei possunt, ad inferenda varia significata, adaptandosq; significationem diversarum sensus, valeant.*

III. Duo

III. Duo consideranda esse in figura Literæ, *Objecto præfatæ Doctrinæ*, ad significata mysteriaque rerum varia. *Structura & Circumstantiæ.* Consistit verò structura: in Forma signi, efformationeque Figuræ. ut Litera A scalam, circinumque denotat, medio junctum. B, citharam erectam; C, soleam & tubam venatorum; f. frameam; I. Columnam & Turrim; ac similia. *Circumstantia* consistit, in iis: quæ Literæ *simpliciter*, id est ex se accidunt. Ut *Nomen*, quod scribitur vel pronuntiatur. *Figura*, quæ notatur vel aspicitur. *Sonusq;* in Elocatione Varius. Atque *Compositè.* id est ex assistentia antecedentium & consequentium Literarum, serieque numeri ex iis resultante.

IV. Literæ, sub accepta Consideratione, variæ sunt: *Numericæ*, quibus Ecclasiastica Arithmetica utitur; *Medicæ*, in pharmacorum adnotatione communes; *Astrologicæ*, in Exprimendis Zodiaci & Planetarum signis. *Mysticæ*, quæ mysteria Sacra & Ethica, ut *Thau*, & illa Litera Pythagoræ, denunciant. Item *Juridicæ.* Codicibus addi solitæ; *Historicæ*, tesseras Stemmatum, & titulos Dignitatum, adnotantes. ac *Hieroglyphicæ*, Symbolorum, similitudinumque.

V. Est itaque Literologiæ, *Objectum Materiale:* Signum nudum Literæ, seu Figuræ, nil Grammatici significans. *Formale:* Significatum ejusdem nudi signi Literæ, seu mysteria & arcana, denunciativa varii sensus. Ut O. signum est Orbis vel pomi; item perfectionis ac æternitatis; atque etiam Cifræ Arithmeticæ. Et *materiali Objecto*, non procul distat ab Alphabetica, Scientiisque de *Characteribus*, & Notis rerum tractantibus. *Formali* elongatur. Non enim formationem Literarum instituit, ut Scribendam, intelligendam, componendam: sed proportioni attendit, significationum, applicationumque sensuum ex eis adinventorum.

INVENTIO. Conceptibus V: *Dignitatem Literariam, mysterium Nominis Christi. Vocalium & Alphabeti arcana. Sensumq́ Literarum. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: I. Num. 276. REgnante David duodecim imperabant Principes. singuli mense suo, quatuor millia hominum moderando. Erant quoq; Præfecti thesaurorum & substantiæ regiæ, atque Consiliarii, inter quos *Jonathan Patruus David, Consiliarius, Vir Prudens & literatus.* In Regno Ecclesiæ, regnante IEsu Christo. *Dabit illi Dominus DEus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo David in æternum, & regni ejus non erit finis.*

1. Par. 17. 32.

Luc. 1. 32. Principes, sunt duodecim Apostoli, constituti super omnem terram. *Consiliarius* autem, Vir *Literatus.* Franciscus Vocari potest. tum quod *Evangelii magna Consilia* explevit; tum quod *mysteria Literarum* Sacro Vulnerum suorum Charactere, repræsentavit. Vt enim in Sacratissimo nomine IesVS, scripto in *Cruce.* IesVs NazarenVs. ad

Joan. 19. 21 finem, reperiuntur literæ V. & S. vel quia in fine vitæ, pendens in Cruce, quinquies, quem numerum V. denotat, gravissime Vulneratus sit; vel quia finiendo Vitam copiosum effudit Sanguinem, vel quia morte suâ temporali, tribuit Mundo Vitam Sempiternam. Ita Amatoris Crucifixi, nomen Franciscus, easdem continet literas. & ab ipso IEsu, impressis quinque Vulneribus suis, ConcrucifixVs.

* CONCEP: Num: 277. II. Sagacioris & non Sagacioris trutinæ, quisque animadvertere potest. quòd in Litera X. quâ Christus, signo hujusmodi describitur XPS. duplex sit Litera V. una à parte superiori. Denotans Crucifixum Christum, quinque plagis. & *Superiorem* esse, atque Dominum omnium. Alia à parte inferiori Λ. quæ denotare potest: Concrucifixum Christo, quinque itidem plagis. & Minorem seu

Inferio-

Inferiorem esse obsequio, beneficio, & Minoritani status Officio. Quod binæ literæ X. copulatæ. nihil aliud denotent in Christi nomine: nisi *conjunctionem & paritatem* Crucifixionis, & Concrucifixionis Seraphicæ.

III. Quinque Vocales, Scholæ numerant: A e I o V. tres, principium, medium, & finem, obtinent duas intermediantes. In Nomine FrAncIscVs, similiter reperiuntur. & quidem intermediantibus duabus consonantibus, locatæ. Cum non absque mysterio, in tribus membris, continentibus has Vocales, signa impressa. *in MAnibus*. quæ & primò stigmatisatæ, *in pedIbus*. postea enim stigmatisati. ac Ultimo, (ut etiam postrema Vocalis) ubi *LatVs*. Consonantium autem, duplicium intermediatio, denotare potest: *Consonam paritatem* duplicium Vulnerum, *Christi & Francisci*. Non curans studia, nec Literaturam terrestrem: Magistrum suum cælestem alloqui Valet: *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentiam Domini, Domine memorabor justitiæ tuæ solius, DEus docuisti me.* Literas Crucis, *à juventute mea*, Minoritani status. *& usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.*

* CONCEP: Num: 278.

S. Bon. Vit. c. 13.

Ps. 70. 16.

IV. Mirum profectò, quòd & elingues Alphabeti Latini literæ, expresionem Mysterii, narrant & monstrant. Etenim quinario numero, (qui in Nova & Veteri Lege mysteriis claret.) Signatus Vir DEI. cujus Nomen *Franciscus*, in bis quinque dividitur Literas. insuper, post quinque Literas in Alphabeto Latino, *Denominatio, status, stigmatisatioque* intimata, reperiuntur. A. b. c. d. e. F.rancíscus. g. h. i. k. l. M.inorita. n. o. p. q. r. S.tigmatisatus. Etiam quinque *propriis*, non commixtis, remanentibus literis. t. u. w. x. z. Alloqui Sanctum possumus: *Ab infantia Sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad Salutem.*

* CONCEP: Num. 279.

1. Reg. 17. 40.

Matt. 14. 19

2. Tim. 3. 14.

* CONCEP: Num: 280. Coroz. de Dict. Mirab. V. Jucundum relatu, auditu quoque sit. Abbas quidam, à Ludovico XI. Galliarum Rege, ut dignitate cederet, quam alteri cuidam daturus esset, oratus. respondit. Quadraginta annis vix priores literas A. B. (significant autem Gallica Lingua Abbe, Abbatem.) percepi. nec nisi exactis totidem, sequentes duas C. D. *cede*, addiscere cogito. Quo responso retrusa importuna affectatio. Franciscus, Abbe possedit. id est Passionem Domini, in qua orans
Mar. 4. 36. dixit JEsus: *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me.* Urgebant autem Caro, Mundus, Orcus, suggestionibus, ne portaret Crucem Christi, dicendo C. D. *Descende de Cruce*, sed nisu vano, objiciente respon-
Gal. 4. 6. sum Servo Christi, *Absit.* A. B. *Misit DEus Spiritum Filii sui in corde vestro, clamantem Abba Pater.* vel C. D. cede Dæmon, aut simul: A. B. C. D. id est. *Amo Benedictam Crucem Dominicam.*

CAPUT XXXVIII.

De 57. Scibili Orthographico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Descriptionem, Divisionem, Objectum, Considerataque Orthographiæ, declarans.*

I. ORthographia ex Græco, *Recta Scriptura* interpretatur. *Ortho*, rectum, *Graphia*, scripturam significante. Estque *Graphus*: Cura & meditatio elaborandi, limandique ea quæ scribimus. Characteresque pulchre & debitè efformandi.

II. Grammatici Scibile hoc describunt: *Est certa scribendi ratio.* clariùs vel sic enarrandum: Est Disciplina Grammatica, docens rectæ scriptionis distinctiones, signaque ad percipiendum rei notatæ sensum.

III. Do-

III. Doctrina *Scriptionis*, dividi potest: *in Normam Constitutionis rectæ scriptionis.* & Normam constitutionis *distinctæ scriptionis.*

IV. *Recta scriptio.* consistit in *Forma Literarum:* Ut simplices sint, minusque flexuosæ, venustiores enim hujusmodi. Item *in serie*, ne litera literam scandat, sed inter limites consistat suos. *in Symmetria*, seu Partium convenientia. Ut Literæ sint pares, literarumque inter se, Verborum ac versuum paria intervalla. *Distincta Scriptio*, consistit in triplicis distinctionis genere. *Inciso, Membro, Ambitu.* vel ut Græci appellarunt: *Commate, Colo, Periodo.*

V. Distinctio & interpunctio, *Objectum Orthographiæ*, triplex est. *Comma*, alitèr Incisum, *Colo minus.* Colon seu Membrum, vel altera pars Periodi. ac ipsa Periodus, quæ sensum concludit. Prima positura, subdistinctio dicitur; media Colon, distinctio sequens; Ultima, Distinctio sententiam claudens. Sunt item Distinctiones, *Elegantiæ causa* inventæ, atque hæ præcipuè: Interrogationis nota? Emphasis! & Parenthesis ( ) divulso & clauso circulo, aliquid ab Orationis corpore separans.

INVENTIO. Conceptibus V: *Notas magnæ Periodi, Admirationis & Interrogationis signa. Distinctiones Rectæ scripturæ, ac mysteriosa puncta. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. TEcas Scriptorias Terrigenæ alicujus, ab atro colore, vulgò *Atramentaria* dicimus: at tecas scriptorias Altissimi, à sanguine JEsu, *Rubramentaria* appellare convenit. Quibus non jam tetrâ nigredine, pæna descripta, sed purpura Regiâ, Salus Mundi. Lætatur Scriptione hâc D. Augustinus: *Ecce in manibus tuis descripsisti me, sacratis-simo-* * CONCEP: Num: 281. Solilo9.c.2

ſimorum Vulnerum tuorum charactere, charactere ſcilicet ſua-vitatis & non amaritudinis, charactere miſericordiæ & non juſtitiæ; charactere benedictionis, non maledictionis, charactere ſalutis, non damnationis. Vulnerum Chriſtifer, non ſolum characteres ſcripturæ Paſſionis Domini, demonſtrat Mundo, in Concrucifixa carne ſua. ſed etiam Clauſulas, & puncta claudentis ſenſum Periodi, tam *Magna* quam *Parva*. & ſi mavis, etiam *Duo punctorum*? declarat. Ne anima redempta, ultra, timens manum DEI, quâ *Librum vitæ & Mortis conſcribit*. diffidentiæ motu dicere poſſet: *Scribis contra me amaritudines, conſumere vis me peccatis adoleſcentiæ meæ*. Quid enim punctura Vulneris manus unius, aut duarum inſimul, denotant, ſi non punctum periodi? & ſigna duorum punctorum? Ac ſicut Periodus ſignum eſt *finis ſenſûs*. ita puncturæ ſtigmatum, indicant *vitæ Chriſti periodum, in Cruce. In finem dilexit eos.*

Job.13.26.

Joan. 13.2

* CONCEP: Num. 282. II. Signa quoque Orthographica, *Notarum Interrogationis?* atque *Admirationis!* etiam efformantur. Et quidem, in vulnere: cuſpide clavi retorti? Concrucifixio enim rememorativa, eſt Paſſionis Domini: in qua *interrogatus*, à Pontificibus, à Judicibus, cum vera reſponſa dediſſet, ſputa, Colaphos, contumelias, damnationemque paſſus eſt. Si autem ſumatur Clavus Vulnerum, à priori parte ut non eſt in curvatus ſed rectus, efformabit Admirationis ſignum! Admiranda enim in ſtigmatum opere, fecit DEus. *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

Mar.14.62.

Pſ.117.23.

* CONCEP: Num: 283. III. Quantum ad Virgulas Orthographicas: aliæ ſunt *rectæ* ut Commata, ponunturque ad finem verborum Nominumque. aliæ *inflexæ*, ſemicirculares, ut *Parentheſes*, ponunturque in medio, & curſu Orationis. Vir DEI, in membris ſuis, ut diſtincte deſcriptas Mortis JEſu plagas referret; Commata ſeu *inciſiones*, ad finem Manuum & Pe-

dum, possedit interpungentibus lineolis clavorum infixorum. Vulnus vero Lateris, *in vita*, Semipartem Parenthesis efformavit (post mortem autem, ut refert Historia, *rubeum & ad orbicularitatem quandam, carnis contractione reductum*, ( ) totam Parenthesim expressit. Quemadmodumque in medio versûs & Orationis ponitur; includitque aliquid sensûs in se. Sic plaga lateris, in medio est corporis; claudens intra, *contentum cordis*. Wad. T. 1. fol. 354.

IV. De Scriptione Vocis *Litera*. an scilicet unico an gemino T T, diversa sentiunt Authores. *Manutius in sua Orthographia* asserit: duplici esse scribendum. Adhærent & alii, veteresque omnes ita scripsisse narrat. Concrucifixio, duplici quoque litterâ T T. (Symbolo Crucis) descripta manu DEI viventis. Verba hæc: *Signa Thau super frontes virorum gementium.* de Cruce Christi, Sanctis Patribus intelligentibus. quòd clare refulget: in STigmatTibus. Et binam certe Servus Christi portavit Crucem, *imitatione:* offerens suam Christo, *Tollat Crucem suam.* & Convulneratione, tollens Christi alteram. * CONCEP: Num. 248. Ezech. 9. 4. Rup. L. 5. c. 27. Matt. 16. 24

Cum antem in Voce *Littera*, Symbolum sit Nativitatis Humanæ: in Patriarchæ Minorum Nativitate Spirituali, quâ incæpit asse *parvulus Apostolicus*, idem repræsentatur. Ut enim Literæ *primum signum L.* denotat lachrymas & luctum; *medium, terram* in quam homo natus cadit, *Ultimum A.* thema inchoati lachrymosi clamoris a! a! *Et ego natus, accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus, emisi plorans.* ita in Concrucifixo, L, nota Luctus: Lachrymarum pœnitenti profluvio, denotatur. *Terra* item: quando terreo cinericii coloris indumento tectus, provolutus in terram, orationes fundebat ad Dominum. A. quoque, (in Littera Ultimum Signum) non ne exprimitur? cum *illiteratum se reputans*, ab officio Sacerdotali abstinuit, dicens. *A. A. A.* Sap. 7. 3.

Jer. 1. 6. *Domine, nescio loqui quia puer ego sum.* Minorque Frater.

* CONCEP: Num. 285. V. Nicanor Hermiæ Filius, Alexandrinus, sub Adriano Cæsare, doctrinæ famâ floruit. hic docens puncta Orthographica, quodque discrimen in sententiis inde proveniat. ac in Universum de Punctis, sex Libros componens, ut Orthographiæ solidaret dogmata. tandem vocatus est ob Opera illa, *Stigmatias*. Seraphicus Pater, *puncta & puncturas Vulnerum JEsu*, deferens in corpore suo: mysteriose, Orthographica signa, rectæ scriptionis declarans, gloriosum ducit denominari *Stigmatisatus*. Usurpans: *De cætero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini JEsu, in corpore meo porto.*

Eras. in Adag. ex Svida.

Gal. 6. 17.

Sed quàm rectæ Scriptionis dogma, prætulerit Pater Sanctus, efficacia scripti ipsius monstravit. Cum enim F. Leo, Socius & Confessarius ejus, gravissima tentatione agitatus, rogaret ab eo aliquod manu scriptum, sperans tribulationem suam minuendam, cælitus edoctus malum Fratris sui, jussit attramentum & chartam afferi. & scripsit Benedictionem præpositâ Littera T: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, ostendat faciem suam tibi, & misereatur tui, convertat vultum suum ad te, & det tibi pacem. Dominus benedicat Fratrem Leonem.* Mirum! non prius munusculum accepit. quàm omnis tentatio evanuerit.

Chron. Vit. ipsius Relat.

CAPUT XXXIX.

De 58. Scibili Cryptographico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Descriptionem, Divisionem, Considerata, & Objectum Cryptographiæ. declarans.*

I. CRypta ex Græco: *secretum, abditum*, atque etiam *specum latentem* significat. *Graphia.* Scripturam. Ut ex Usur-

Usurpatione Compositionis hujus, intituletur scibile: *Ars occulte scribendi.*

II. Definiri potest: *Est notitia Characterum certorum occultæ scriptionis, aut instar Characteris signorum indifferentium: ad manifestandos secretos animi sensus latenter.*

III. Manifestatio rei obscuræ characteribus, vel *quasi Characteribus*, in Doctrinam *Ciphrationis* & *Deciphrationis* dividi potest. seu de institutione Notarum obscuræ scriptionis. & *Reseratione* earundem Notarum, sive Ciphrarum. Quantum ad *Characteres Ciphrarum*, haud Genera pauca sunt; *Ciphræ simplices*, id est Usurpatæ Notæ Alphabeti, ad diversam significationem. *Ciphræ non significantibus Characteribus intermixtæ*; id est Notæ Alphabeti, signis nil significantibus, vel verbis non significantibus sensum, insertæ. *Ciphræ Rotæ*, punctorum vel circulorum appositorum literis. Quantum ad *Deciphrationem.* duo sunt præcipui Restrictionis Modi. *Pactum & Exemplar.* illud præcedere scriptionem, inirique cum altero debet ad placitum. hoc consistit in formis variarum Ciphrarum obscuri Characteris, retentis penes se. & collatione similitudineque ad invicem, intellectis. Qui Modus posterior, sine Notitia rerum multarum, Experientiaque non levi, fieri nequit.

IV. Esse etiam *Ciphras Verborum.* quæ dupliciter fiunt: aut integras dividendo voces, convertendoque ad sensum alium. Ut Principi feminæ, nomine Italico, *Bianca dictæ*, aulicus, in Schemma fidelitatis suæ, ostendebat Candelam albam, *Candela Bianca.* quod significat: *Can, de la Bianca.* id est Canis fidelis erga Principem Biancam. Aut *singulis verbis, primas adimendo*, ad sensum intimadum per literas illas. ut DEus significabitur his Literis Vocum. *Dat Enim Vitam Suis*: item *Amo*: Accipe Malum Omnium.

V. At

V. At ne *sine exemplari*, sit Artis hujus, succincta licet Explicatio, facilem & brevem, latenter scribendi Modum, *novæ inventionis*, nec hucusque comparentis, subministrare placuit. Fiat *usu quinque Vocalium.* quæ singulæ *multiplicentur in se quinquies.* id est ad unam in ordine literam Alphabeti. ponatur una Vocalis, ad secundam, secunda; & usque ad quintam literam Alphabeti, ponantur quinque Vocales, ejusdem Signi. Et *Solæ*, pro Universis Alphabeti Characteribus sumantur. Reducaturque in numerum *viginti quinq; Literarum*, Alphabetum. connumerando *Æ. Diphtongum*, cujus non infrequens usurpatio in Latinis, necessariaque. Exemplum habes tale.

A æ. b. c. d e. f. g. h. i. k.
a, aa, aaa, aaaa, aaaaa. E. ee, eee, eeee, eeeee. i,

l. m. n. o. p. q. r. s. t. v. w. x.
ii, iii, iiii, iiiii. o, oo, ooo, oooo, ooooo. u, uu, uuu,

y. z.
uuuu. uuuuu.

Si autem Vocales similes, diversas literas denotantes, coinciderint secum, appositioneque simul Vocalis, literæ commisceantur, *Commate*, disgregentur. ne idem, & eadem Syllaba existimetur, Vocali similis. Et ecce praxis Scriptionis:

A M A. R E C T O S
a, iii, a. ooo, e, aaaa, ooooo, iiiii, oooo.

C O R D E
aaaa, iiiii, ooo, aaaaa, e.

IN

INVENTIO. Conceptibus V: *Secretam Epistolam, miram Scripturam, Instrumentum Epistolæ, ac contentum secretæ scriptionis. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. EPistolarum Praxim. D. Basilius, inter maxima DEI dona, reputandam censet. quòd quam longissime inter distantias, alloquio literarum, coalescere sit fas. Hinc *Epistola* quasi apis vola dicitur. Ut enim magna dulcedo, parva volà apis, seu pede, volando ad alvear fertur. ita Epistolæ parva charta, magnos sensus defert. ab aliis *Epistola*, vocatur *Apostola*. ab annunciatione, prædicationeque alicujus rei, personis remotissime degentibus. * CONCEP: Num: 286. Lib. Epist. 55.

Homo quidam nobilis abiens in regionem longinquam accipere sibi regnum & reverti. JEsus Christus est. ascendens in cœlum & inde ad judicandum reversurus, de quo Princeps Apostolorum: *Deglutiens mortem ut vitæ æternæ hæredes efficeremur, profectus in cœlum.* Hic ut consolaretur Ecclesiam, *Amicam & Sponsam suam.* Animamque devotam, *Sponsam* itidem & *Amicam.* absens Epistolam *secretæ allocutionis*, misit per Franciscum. notis Crucifixionis suæ characterisatam. Ut ipsi conveniant Apostoli verba: *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus, manifestati quod Epistola estis Christi.* Nec inconveniens allegandum est. Verbo æterno incarnato, attribuere *appellationem scriptoris.* siquidem de eo prolatum: *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi, lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.* Luc. 19. 12. 1. Pet. 3. 22. 2. Cor. 3. 2. Ps. 44. 6.

II. Materia in qua conscribuntur Epistolæ: est alba tenuis papyrus. vel membrana mollis, expansione in planum diducta. Et tale, Concrucifixionis subjectum est. scili- * CONCEP: Num: 287.

scilicet membrana corii, seu cutis, jejuniis extenvatæ. cum
Joh. 7. 5. Job: *Cutis mea aruit, & contracta est.* Et *expansæ* eadem
Concrucifixione Christo. quemadmodum cœlos extensos
Psal, 103.2. more pellium asseruit coronatus vates: *Extendens Cœlum sicut sicut pellem.* Atque sicut albescens papyrus, facile
rumpitur, & in partes dividitur; sicut membrana pargaminea, ferro extenvante, non sine Cæsione est, ac frequenti scissione. Ita Corpus Francisci, scissum & divisum Vulneribus, scalproque clavorum lædente, læsum & cæsum.
Ac prout non scribuntur sine ferro Literæ. cum & calamus, cultello ferro acuto præparetur. Ut inquit Martialis.

Lib. 15. Epig. 21. *Hæc tibi erunt armata, suo graphiario ferro.*

Ita Vulnera: clavo, (instar calami scriptorii ferro adaptati,) descripta sunt. imò majoris *Claritatis gratia*, exarata.

* CONCEP: Num: 288. III. Completo Scripto *Epistolæ.* clauditur compositione quadrangulari. in medioque, aut cerâ ardenti (quæ in apertione sæpe rumpit chartam) aut *transfixione*, per impositionem papyri vel funiculi, obsigillatur. In corpore, Crucis signis insignito, quadrangulæ partes manuum & pedum Vulneratorum, instar *Epistolii compositi*, cernuntur. non sine *scissura oblonga media* Lateris, ut in apertione Epistolæ, vel ob agglutinationem Ceræ, vel ob transmissionem funiculi, fieri solet. Utque Epistola: partim ad splendorem; partim ne maculetur Intitulatio, perfusione metallici pulveris, aspergitur. ita Characterisata membra: *crustulis ferri*, scilicet Clavis, *similibus ferreis*, Variata & perfricata sunt.

* CONCEP: Num: 289. IV. Refert Secretarius Regis JEsu, quòd *inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* quibus autem Characteri-
Joan, 8. 6. bus? aut quænam? non refert. effectus tamen subsecuti meminit, asserens: benigne dimissam, nec damnatam Mulierem, judicio Christi oblatam. *Terra*, Francisci ca-

ro eſt, tum *Naturâ*, tum Humilitate. in qua characteres *digito Chriſti imprimentis exarati.* Occultique ſunt. nam non Alphabeto Vulgari; non attramento vulgari; non in membrana Vulgari, *deſcripti.* Monſtrantes tamen *efficaciam* & memoriam *Salutarem Crucis:* liberantem illam, Paradiſi primam mulierem peccatricem, cum omni Humana Sobole, à poteſtate inferni. Et nonne rationales incolas Orbis, præſentato Concrucifixo Franciſco, alloqui Chriſtus Valet? *Videte qualibus literis ſcripſi vobis, meâ manu.* Gal. 6. 11.

V. Sophar Naamathites, Virorum patientisſimo Job, exoptavit: *Utinam DEus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi, ut oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ.* ſubjiciens paulo poſt: *Forſitan veſtigia DEI comprehendes, & usq; ad perfectum, Omnipotentem reperies.* Impresſio ſtigmatum: eſt Loquella DEI, *ſcriptioq; ſecreta ſapientiæ* Crucis. idque, ad *comprehendenda veſtigia*, ſeu ſigna Pasſi Salvatoris Mundi. *DEI Hominis. Utq; reverſus eſt Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtimonii in manu ſua, ſcriptas ex utraq; parte, & factas opere DEI. ſcriptura quoq; DEI erat Sculpta in tabulis.* Sic de Monte Alvernæ, deſcendit Franciſcus. non ſine duabus *Tabulis Teſtimonii:* Crucifixionis Chriſti, & Concrucifixionis Chriſto. *Ex utraq; parte ſcriptis.* Ait Seraphicus Doctor: *Deſcendit de Monte, ſecum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis, manu figuratam Artificis, ſed in carneis membris, deſcriptam Digito DEI Vivi.*

CONCEP: Num. 290. Job. 11. 6. 7. Exod. 32. 15. Off. Stigm. Lect. 6.

CAPUT XL.
De 59. Scibili Didactico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Interpretationem, Deſcriptionem, Diviſionem, Objectum, Conſiderataq; Didacticæ, declarans.*

I. **D**Idactica ex Græco: idem quod *Doctrinalis Institutio*, aut Doctrina, *de Modo Docendi, seu Discentiæ.*

II. Describi potest: *Est facultas liberalis, instructionis documentorum, traditionisq; Modorum ad inveniendas percipiendasq; scientias, ac ipsarum Scibilia. seu Objecta perceptibilia.* Et vocari clarius potest: *Pædagogica Disciplina*, licet latius pateat.

III. Duplici autem, Universim *Didactica*, constituitur parte. Enunciationis seu *Traditivæ*; & Judicii, seu *Correctivæ*. Traditiva consistit: in Instructione *Requisitorum, Modorumq;* Discendi, ex parte Docentium Discentiumque. atque in instructione Traditionis Doctrinarum, Sermone & stylo scribendi. *Correctiva*, consistit: in secernentia mali à bono scientifico; in restauratione studiorum; in judicio atque electione progressus scientificii; probationeque ac auscultatione, num ex integro bono sint; aut quodnam adhæreat impedimentum, Boni studiorum.

IV. Est autem Appendix *Traditivæ Doctrinæ: Pædagogica.* ad quam spectat Institutio Pueritiæ & Inventutis Scholastica. *Indicativæ* autem, Appendix est, *Critica:* ad quam spectat Authorum probatorum limata correctio, interpretatio, atque Vitiorum Scholasticorum, castigatio,

V. Juvamenta in particulari studiorum, vel ex his intellige: Ingenium exercent duo: *Lectio & Meditatio.* Lectioni competit illud:

Horat. in Poetria. *Hæc placuit semel. hæc decies repetita placebit.*

Meditatio verò: *est frequens cogitatio cum consilio, causam, originem, modum utilitatemq; cujusvis rei, prudenter investigans.* Hugo quinque adjuvamenta efficacia, brevibus conclusit documentis.

Mens

Mens humilis; studium quærendi; vita quieta, Didasc.L.4.
Scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena.
Hæc reserare solent, nonnulla obscura legenti.

Opus studii peragunt: *Labor & Amor.* Scientiam pariunt: *Cura & Vigilia.* in Labore est, ut *Agas*; in Amore ut *perficias*; in Cura, ut *provideas*; in Vigilia, ut *attendas.* Non Quintil.L.8 potest autem pulcherrimi Operis studio, vacare mens. Sap. 1.4. nisi omnibus vitiis libera. Etenim. *in malevolam animam, non intrabit Spiritus sapientiæ.*

INVENTIO. Conceptibus V: *Famam summi Magistri, similitudinem Discipuli, Claram Doctrinam, Salutaria Dogmata, atq; Gymnasia Doctrinæ. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

*

I. ALexandri Magni, non parui honoris est, habuisse CONCEP: Præceptorem Aristotelem summum in terris Philo- Num. 291. sophorum. prout enim est laudabile: *Honorari a Viris honoratis*, ita utile *doceri a doctissimis.* Alexandro Magno, Franciscus Minorita major. nam *sapientiæ Crucis* impressione. *Non enim indicavi me aliquid scire, nisi JEsum, &* 1. Cor.2.2. *hunc Crucifixum*, Maximum in cælis & in terris, obtinuit Matt 23.8. *Magistrum*, atque Generalem Orbis Doctorem. dicente Tract. 16. S. Augustino, *Magistrum omnes unum habemus, & in una* in Joan. *schola Discipuli sumus. Cathedram in Cruce habet qui corda docet.* Ab isto Præceptore vir seraphicus instructus, traditam sibi Disciplinam Crucis, intellexit, & doctissimos quosque sæculi intelligere fecit. Objectum ejus *clara* Epist. 107. *explicatione & demonstrative* tradendo, intimando, in ad Paulin. carneque sua stigmatisata, proponendo, innuens illud Divi Hieronymi: *Discamus in terris, quæ scientia perseverat in cælis.* Ipsa S. Matre Ecclesia, laudes ejus decantante.

Doctus doctrice gratia, doctus experientia, quæ sunt perfectionis.

Hæc Fratres docet omnia, tam factis qua frequentia, Melliflui Sermonis.

Aurea D. Augustini Verba: *Intelligamus quam vere scriptum sit auctoritate Divina: Ne nobis quenquam Magistrum dicamus in terris, & quod unus omnium Magister est in cælis,*
Lib. de Interno Magist. *Quid autem sit in cælis docebit ipse, a quo & per homines* (signis concrucifixionis Francisci) *admonemur, ut ad eum intro conversi erudiamur, quem diligere & nosse vita beata est.*

* CONCEP: Num: 292. II. Allocutio Christi instructiva Apostolorum.
Matt. 23. 8. *Nolite vocari Rabbi unus enim est Magister vester, omnes autem vos Fratres estis, nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus. qui major est vestrum, erit Minister Vester,* in viro DEI, singulari mysterio completa. sapientiæ enim Crucis impressæ, unus & solus extitit Magister Christus. quo unico gaudens, juxta Doctrinam ejus: *Omnes vos estis Fratres,* Frater: *Fratrumq; Minorum* institutor. atque minister aliorum, (etiam Provincialibus suorum idem nomen demandando) parvulusque minoritate esse & appellari voluit. Atque si in multis, maxime tamen in Concrucifixione Francisci, verborum Christi, terminatus sensus: *Non est Discipulus supra Magistrum, perfectus autem omnis erit, si sit sicut Magister ejus.* Sapientia enim Crucis, per vulnera impressa explicata & percepta. *nil supra Magistrum* continet: sed eadem forma & figurâ, sicut Magister JEsus Christus Crucifixus est, præfert monumenta Redemptionis. Expletum in stigmatum Opere: *Et non faciet avolare a te, ultra Doctorem tuum & erunt oculi tui, videntes Præceptorem tuum.* siquidem Magister cælestis, in specie seraph, *sex alarum tectus velo aspectu mirifico* tanquam *non avolans sed advolans* Doctor; & præbens

Luc. 6. 40. — Is. 30. 20. — Hymn. Off. stigm.

bens se oculis corporeis discipuli sui, perfecit Mirabilia stigmatum Sacrorum.

III. Arcana Prophetæ verba: *Dabo legem meam, in visceribus eorum & in corde eorum scribam eam, & ero ipsis in DEum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit ultra vir proximum suum & vir fratrem suum, dicens cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me à minimo eorum usq; ad maximum.* in Francisco complentur. Quis enim *Minimus* iste, cognoscens Dominum? si non ille *Minorita.* poscens eelemosynam in nomine Domini, de qualibus, ipse Christus: *Quamdiu fecistis uni ex his Fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quis *Frater* hic & proximus, quem *non vir* docuit, sed Dominus? nisi ille, Frater nomine, & re vitæ Apostolicæ. Dicente Domino Magdalenæ: *Vade ad Fratres meos.* Non vir eum simpliciter docuit, sed Homo DEus, ipse Christus Crucifixus. *Doctrina autem Legis*, scripta in visceribus scripta in corde, an non repræsentatur, exaratione vulnerum in membris corporeis, ipsoque in Cæso latere, *sede Cordis.* Cognovit *speciali agnitione*, Franciscus Dominum, dum Crucifixionis mysterium *sensu percepit.* quem multi, *non cognoverunt. si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ Crucifixissent.* aut iterum nunc sæculo depravato, peccatis Crucifigerent.

* CONCEP: Num. 293. Jer. 31. 33. Matt. 25. 40. 1. Cor. 2. 8.

IV. Promissa Vatum Sacrorum de Salvatore: *Docebit vor vias suas, & ambulabimus in semitis ejus.* atque juxta alium: *Docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus.* in Concrucifixionis arcano, ad effectum reducta sunt. Etenim, potuitne edoceri clarius? *via illa & semita Christi: Qui vult venire post me abneget semetipsum & tollat Crucem suam.* quam vulnerum Crucis, reali deportatione, in via imitationis vitæ Domini nostri. Adimplevit

* CONCEP. Num. 294. Is. 2. 3. Mich. 4. 2.

Luc. 14. 27. vit profecto: *Qui non bajulat Crucem ſuam, & venit poſt*
me non poteſt eſſe meus diſcipulus. Utque fieret Diſcipulus,
Th. a k. de affectuoſe ſæpius pronuntiavit: *Taceant omnes Doctores,*
Imit. *ſileant omnes Creaturæ in conſpectu tuo, tu mihi ſolus loquere ò*
L. 1. c. 3. *Bone JEſu.*
Quemadmodumque exoravit DEum Rex Jeſſe: *Bo-*
Pſ. 118. 66. *nitatem & Diſciplinam & ſcientiam doceme*, in gratiaque ſpe-
Pſ. 17. 36. ravit: *Diſciplina tua, ipſa me docebit.* ita Dux Minorum ab
ipſo Dulciſſimo Rabboni inſtructus eſt, *Diſciplinâ* Paſſionis
Iſ. 53. 5. ſuæ. Diſciplinam enim Propheta appellat: *Vulneratus eſt*
propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra,
Sap. 8, 4. *diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.* Et ſapientiâ abſconditâ
Crucis, quæ *Doctrix eſt Diſciplinæ DEI.* Juxta doctrinam,
à Doctore Gentium traditam Diſcipulo ſuo: *Stultas au-*
2. Tim. 2. 24 *tem & ſine diſciplina quæſtiones devita, ſciens quia generant*
lites. Servum autem Domini non oportet litigare, ſed manſue-
tum eſſe ad omnes, docibilem patientem, Doctrina Stigma-
Prov. 19. 11. tum perfecta, *in docilitate Patientiæ*, ſiquidem *Doctrina vi-*
ri per patientiam noſſcitur. Et quia Franciſcus, impreſſa
* Paſſione Domini patiens, ſapiens.
CONCEP: V. Literis & Viris Literatis, levans ſe ſupra famam, Lova-
Num. 295. nienſis Univerſitas, inter ſex & triginta plus minus ſtudiorum Col-
legia, titulis ſuis memoranda. Unum Sanctius recenſet: *Sacratiſ-*
ſimorum quinque Vulnerum Chriſti. quæ etiam parietibus, foris inſculpta,
proſtant. Non aliunde eruditionis cæleſtis, hauſit fontes Franciſ-
cus, niſi ex his Gymnaſiis, *theſauris ſapientiæ & ſcientiæ* DEI. Ut re-
Col. 2. 3. cte Seraphicus Doctor dixerit: *Crucifixum ſibi omnem Bibliothecam eſſe.*
Vit. S. Bon. Aggratulandum Seraphico Patriarchæ, quod in tota vita ſua, Vir-
tutis augmentum, non argumentum Doctrinæ curans: Scientiarum
myſteria, ipſo cæleſti edocente Magiſtro, Sacris ſuæ Concrucifixio-
nis ſignis, dignus ſit repræſentare: *Beatus homo quem tu erudieris*
Pſ. 93. 12. *Domine, & de lege tua, docueris eum.* Spiritu DEI locutus eſt Augu-
Lib. 8 Conf. ſtinus: *Surgunt indocti & cælum rapiunt, & nos cum Doctrinis noſtris, ec-*
c. 8. *ce in ſanguine & carne volutamur.* Chriſto autem, qui Myſterioſam Sci-
entiam Crucis, dedit parvulo Evangelico, ſit laus maxima.



LIBER III.

Scibilium Ciuilium.

Præcipua Obiecta, Considerata, Reductaq; Scientifica.

In Mysterio Concrucifixionis Christo.

REPRÆSENTANS.

Aditus Scibilium.

ECclesiam & Scholam, cursim perambulauimus, seu per *Stadium* & *Studium* sacrorum ac scholasticorum Scibilium discurrebamus. Nunc intrando *prætorium* Reipublicæ & Reipopuli scibilium : quinque gradibus Notitiæ Politicæ, scilicet *Authoritatis, Dignitatis, Belli, Pacis, & Negotiorum Populi,* ascendimus. his enim status Ciuilis persistit. Et quidem *vestigio calcato*, seu more assumpto: totidem vt supra, in quolibet scibili Conceptus ttactando, statuendoque.

CAPVT I.

De 60. Scibili Politicò.

INFORMATIO. *Prænotandis V.* Explicationem, Obiectum, Differentiam, Partitionem, Considerataque Politicæs, declarans.

1. POlitica, græcâ voce, significat *Doctrinam Ciuilem.* latinâ, *Administrationem Ciuitatis vel Reipublicæ.* Politia item sumitur, pro *Regimine & Modo Gubernandi.*

vnde non idem esse *Politiam* & *Politicam*. Porrò Philosophis, vox Politicæ, est *Homonymia*, interdumque pro tota Practica Philosophia accipitur, cuius partes secundùm Peripateticos: *Ethica, Politica, Æconomia*. interdum pro media parte, scilicet 8. *Libris Politicorum*, ab Aristotele explicatis, & vocatur *Philosophia Ciuilis*.

II. Diffiniri potest: *Est scientia, hominum multitudinem in vita sociali, normâ vniuersitatis, & arte Politici, rectè administrandi & conseruandi*. seu, *Est scientia, iuxta certum statum Reipublicæ, gubernandi Communitatem hominum & rerum Ciuilium, Magistratûs Politici imperio subiectam*.

Lib. 3. de Rep. Lib. 1. de Ciu. c. 22. III. Ciceronis explicatio: *Est Res populi*. allegante eam Diuo Augustino, non est realis. cum *Respublica*, non solum sit quasi *Publica Res*, vel *Res ad populum pertinens*: sed etiam Populi Collectio: quâ cum *rebus populi*, materialitèr constituitur.

IV. Administrationis Reipublicæ, *ex parte modi*, Species sunt: *Monarchica & Polyarchica*. Estque Monarchia: *Notitia regiminis Reipublicæ, vnius Rectoris gubernio subiectæ*. idque vel in Imperio, Regno, Principatu. vel in Districtu, Comitatu, Baronatu. Ab Aristotele diuiditur, *in Regnum & Tyrannidem*. quibus adde *Dominatum*. cum Princeps vnus, libertatis & fortunarum omnium Dominus, iure belli aut fædere factus: subditos, quasi Paterfamilias bonus seruos, moderatur. *Regnum*. cùm subditi, libertate ac Dominio rerum fruentes, sui Principis legibus obsequuntur. prout ille Diuinis, ac naturæ imperiis, obtemperandum iudicat. *Tyrannis*. cùm Princeps imperiosè, spretis Gentium & naturæ legibus, subditorum bonis ac libertate ad libidinem & iram abutitur.

Lib. 3. Politic. c. 5. Lib. 4. c. 3.

Polyarchia autem, *est notitia regiminis Reipublicæ, plurium*

rium imperio, summâ potestate subiectæ. idque vel per *Aristocratiam*, scilicet *Optimatum imperium*, vel per *Democratiam*, seu *Populi gubernium*. Et hæ posteriores transeunt, aut in *Olygarchiam*. cum pauci idque deteriores dominantur; aut in *Ochlocratiam*, cùm plebs promiscuè regnat, & vitiosâ formâ regiminis gubernat.

V. *Regnantis seu Regentis* nomen, *à Rectè agendo.* idest a virtutis & Prudentiæ tramite, non aberrando. vel *à Regimine sui*, Diuo Gregorio censente: *Reges sunt qui sua corpora bene regere sciunt, qui desideriorum motus in se temperant; subiectas cogitationes, lege virtutis regulant. Reges, quia sibimetipsis præsident & se regere sciunt.* Isid. de sū: Bono In c. 3. Iob.

INVENTIO. Conceptibus V. *Rem & Nomem Regis, Specimen coronæ, Sceptrū & Anadema, ármatosque Custodes Regum: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. PAuperem, qui vbique postpositus & in tenebris iacet, celsum efferri in thronum Regium, & Regali serenissimo titulo, præfulgere posse, non facile reperiri censeo, cuius sententia, id approbaret: spreto tamen mundano Politicorum sensu, Sancta Catholicorum Mater Ecclesia, Seraphicum Franciscum, *Verorum Patrem Pauperum*, Regem in paupertáte eius, deprædicat, laudat, iterum & iterum decantat. * CONCEP. n. 296.

1. Hunc sequantur, huic iungantur, qui ex Ægypto exeunt. Hymn. Off: 2. V.

In quo Duce, clarâ luce, *Vexilla Regis*, prodeunt

2. *Regis signum*, Ducem dignum: insignit manu latere.

Lux accedit, nox recedit: iam lucis orto sydere.

 3. Pro

Resp: 8. Off: 3. Pro paupertatis copia, regnat diues in patria.
Reges sibi substituens, quos hic ditat in opia.

Et non solùm *Regis signo* decoratum, aut authoramento *instituendi Reges* insignitum, affirmat: sed etiam *Serenissimis Regum splendoribus*, & fulgenti maiestate illustratum esse, omnibus constat. Vt enim *Nomen* Imperantium, *serenissimum illustrissimumque* est; vt ornamen-
Ps.44.14. ta illorum, fulgent *vestitu deaurato, in fimbriis aureis*; vt Potentia, *micanti* gladio rutilat; vt sedes & Ædes, *fulgenti auro* splendent. ita Concrucifixio Francisci, serenissimo Regum fulgore illustrata & honorata: dum
M.N.4.2. ab ipso Christo, clarissimo *Sole Iustitiæ*, peracta; dum in corpore, *flammis seraphicæ charitatis* ardenti, protracta; dum missis de cælo, *luminibus terram illustrantibus*, acta.

Hym: Off. Stigm. *Vertex montis inflammatur, Vicinis cernentibus.*
Cor Francisci transformatur, Amoris ardoribus.
Corpus verò mox ornatur: mirandis stigmatibus.

Narratque Theologus Ordinis: *Christus apparuit cum*
Lib. 3. Cõfor. fr. 3. *tanto splendore de nocte, quòd illuminauit montes & colles circumquaque distantes. amplius quàm si solis claritas affuisset. de quo testes fuerunt Pastores, qui per partes illas cum gregibus vigilabant, ac etiam custodes arcium & castrorum tunc vigilantes.* Et iure quam optimo pie Lector, at-
Is. 60. 3. tribues Aluernæ: *venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est:* cum Lux Lucis Christus, luce & decore roseo, omnem perfundens Montem, decorauit seruum suum, regia Crucis venustate.

* CONCEP. n. 197. II. At & *Tituli serenißimi splendor*, non inaniter in viro Seraphico affulget: stigmatibus *coronam Regalem* exprimentibus. Quemadmodum enim Imperatores, non solum auro *metallorum rege & capite*, caput suum coronant, ornant honorant, sed & Ferro: siquidem

Cæsa-

Cæsares Catholici, in signum Germaniæ Regni, argenteo decorantur anademate; Romani imperii, aureo; Longobardici, ferreo. Ipsiusque Constantini, primi Christianorum Imperatoris, diadema regium, Christi clauo ferreo, ab Helena intexente eum coronæ, circumductum fuisse, refert Baradius. Ita Crucis signis, Francisci caro inaugurata: Imperialis coronæ coloribus & materiæ similitudine, prædita est: apparente *rubore auri*, in cruore rubicundo; lucescente *albedine argenti*, in casto corpore; patente *nigredine ferri*, in clauis, nigrescenti ferro similibus. A signis Passionis Iesu, obtigit seruo Dei, quód ab instrumentis martyrii Apostolorum, desiderabat S. Chrysostomus: *sit mihi gladius ille pro corona, & claui Petri pro gemmis, infixis in diademate.* Proutque in vertice coronæ, Monarcharum Christianorum, signum Crucis positum fulget: ita Saluator Mundi, Crucis suæ tesseras imprimens*, hoc supremum apud Orthodoxos Coronarum ornamentum, corpori Francisci inseruit. *Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis*, Sanctæ nimirũ Crucis signo.

Iou. Hist. L. 37.

T. 3. Ann. 326.

Serm. apud Metaphr.

Eccl. c. 45 14.

III. Quam ob causam, Regi sæculorum, titulo *Regis Iudæorum* in Cruce decorato, *milites plectentes coronam de Spinis* acutis, imposuerint? rationem hi pangunt versiculi:

* CONCEP. n. 298. Matt. 27. 29.

Infixam capiti gestas, bone Christe coronam.
Hoc stabile imperium: denotat esse tuum.

Nec minor respectus est proportionis, *similitudinis Coronæ*, quam gestant Dynastæ & Mundi Rectores, in gyro sumitates acuminatas, in assurgentibus radiorum eminentium pinnis, habentis. Vt sicut spinea Christi corona, concaua intus erat, spinæque radiis, capiti inflixit vulnera. ita Coronæ Regum non sine *spinis molestia-*

lestiarum sunt; non sine concauitatibus; & quidem quinque. quarum prima in medio est, reliquæ oppositæ sibi inter quatuor bases erectas, sustentantes in vertice Crucem. *Corona Stigmatum*, non solum est, cum quinque vulnerum concauitatibus: sed & cum acutis clauorum infixorum, quasi radiorum pinnis; sed & cum eminentia mysterii *regnantis à Ligno Crucis*, Domini. Quòd spineæ coronæ Christi, & Coronæ radiatæ sæcularis potestatis, approportionata videatur.

Prou. 4. 7. Iuxta: *Possede sapientiam & in omni possessione tua, acquire prudentiam, arripe illam & exaltabit te, & glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus, dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.* Francisco, omnem possessionem mundanam abiicienti, &

1. Cor. 1. 30. Sapientiam Crucis possidenti: *Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia.* corona inclyta donata est.

* CONCEP. n. 299. IV. Quantum ad *Virgam Sceptri Regum*, in auri pretio, potentiam; in tenui ductilitate, clementiam; virtutes Regiminis significantem: hæc quoque sceptro Crucis Christi, *Virgæ Regiæ*, exprimitur. inquiente An-

Hom. 2. de Cruce. drea Cretensi: *O crux spes Christianorum, Sceptrum Regni, diadema pulchritudinis, Apostolorum & Martyrum corona.* Vtque Deus Iosepho gratiam præstitit: *in vin-*

Sap. 10. 14. *culis non dereliquit eum, donec afferet illi sceptrum Regni*: ita Christus, non derelinquens Franciscum, in *vinculis materialibus*, rudis cinguli eius; atque in *vinculis moralibus*, obligationis votorum; honestauit sceptro

Glab. Rud L. 1. in fine. Regiæ Crucis suæ. Porro *Diadema*, quod coronatorum Dynastarum, læua manus gestat, à Benedicto VIII. summo Pontifice, instar pomi aurei iussum fabricari, atque per quadrum pretiosissimis gemmis, desuper aurea Cruce inserta, circumdari: etiam in manu stigma-

tisata

tisata requiescit. instar enim *rotunditatis* pomi regalis; instar gemmarum aut lapidum *rubei fulgoris* : esse rotundum volarum vulnus ; esse guttarum gemmas, & purpurei cruorem fulgoris, iuxta: *in patientia, pace fruimur regiâ.*

V. Demum, sine *Custodibus corporum Regum*, ferro armatis, vulgò stipatoribus, non esse quoque mysterium stigmatum. circumdantibus carnem Francisci, regiis signis Crucis insignitam, acutorum infixorum clauorum pugionibus. Et sicut Ioas *septem annorum paruulus*, promotione Ioiadæ Pontificis, in templo Domini Rex conclamatus, cohorte acuto ferro armatâ stipatus erat. *Constituitque omnem populum, tenentem pugiones à parte templi dextra, vsque ad partem templi sinistram, coram altari & templo per circuitum Regis, & imposuerunt ei diadema & testimonium. dederuntque in manu eius tenendam legem, & constituerunt eum Regem.* Ita Franciscus humilitate paruulus; opera *summi Pontificis* Iesu Christi; impressis vulneribus suis, in *Templo Domini*, proclamatus est Rex. Et non solùm Regalium impressione insigniorum, iuxta: *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui.* per quod *residuum populi*, intelligi potest, *residuum se inter omnes reputans* Patriarcha Minorum: sed etiam vt Paupertatis Altissimæ Fundator, humilis Regis Regum seruus, Spe & præmio Apostoli, in vita, exhillaratus est. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus.*

* CONCEP. n. 306.

2. Par. 23. 10.

Is. 28. 5.

2. Tim. 4. 8.

CAPVT II.

De 61. Scibili Magistratico.

INFORMATIO. Prænotandis V. Explica-

plica-

plicationem, Partitionem Officiorum, Considerataque Magistratica, declarans.

I. M*Agistrachium*. Mgistratus olim vocabatur, idest dignitas *Præfecturæ Populi*: quod rerum officiorumque Reipublicæ Officiales, Magistri sint. *magis* seu amplius quàm priuati, ad præstandum bonum obligati.

II. Officiales Magistratûs : aut sunt *Administri* aut *Ministri*, & Administri, alii sunt superiores, vt *Consiliarii, Legati ac Generales Militiæ*. ad suggerenda bona consilia, & negotia Reipublicæ expedienda, instituti. suntque *Ordinarii*, vel *Extraordinarii*, illorum Princeps vel Respublica, consilio & opera, semper aut plerumque vtitur. horum, non semper, sed tantum in graui negotio. Porro *Administri*, alii *Politici* : vt viceregesʼ Palatini, Principes, Gubernatores. ad imperium Regnorum, Prouinciarum, Ducatuum, Vrbium, in loco Principis suffecti. alii *Aulici*: vt Cancellarii, Mareschalci, Thesaurarii. qui à Principe ipso obeunda munera publicæ allocutionis, ordinationis, computationis, officio suo exsoluunt. alii *Curiales* : vt Iudices & Commissarii, nomine Imperantis, iustitiam exhibentes.

III. Quantum ad *Ministrorum* Magistratus *inferiorum* differentiam. partim ex Officiorum ; partim ex Dignitatum ; partim ex locorum diuersitate, sumenda. alii sunt Prætores, Tribuni Plebis, Quæstores, scribæ, Custodes, publici Cursores, qui licetsi non maiori dignitati præficiantur, eligendi tamen honestâ familia nati, ingeniosi & bonæ indolis. *meliores enim esse*, ait Aristoteles *qui ex melioribus nati*. Vulgo etiam iudicante, *Magistrum talem, quales Ministri*.

Lib 5. Polit.

IV. Modum Officii pertractandi, Administratoribus

ribus Magistratûs, hæ virtutes præscribunt: *Pietas & Fidelitas, Prudentia & Constantia, Modestia & Taciturnitas*, vt Deum timentes, fideliter dirigant consilia & opera, pro viribus, ad vtilitatem Reipublicæ; vt prudenter & delibertate, constanterque negotia expediant. *Vbi enim non sunt prudentia consilia, corruit populus, salus autem est in amplitudine consilii.* Vt placide sententias suas, & iussa sine acerbitate & insectatione proponant; vtque arcana Reipublicæ, gubernationis & gubernantium fidei comissa, foras non eliminent. Prou. 11. 14.

V. Officiorum vitia contrahent Administri: nisi fugiant *pertinaciam* in consiliis dandis, & executione negotiorum. *discordiam*, inter coæquales gubernio suo subordinatos. *Temeritatem*, in confidendo suis consiliis, & nimis præcipitanter agendo. *auaritiam & perturbationem animi*, quarum illa, Officiales sui proprii commodi potius, quam publici studiosos; hæc, iudicium illorum, & normam agendi corrumpit.

INVENTIO. Conceptibus V. *Cancellariatûs dignitatem & Formam Sigilli, Officium & Effectum Bullarum: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. POtenti imperio & prudenti regimine Præeminentes, solent Monarchias & Principatus suos, per Cancellarios regere & erigere: vt cum per se multitudinem officiorum expedire non valeant, per alios, *commissione gemmæ annularis seu sigilli, ab Authoritate responsionum & attestationum comissa*, eadem expleant, multisque satisfaciant. Vnde Archicancellariatus Romani Imperii, Archiepiscopis inter septem Electores, * CONCEP n. 301.

magna cum facultate & dignitate; committitur. Et in Regnis, qui publici sunt Regum responsores, Sigillique conseruatores, Cancellariatu honestantur, imò & *vice Cancellarii*, absentiam maioris Cancellarii supplentes in pertractandis negotiis, instituuntur.

In Monarchia hierarchica Ecclesiæ, Regni Christi; Franciscus dignitate Cancellarii; & comissi Sigilli Potentissimi Regis Regum Iesu, deportatione honoratus est. Vulneribus eius, imaginem & sigillum Mortis Filii Dei in Cruce; præferentibus. Ecclesia Sancta ferente testimonium: Signasti Domine, Seruum tuum Franciscum.

Signis Redemptionis nostræ.

Hym. 2. Vesp. Item: *Regis signum, Ducem dignum, insignit manu latere.* Testatur & S. Bonauentura: *summi quoque Regis signacula, permodum sigilli, corpori eius impressa: tamquam testimonia decem, toti sæculo, indubitanter affirmant, Christi præconem Franciscum, & venerandum officio, & doctrina Authenticum, & admirabilem sanctitate.* testantur & insignes Doctores, Henricus ab vrimaria: *Signum Dei in hoc euidenter apparuit, quod B. Franciscus fuit sigillatus bullâ summi Pontificis, & consignatus vexillo & charactere summi Regis, per impressionem Deifici stigmatis.* ac Laurentius Zamora: *Gloriosus Franciscus, fuit signum seu sigillum mirabilium Dei.* Proutque Cancellarii nomen, ab impressis, *sigillo cancellis*, desumitur: ita viro Dei, à cancellatis vulnere Crucis membris eius, competit, narrante vitæ historia: *Circumsedentibus verò filiis, coram Pauperum Patriarcha, morti iam proximus, extendit super eos manus, in modum Crucis, brachiis cancellatis, pro eo quòd hoc signum semper amabat. omnibus Fratribus, tam præsentibus quàm absentibus, in Crucifixi virtute ac nomine benedixit.*

Legend. c. 12.

Ser. 3. de S. Fran.

Serm. de amor. Pas. Domini.

Ad finem de Transl.

II. Nec

II. Nec vlla difficultas est, Concrucifixionem, *
instar *Sigilli Regii*, probare. vt enim in sigillo oblon- CONCEP
gum adest ferrum, in cuius capitello latiori, non sine n. 302.
scissuris & rimis exaratur forma stemmatis: ita in carne
Crucis signis sigillatâ, clauus *ferrei instar* cernitur, for-
mæ in capitello obtusæ & latioris; pro rimis autem
scissurisque, patulas dissectiones cicatricum, proportio
naliter assume. Factum in viro Dei, iuxta: *Ponam* Agg. 2. 24.
*te quasi signaculum, quia elegi te dicit Dominus exercitu-
um.* Quantum ad Ceram, materiam imprimendi si-
gilli: siue sumatur vt dura ignescens; siue vt est gra-
cilis mollis & fluens; etiam repræsentatur. Sanctus
etenim dicere poterat: *Factum est cor meum, tanquam* Ps. 21. 15.
cera liquescens; fuit quoque instar ceræ induratæ can-
dentis. durus enim in se, constans solidæque mentis
erat; ignitæ Seraphicæ Charitatis flammis ardens;
guttatimque, pœnitenti lachrymâ, & cruore patienti,
diffluens. ait D. Bonauentura: *mentem ipsius seraphico* Offic. Sti-
interius inflammauit ardore, carnem verò Crucifixo confor- gri. L. 2.
*mi exterius insigniuit effigie, tanquam si ad ignis liquefacti-
uam virtutem præambulam, quædam esset impressio subse-
cuta.*

III. Sed & Modus impressionis, quàm clare re- *
præsentetur, videamus. impressio sigilli appositioque, CONCEP
medium potissimùm vsurpat locum, patet in Bullis, n. 303.
Diplomatibus, Priuilegiis, Literisque patentibus. Ipsa-
met sponsâ cælesti, in corde quod *medium* in corpore
dicimus, dilectionis sigillum affectante: *Pone me vt si-* Cant. 8. 6.
gnaculum super cor tuum. Creator & Saluator homi-
num, Francisci carnem stemmatisans, non alibi Cru-
cis suæ sigillum apposuit, nisi manuum & pedum *me-
dio* in spatio. *Qui in manu omnium hominum signat, vt* Iob. 37. 7.
nouerint singuli opera sua. in medio item corporis, sci-

Ps. 32. 15. licet Latere. *Qui finxit sigillatim corda eorum*, sigillum vulneris posuit. Effatum Prophetæ, in dilecto seruo suo, Deo perficiente: *Liga testimonium, signa legem, in* Is. 8. 16. *discipulis meis.*

Quantum ad effectus *sigilli imprimentis*, non solum est claudere epistolas, sed & valore replere vacuas, idque ob impressam Imperatoriam vel Regiam effigiem. Sigillum Concrucifixionis, claudit quoque epistolam, signis mortis Iesu Christi descriptam. cum transfigés manus & pedes clauus, ab vna parte latior, & ab altera cuspide reflexo, nullo conatu (*vt B. Virgo Clara, volens vnum extrahere probauit*) eximendus: claudit & stringit concrucifixa Christo membra. accomode ait P. *Vitalis Sardiensis*, alludens ad annulum sigilli Diui Petri. *Annulum piscatoris Pontifex Optimus Maximus Iesus fidelissimo credidit, vti Cancellario, Francisco.*

S. Bon. Vit. c. 13.

Chron. Alu. fol. 112. ¶ 7.

* CONCEP. N. 304.

IV. Officio Cancellariatûs Regii decorari, est Legatum Principis ad Magistratum, ad extraneos, ad populum, agere: vt responsa referat, iudicia peragat, mandataque nomine Regum proponat. Prout enim comisso sibi sigillo, imaginem & vultum Regnantis exprimit, Legatusque faciei eius fit: ita ore, eiusdem ideæ, & imaginis mentis, legationem ad subiectos regimini, eundem absoluere necesse. Vir Seraphicus, postquam imagine & sigillo Crucifixi Regis insignitus est: *Legatus eius à Latere*, ad populum Christianum ordinatus, vt & imaginem referret, & patulo vulnerum ore, Orbi Catholico, *Verbum Crucis* proferret. ait Gregorius IX. Pontifex Maximus: *verum de Christi latere, nouus Legatus mittitur. Franciscus Princeps inclytus, signum Regale baiulat.* item Gilbertus: *Beatus Franciscus, fidelis Legatus.* ac Doctor Seraphicus, non aliter appellat stigmata, nisi *sigillum approbatiuum.*

Apud Pis. p. 2. fr. 3.

In Apoc. c. 7.

In Apologet. P.

V. Ca-

V. Carolus V. toga & sago charus clarusque Imperator, vt Peruanam conciliaret Prouinciam, misit membranas & chartas, sigillo regio & nomine, nullà autem scriptura refertas. mandans distributionem hoc pacto; vt quæ vellent inscriberent; certo consecuturi modo quam exoptabant amicitiam, non scinderent. successitque inuentum; nam & Princeps & subditi magna tranquilitate imperii, vnanimiter pacem coluerunt. Francisci carnis charta, non maculata Vitiis; non characteribus prauis infecta, ipsius Omnipotentis Monarchæ, *signaculo Vulnerum Crucis* insignita; tanquam pacis conciliatiua litera, ad peccatores hostes Dei, ad Mundi amatores amicitiam Dei nihil ducentes, missa est. Ut terrigenæ, extraordinario & mirifico dono lætificati, postpositis vitiis, à peccatis resilirent; cum *Deo pacis* pacem inirent, & Creaturæ Creatori reconciliarentur. Beato Patre proferre valente: *signatum est super nos, lumen vultus tui Domine*.

* CONCEP. n. 305.

Orat. Extem. Flori leg.

Ps. 4. 7.

CAPVT III.

De 62. Scibili Eugenico.

INFORMATIO Prænotandis V. *Explicationem, Diuisionem, Obiectum, Considerata, Requisitaque Eugenica, declarans.*

I. E*Vgenia*, ex Græco, pro Nobilitate, pro clarisque natalibus sumitur. Nobilitas autem in genere, non est aliud, nisi excellentia seu Claritas quædam, quam homo habet præ aliis, respectu boni alicuius naturæ animi ac fortunæ, in ipso clarescentis. Idcirco

Nobilis dicitur, quasi *Noscibilis*. quòd per excellentiam præ aliis, facilius dignoscatur.

II. Nobilitas tripliciter sumitur, *physice seu naturaliter*, estque animi & corporis bona temperies. & *Ethice seu Moraliter*, inquiente Platone: *Virum bonum esse nobilem, qui vero malus est, licet à parente meliore quã Iupiter procedat, ignobilem esse.* tertiò. *Politicè seu Ciuiliter*, vt Nobilitas sit: *Origo legitima ex viris ac mulieribus, quorum primi ac multi, clari fuerunt.*

Lib.5.Polit. c.1.

III. Ad illustria natalitia, vt nobilia dicas, saltem tres primi gradus requiruntur. Pro vsu tamen & Loco, binarius quoque sufficit, in Aui & Parentis producta nobilitate. Et quidem quoad *veterem nobilitatem*, quam quis à maioribus suis trahit, & quæ in munere officii & dignitatis quâ fungitur, consistit: non quoad *Nouam*, quam quis virtute perseipsum, beneficio Principis sortitus est, processus hic graduum requiritur.

IV. Nobilium qui tales sunt, aut esse censentur, quatuor præcipue differentiam causant: *Virtus Heroica, Clara Natalitia, Disciplina morum, & Diuitiarum affluentia.* Insignia autem stemmatum, nobiles discernentia familias: schemata & signa externa non nisi esse. nec *Nobilitatis constitutiua*, sed solùm *Familiarum discretiua*.

V. Ad dubium: *an Nobilis factus, nato sit præstantior?* dicendum: licet nobilis natus, studio Virtutis suam claritatem augeat & perficiat, præferendus tamen ei *factus seu institutus*. ob virtutis extraordinariæ perfectionem, & extraordinariam pro ea, innouatamq́ præmiationem.

INVENTIO. Conceptibus V. *Nobilitatem Heroicam, stemmata Regnorum, Acade-*

demiarumque, atque insignia Victoria: in Concrucifixione Christo, repræsentans.

I. CVm mundus & qui ex eo nati, claritate Sanguinis, & splendoribus natalitiorum carnis, glorientur; nobilitatemque hanc solam, quæ ex *sanguine maiorum*, & voluntate viri illustris prosapia, proflueret, ventilarent: *ignobilia Mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. vt non glorietur omnis caro in conspectu eius*, Vtque verificaretur illud: Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo. * CONCEP num. 306. 1. Cor. 1. 28.

Sanguine censeri.

Ad quod opus perficiendum, *sanguinem Minorum non Maiorum*, elegit dextera Omnipotentis, sanguinem nimirum in Concrucifixione Christo, à *Patriarcha Minorum* effusum. vt dum Franciscus nobilitatem sui generis, *Moriconum* Assisii præstantis familiæ, pro Christi amore abnegaret, & *Mori Mundo* fecisset: stemmatibus Crucis, ad nouæ Nobilitatis claritatem, adornatus nobilitatusque esset.

Crucis hærens vestigiis: Crucis fructum consequitur. Hymn. Off. stigm.
Quo, corde carne pungitur, & signatur indiciis,

Et quemadmodum, multorum nobilissimus sanguis, Gentilitio *Crucis signo* decoratur; quemadmodum nobilissimæ plures familiæ, tessera Crucis variis coloribus efformatæ adornantur: ita sanguis Francisci, signis Deificæ Crucis, nobilitaretur. *Et stemmata Dei, sunt stigmata ei.*

II. Hoc motiuo, mysterium agnoscat quisque, quare Familia Minoritana vtatur pro stemmate: *duabus manibus, clauis transfixis. vna denudata; altera habitu velata; transuersim positis; fixa in medio earum, erecta Cru-* * CONCEP n. 307.

cta Cruce. Non solum enim, vt ostendat Congregationis suæ membra, debere Christi imitatione portare Crucem; non solùm vt declaret, Patriarchæ sui Christo Concrucifixi, memorem se esse & genuinam prolem: sed quia assumpti symboli & stemmatis, in stigmatisatione Diui Patris, clara relucet Repræsentatio. *Manus enim Christi*, in impressione stigmatum, iuncta erat manui Francisci, quæ operta habitu, illa autem nuda erat. Porro an *transfixiones volarum* vt exprimitur in stemmate Ordinis, reperiantur? *in Mysterio Concrucifixionis*, cum Thoma Apostolo palpare licet. an *Crux fulgeat*, mediumque teneat? cum Simone Cyreneo, baiulante Saluatoris Crucem, attrectare placeat. Pater beatissimus Apostolicos imitatores sui alloqui potest: *signaculum Apostolatus mei, vos estis in Domino.* atque, *Qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Nec quoties Charitatis causa, obsignatam literam alicubi dirigebat, in obsigillatione alio stemmate vsus, nisi signo literæ T. Crucem Christi denotantis, cuius in corpore suo, stemma clarum pertulit.

Hist. Alther, Serap.

1. Cor. 9. 7.

2. Cor. 1. 2.

S. Bon. c. 86. ¶ 7.

III. Regni Poloniæ, antemuralis Christianitatis, vniuersale Generositatis & Libertatis Nobilium symbolum gentilitium, est Aquila alba, coronata, expansis alis, hiante rostro, vnguibusque acutis ferox. Cum enim primus Regni Fundator Lechus, sedem Domnii sui locando, à Warta flumine, sexto lapide, inter paludes ædificaret vrbem & nidum Aquilarum inueniret: ab illo conditæ vrbi, nomen *Gnessno* seu *Gnasdo* imposuit, & Regni sui insigne, Aquilam reginam auium assumpsit. Præfati stemmatis, similitudinem portanti Christi vulnera attribuere, non est inconueniens. albescens enim plumarum Aquilæ color, in *niuea castitate corporis albescit*; vtque natura carni Vola-

* CONCEP. n. 308.

tilium, plumas cuſpidato acumine infixit, ſic gratia exacuatos carni concrucifixæ clauos inflixit; quantum ad expanſas Aquilæ alas, idque *in modum Crucis*, extenſiuæ Crucis myſterio, dilatantur; porro pro roſtro acuminoſo, acutiſque vnguibus, dicta iam clauorum ſunt acumina, manibus & pedibus infixorum, *cum inflexione inſtar vnguium*. Expletum, *qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut Aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Remque viſio monſtrauit, apparuit enim in ſplendore, B. Leoni Confeſſario ſuo, binis Aquilæ ſubleuatus alis; atque vngues in manibus & pedibus aureos habens; dicendo: *conceſſit mihi Deus Aquilæ vngues pro defenſione Ordinis mei, & eius Benefactorum; quibus eripere de caſibus beneuolos, malos transfigere poſſum.* Is. 40.31. Mar. Vlyſ. p. 1. L. 2.

IV. Sed non ſolum Generoſitatis ſtemmata, vulnera efformant Seraphica, Togam quoque eiuſque inſignia. & præcipuè Nobiliſſimæ Vniuerſitatis ſcientiarum, ac celeberrimæ Cracouienſis Academiæ, referendo teſſeras. Eius symbolum regium eſt: in ſphæra ſerti laurei, duo ſceptra aurea, figurâ Crucis transpoſita, quæ dum Magnifico Rectori ac promouendis ad laureas præferuntur, aureis videntur redimita coronis. Viro Apoſtolico, *Magiſtro ſcientiæ cæleſtis, & perfectionis virtutum*, Laurum Academicam, tribuit Eccleſia. * CONCEP n. 309.

Carnem mundumq; conterens. Hoſtes malignos proterens.
Auream victor meruit, Laureolam dum docuit. Off. Hym Laud.

At quoque ſceptra, *Crucis formâ* compoſita, manibus eius quis non porriget? cui ipſe Rex Crucifixus, *Sceptrum Humeri ſui* porrexit. Sicut Rex Aſſuerus, humili Eſther, *ſceptrum aureum, protendit manu.* Is. 9. 6. Eſth. 8. 4.

V. Alphonſus primus, Luſitanorum Rex, famâ victoriis & virtute inſignis. congreſſurus cum quinque ſaracenorum Regibus, à Chriſto apparente, conſilium & mandatum accepit, vt vexilla ſua, ſtemmate quinque vulnerum eius ſignaret: ſi virtute cæſi pro ſalute Mundi Redemptoris, hoſtes cedere vellet. fecit ille, victoriæque palmam reportauit. Quinque corporis ſenſus, hoſtes ſunt animæ in corpore ipſo, vt proſternerentur à Franciſco, Chriſtus quinque vulnerum triumphalis Crucis ſuæ ſignis, eundem ſtemmatiſauit. & omine fauſto, in hoc enim ſigno aduerſas confecit partes, & victoriam virtute Dei fecit. Conuenit ipſi ſapientiæ Diuinæ problema: *Nobilis vir eius, Eccleſiæ, quando ſederit cum Senatoribus terræ,* (iuxta: *ſedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Iſrael*) cum ſenatoribus terræ, ſcilicet Apoſtolis qui *conſtituti Principes ſuper omnem terram.*

* CONCEP n. 310. Boz. L. 17 de Sig. Ec. Pr. 31. 23. Matt. 19. 18. Ps. 44. 17.

CAPVT IV.

De 63. Scibili Honoratico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Explicationem, Partitionem, Gradus diuerſos, inſtitutionemque honorum, declarans.*

I. HOnorum intelligentia, tractat de qualitate Dignitatum, quarum *Claritas* nobilibus maxime competit. nobiles enim cum Maiorum dignitatem, Nobilitatem exiſtimant: Honores honoribus adiungere ſatagunt. indeque ſæpe *Cupiditate honoris* premuntur.

II. *Honorificentia* ſeu *Honorificatio*, ex parte Honorantis, in Ordinariam & Extraordinariam diuiditur. *Prior,* re-

rer, reuerentiâ, æstimatione, laudatione, cultuque honorificè exhibito, peragitur. *Altera*, ob specialem gratiam Principum; & Heroici actus alicuius meritum, *inusitato glorificandi modo*, honore aliquem afficit, & honoratum reddit. Porro vtraque Honorificatio fit *aut Rebus*, conferendo signa & dona honoris, Magnis solum debita. *aut verbis*, titulorum ampliatione, ac laudatione condignâ.

III. Gradus *Honoris regnantium*, optime ordinarentur: *primo* loco statuendo, Conditores regnorum. *secundo*, Legislatores qui etiam vocantur conditores secundi. *tertiò*, Liberatores & Conseruatores Patriæ, *quartò*, Propugnatores Imperii, qui fines, bellis honorificis ampliarunt, vel defensione restituerunt. Honorum verò qui *subditis competere possunt* gradus esse: *primò*, statuendi Participes curarum, in quorum humeris pondus Reipublicæ quiescit, qui & *manus Regum dextræ* dicuntur. *secundò*, Duces belli, Regum suorum in expeditionibus, locum tenentes. *tertiò*, Negotii pares; qui magnos sub Principibus gerunt Magistratus delegatos. *quartò*, præstandus illis honor, qui se morti & periculis deuouent, propter bonum Patriæ, Ciuisque conseruationem.

IV. Honoris Etymologia venit, ab *Hoc onere*, à Rectis enim, cum Officio *Honos*, putatur *onus*. vel quasi *horror*, dicitur *Honor*. honoratos enim alloqui & accedere, multi horrent. & horrendè tales adorari & venerari cupiunt. Honor tamen, digne *collatus vel acquisitus*, laudabilis est, sacro animante prouerbio, *Ne des alienis honorem tuum*, & axiomate Politico: Pr. 5, 9.

Tu te, non alienabis tute, ab Honore parto virtute.

V. Honoris institutores, *Deus & Natura*. ille creans, in paradisoque honorabilem constituens hominem. Ps. 48. 13. Rom. 13, 7,

Exod. 20. 12. minem. *Cum in honore esset, non intellexit;* illa, instinctum animo inserens: *Cui honorem, honorem. Honora*

Leuit. 19. 32. *Patrem & Matrem, Honora Personam Senis.*

INVENTIO. Conceptibus V. *Honorem amicitiæ Regum, Dona Honorifica, Titulorum Honores, Honorificentiam & Elogia Magnorum : in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP n. 311. I. GLoria ingens est, eximiusque in Monarchiis Honor: *frui amicitia coronatorum Principum, seu Cor alterum Regis reputari:* Maximam autem Honorificentiam, praxi cælesti, existimare debes: *Diuini similitudine gaudere Cordis.* quid enim præeminentius, confidentius, suauius, & potentius. Honor, quo alti, Re-

Act. 13.22 ctor Olympi, glorificauit Dauid: *Inueni filium Iesse, virum secundùm cor meum*, stupendo prodigio, & retroactis inaudito sæculis, peracta communicatione vul-

Ps. 138, 17 nerum Crucis Francisco, iuxta: *Nimis honorificati sunt Amici tui Deus*, honore amicitiæ Regum, immò ipsius *similitudine Cordis Regis Crucifixi*, honorificatus est. Ex-

Matt. 25. 15. titit enim *non iam Seruus sed Animus fidelis*, cui tradidit Dominus quinque talenta vulnerum suorum, ob ami-

Ioan. 13. 1. *citiam* redimendi hominis perpessorum, *cum dilexisset suos in finem.* Patetque similitudinis *secundùm Cor Christi* expressio, cùm instar eius, in latere lanceâ læsi: cor quoque viri Dei, in *lateris læsura*, vulneratum fuisse,

Mon. Alu. Im. Vuln. Chr. pie asserit & probabiliter deducit, *Author Historiæ Seraphicæ.* Ait Gregorius IX. summus Pontifex, in Literis vniuersis Fidelibus, Apotheosim ipsius in numerû Sancto-

Sanctorum intimantibus: *In hora vndecima, Dominus qui cùm diluuii aquâ terram deleret, iustum per lignum cõtemptibile gubernauit, super sortem iustorum, virgam peccatorum non relinquens, excitauit seruum suum B. Franciscum, virum vtique secundùm cor suum.* Vt non solum amicus Regis Regum Christi, sed secundum cor, siue alterum cor, dicendus sit. Reg. Vatic. n. 31.

II. Collata à Regibus dona & bona, honoris insignia esse. à Rege Ægypti, Ioseph castimoniæ lilium, *munere annuli* magnificatus est. *tulitque annulum suum de manu sua, & dedit eum in manum eius.* ac Mardochæus, non postremæ politici Princeps, à Domino viginti septem Prouinciarum, simili dono honoratus. *tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi iusserat & tradidit Mardochæo.* Vir Dei castus vt Ioseph, humilis vt Mardochæus, à Crucifixo Rege Iudæorum, annulo regio honoratus est. character enim Crucis impressus, *formam annuli* monstrat: cum Volarum & Plantarum rotunda & transparentia, vt in annulis solent esse, cernuntur foramina; cum sigilli Passionis Domini, incisam rubicundi sanguinis gemmam, *incisio carnis & cruor manans* referant. De S. Patriarcha proferendum: *In medio Fratrum, Rector eorum in honore.* * CONCEP n. 312. Gen. 41. 16. Hest. 8. 2. Eccl. 10. 24.

III. Esse quoque Titulos & Nomina, *Honorum numina.* & istorum honorificentia gloriose decoratur Franciscus, vt iam non homo & terrigena, sed nobilis cæli indigena, nominari debeat. Ille est *Angelus Lot è Sodomæ ignibus educens.* quia è mundo maligno, seu in malo igne posito eduxit plurimos, castitatis cultum strictâmque eis obseruantiam, in Regula sua mãdans & commendans. Ille est Raphael, itineris Tobiæ *Ductor & Director.* quia semitâ imitationis Christi, præcauens in Regula de modestia itinerantium, * CONCEP n. 313. Gen. 19. 17. Reg. c. 11. Tob. 5, 10 Reg. c. 3.

 virtu-

virtuteſque in via ſeruandas edocens, ad regionem
3. Reg. 19. 5. cæleſtem pro æterno reportando lucro, ducit & adducit. Ille eſt Angelus, excitans & pane ſubcineri-
3. Reg. c, 3. cio cibans Eliam. quia fugientes maledictam Iezabel, *mundi ſcilicet malitiam*, pane ſubcinericio, commen-
Ioan. 5. 4. datarum in Regula *trium Quadrageſimarum*, Ordinis ſui alumnos refocillat. Jlle eſt Angelus *in piſcinam probaticam deſcendens*, & motu aquæ ſanans infirmos. quia in ſua Religione, vt *Probatica, porticus quinque*, ita ipſe quina Chriſti vulnera impreſſa habens: aquam ideſt
Ap. 7. 2. populum, *Aqua populi ſunt*, commouens exhortatione
Reg. c. 6. exemplo & præceptis Regulæ, de ſolicita cura infirmorum, plurimis, animæ & corporis ſanitatis, cauſa extitit. Nec abſque arcano factum, cum in certo negotio Ordinis ſui, ſigillo opus eſſet, & ille rogaretur vt nominis ſui vel ſigni relinqueret memoriam: accepto chordæ ſuæ funiculo, ſuper chartam, attactu ſolo eiuſdem, miraculoſe effigurauit Seraphim. vt canit vates perantiquus.

Icon. ad Sar. Car. imp. 32.

Signa det vt populo, Seraphim mirabile dictu.
Funiculo expreſſit prodigioſa manus.

digne *Angelico viro*, omnibus deuotis, titulum honorificum. *Seraphici Patris*, paſſim, vbique ad hæc vſque tempora, attribuentibus.

* CONCEP n. 314. IV. Honorificentiſſima quoque *virorum Illuſtrium veteris Teſtamenti* nomina, pauperi & humili ſeruo Dei, approprianda. Ille eſt *Abraham* componens rixas fa-
Gen. 13. 6. mulorum Lot & ſuorum, terrenam poſſeſſionem cedendo: dum rerum terreſtrium omnem poſſeſſionem abiecit. Appellandus *Ioſue*, anathematiſans bona cuncta
Ios. 6. 19. Iericho. etenim nihil auri argentique, nihil ſuppelle-
Exod. 32. 20. ctilis habere voluit. Dicendus *Moyſes*, vituli aurei comminutor. nam *auaritiam quæ eſt idolorum ſeruitus*,
Eph. 5. 6. abnega-

abnegatione bonorum sæculi, contriuit. Item *Gedeon*, Iud. 7. 5.
lambentes aquam milites in prælium educens. in mi-
litanti enim Ecclesia, lachrymas pænitentiæ, Fratri-
bus suis, bellatoribus Domini, in potum dedit. Vo- 1. Reg. 17.
candus *Isai parens Dauid*, pro filiorum sustentatione 17.
& salute sollicitus. etenim *Mensam Domini*, procuran-
te Deo ipso, filiis suis, expostulatione Eelemosynæ,
assignauit. Cognominandus *Dauid* in reductione Ar- 2. Reg. 6.
cæ Domini derisus. quia dum Arcam noui Testamẽ- 2.
ti, scilicet Sancti Euangelii obseruationem ad vsum
reduceret; derisioni ab initio & postpositioni datus. 3. Reg. 19.
Item *Elias*, à iugo boum ad seruitium Dei, Elysæum 19.
reuocans. nam in Spiritu Eliæ a iugo & oneribus
Mundi, plurimos exemplo suo, ad imitationem Chri-
sti adduxit. Vocandus item *Ionadab filius Rechab*, po- Ier. 35. 7.
steritati suæ non domum non vineam possidendam
mandans. quia Regulæ suæ Obseruatoribus, nec do-
mum nec aliquid, habere præcepit. *Nehemias* item in- 2. Esd. 2. 1.
titulandus, ad reædificationem Ierusalem excitans po-
pulum. dum tres labentes Ecclesias, labore manuum
suarum, & cura sua restaurauit. inhabitandique San-
ctam Ciuitatem Ierusalem pænes sepulchrum Domi-
ni, gratiam Fratribus suis promeruit. Magnificatus
est ab Omnipotente Franciscus, quod magni illius Sa-
lomonis, honorifica fama nominis conueniat illi : *E-* 3. Reg. 4.
rat nominatus in vniuersis Gentibus per circuitum. nec va- 31.
num est illi :

Crescere & in titulos, surgere rite nouos.

V. Laudibus denique honorificis, & Elogiis ma- * CONCEP.
gnificis, honorata esse sacrorum stigmatum pignora. n. 315.
vt sicut panegyris Carminum, victori filio Isai hono-
rabilis extitit, *præcinebant mulieres ludentes atque dicen-* 1. Reg. 18.
tes percussit Saul mille, & Dauid decem millia. ita admi- 7.
rabile

rabile-

rabile opus Concrucifixionis Christo, laude digni gloriosi & laudabiles viri, *Hymnis*, *Prosis*, *Antyphonis*, *Testimoniis*, *Elogiisque* honorarunt. Gregorius IX. Pontifex, composuit Prosam, *Caput Draconis ultimum.* antyphonamque: *Plange turba paupercula ad Patrem clama pauperum, hoc lugubre suspirium, Pater Francisce suscipe, ostende Christo stigmata, lateris pedum manuum, ut nobis reddat orphanis, tanti Patris Vicarium.* Rainerius de Viterbio, *Cardinalis*, confecit hymnum: *Plaude turba paupercula, Patre ditata paupere. Laudis propina pocula sacro depressa ubere.* &c. Antyphonamque famosissimam: *Cælorum candor splenduit, nouum sydus emicuit, sacer Fråciscus claruit, cui Seraph apparuit, signans eum charactere in volis plantis latere* &c. Thomas de Capua, *Cardinalis*, Hymnos duos: *In cælesti collegio, nouus collega colitur. In Sanctorum rosario nouellus flos producitur. Franciscus florens gratiâ forma factus humilium* &c. item *Decus Morum Dux Minorum, Franciscus tenens brauium.* &c. Et S. Bonauentura *Cardinalis*, Antyphonas & Responsoria, Officii proprii & Officii stigmatum, miræ suauitatis & mysterii consecrauit. Alia Gloriæ genuina testimonia & elogiâ, numero *quinquaginta sex*, videre licet apud P. *Henricum Sedulium*, initio Commentariorum in vitam Sancti Patris. & plura legere placeat in eiusdem Opere in folio, publicæ luci dato.

Pis. p. 2. Conf. 31.

CAPUT V.

De 64. Scibili Priuilegiatico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Explicationem*, *Diuisionem*, *Denominationem*, *Authoremq; Priuilegiorũ*, *declarans*,

I. PRiuilegium, eſt poteſtas aut gratia, vni vel pluribus, obtinendi aliquid aut agendi, vltra ius commune, conceſſa.

II. Denominari poteſt, à *priuata lectione*, quod in Diplomatibus & priuilegiorum literis, priuatim aliquid & inſolitum ſcriptum legitur, approbatur, vel promulgatur. vel à *priuata luce, lege, legato*, quòd emineat, & priuatim lege ſingulari aliquid legatur, vel concedatur aut indulgeatur.

III. Sumptum vniuerſim, duplex eſt: *Eccleſiaſticum & Politicum*. illud Immunitates, Exemptiones, Conceſſiones, Diſpenſationes, Spirituali Authoritate latas, inſtrumentoque publico approbatas continet. hoc, Imperatorum Regum Principum, gratias libertates donationes exceptiones, ſcripto & ſigillo roboratas vendicat ſibi.

IV. Priuilegiorum varias eſſe ſpecies: vel enim aliquo onere liberant; vel agendi facultatem præbent; vel meritorum intuitu aut beneuolentia ſolâ dantur; vel cum pacto aliquo, aut ſine illo conferuntur. & quædam pro ſemper, quædam pro tempore.

V. Concedere Priuilegia, ſupremæ eſt poteſtatis, atque eius qui Legem condere poteſt. ſunt enim contra Legem Ordinariam. Quia verò per ea non exiguum detrimentum accipere poteſt Reſpublica, concedi nonniſi benemeritis debent. vt *honore & præmio* virtus excitetur; & aliorum ad bene merendum de Patria, induſtria prouocetur.

INVENTIO. Conceptibus V. *Singulariſſimum Priuilegium, Priuilegia eximia*

loci, Fauores & gratias, ac specialia dona : in Concrucifixione Christo, repræsentans.

I. DOnum & Bonum Priuilegii, è natura rei intelliguntur, nihil enim est aliud, nisi *singularis gratia particulari personæ exhibita.* Vel *singularis fauor quibusdam non omnibus, in communicatione certi boni vel amotione mali, à Magnis authoritate & dignitate viris declaratus.* Impressio sacrorum stigmatum, si diligenti indagine, rectaque trutina mentis consideretur, non aliud certo inferendum, nisi quod sit actus singularis benignitatis Dei, nisi quod sit priuilegii exrraordinarii donum.

* CONCEP n. 316.

Crucis Christi Mons Aluernæ, recenset mysteria
Vbi Salutis æternæ, dantur Priuilegia.

Did: de cea L. 1. c. 11. Testatur B. Amadeus, in Relatione raptus sui quarti, Gabrielis Archangeli ad se dicta commemorans: *Pater vester Franciscus in monte cum clauis in manibus ac pedibus insignitus, admirabili modo passionem Saluatoris Domini renouauit. quod fuit præcipuum singulare & inauditū donum.* D. autem Bonauentura appellat : *Nouum & stupendum miraculum.* aitque in historia sua, *Nouus homo Franciscus nouo & stupendo miraculo claruit, cum singulari priuilegio retroactis sæculis non concesso, insignitus apparuit, sacris videlicet stigmatibus decoratus.* simile affirmat Cardinalis Baronius : *Hoc signum omnium maximum ac singulare, & quasi prodigium, sacra illa stigmata fuerunt.* Plurimi quoque pro hac re faciendum est, S. Antonii à Florentia testimonicum: *Quoddam singulare concessum fuit B. Francisco, quod nulli inter natos mulierum, legitur fuisse donatum, & hoc est impressio sacrorum*

Legen: c. 16. Off: stigm Conc: Louanii p. sexag. Tit: 24. c. 2. ¶. 3:

stigma-

stigmatum. Hinc B. Pater paucis ante mysterium futurum diebus, rogatus verba Christi, ad se in monte Aluernæ facta, Fratri Leoni, confessario suo retulit: *Breui Deus tam stupenda mirabilia, in hoc monte faciet, quod admirabitur totus mundus, faciet enim noua quædam, quæ nunquam in hoc mundo fecit alicui Creaturæ.* Vt Sanctus dicere in *statu viæ seu transitûs vitæ* possit. *singulariter sum ego, donec transeam.* Pis: L. 5. Con: 31. p. 2. Ps. 140. 10.

II. De Monte, in quo Iacob & Moysi, apparuit Dominus, prior dixit: *vere Dominus est in loco isto*, Posteriori autem dictum: *Locus in quo stas, terra sancta est.* His tamen celsior est mons Aluernæ, *priuilegiis* amplior, vt alloqui possit, *Felix Aluerna, qui tantorum stigmatum purpuratus es pretioso sanguine, non laude tua sed ipsorum meritis, excellis omnem mundi pulchritudinem*, sic pie proclamante loci Historiographo. Vocaturque *altera Ierusalem* mystice, ait Rudolphus. & Cardinalis Montaltus, quum Sanctum Montem profundens lachrymas visitaret, protulit: *En altera Ierusalem hic mons.* Idem Sixtus V. summus Pontifex, oraculo vocis suæ exprompsit. quód enim in Ierusalem actum, hic renouatum est. De monte Aluernæ, præ tot *apparitionibus* Iesu Saluatoris, Sacratissimæ Matris eius, Sanctorum Angelorum, Sancti Sebestiani & Laurentii, S. Magdalenæ, & aliorum Beatorum; præ tot *inhabitationibus* Virorum Sactorum, Beatorum, & Religiosissimorum Ordinis Minoritani; ac præ tot sacris vbique antris, scissuris mysteriosis, Templis, Sacellis, prodigiis & vestigiis miraculosis, condigne sentit P. Wadingus: *Ad relinquendas huius mundi sordes, incredibili modo excitat, vt Diuina quædam vox ascendenti personare videatur: locus Sanctus est finem peccandi facito.*

* CONCEP n. 317. Gen. 28. 16. Exod. 3. 5. Chron. Seraph. fol. 92. It. fol. 20. Tom. 1. f. 120.

Esse quoque in Monte prædicto, lapidem instar

Chron. Mon. fol. 75. Tabulæ, cuius quadrilatero hæc insculpta verba, *Mensa B. Francisci, super quam habuit mirabiles apparitiones, sanctificansque ipsam, fudit oleum desuper dicens: hæc est ara Dei.* super hunc lapidem Christus apparens sedit, quatuorque concessit Priuilegia. referunt illa *Marcus* L. i. c. 5. *Fabianus in Florilegio*, & *Millius in suis Dialogis*, referunt Chron. Ann. 1224 n. 5. & Annales Ordinis, veteris Pöetæ carmen: Annuntio quatuor inquit:

Dona superna tibi, stabit Ordo tuus per æuum.
Nullus ibi Frater, cui sit peruersa voluntas,
Stare diu poterit. Vix Ordinis hostibus annos
Viuere dimidios præstabitur. eius Amici
Viuent, & vitam concludent fine beato.

Si autem quæras, sacro numero cur non *quinque* præstita *Priuilegia?* respondet *quintum stigmatum Priuilegium*, primum & maximum. Non immerito locum Alexander IV. Summus Pontifex, à septem Episcopis, Aretino, Vrbinate, Florentino, Assisinate, Perusino, Tifernate, & Fesulano, more christiano benedici & consecrari voluit, quod vniuersum montem in gyro obequitando perfecerunt. Et Bonifacius IX. in expedita Bulla: *splendor paternæ gloriæ*, visitantibus Ecclesiam Aluernæ, in festo stigmatum, concessit indulgentiam hanc, quâ Sacra Ædes Portiunculæ gaudet. confórmauit Sixtus IV. Papa, bullâ *Dudum siquidem*, addens Guardianum loci in absentia Prouincialis posse eligere idoneos Pâtres Conféssarios, per quadriduum ante festum stigmatum, cum auctoritate vaticani Confessariorum. augens gratias Innocentius VIII. prædictæ concessioni subscripsit. Contulerunt item *specialia priuilegiorum dona* Aluernæ, Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. Bullis quatuor. Nicolaus IV. aliique Summi Pontifices. quòd vere pluribus,

facer

facer locus stigmatum exaltatus sit, & emineat fauoribus.

III. Sed nec ipsũ singularis prærogatiuæ Concrucifixionis opus, sine dote amplissimarũ gratiarũ elocatum, non sine donis Patriarchæ Pauperum, oblatum. etenim pie magni Doctores adstruunt: *In Beato Francisco per stigmatum impressionem, & transformationem in Christum, peccata omnia venialia de præterito fuerunt ablata, & immunitas de futuro concessa, ne in alia saltem deliberata incurreret. & insuper in certa & determinata materia castitatis fomes extinctus, atque adeò impedimentum amotum, quominus gratiæ Diuinæ responderet.* affirmat idem S. Bernardinus Senensis narratque: *ab omni scoria peccati; fuisse liberatum.* cuius sententiæ pietatem, amplectitur Vbertinus in arbore vitæ inquiens: *Est probabile & multum deuotum credere, quòd Seraphica manus Iesu, tunc illam carnem purgauit, ab omni rebellione.*

* CONCEP n. 318. Did. de Cea. Thesau. L. 1. f. 172

Chron. Seraph. fol: 115.

Lib. 5. c. 4

Extat item vnum ex pluribus magnificum priuilegium, nempe vt Natalitii suo die, sacrorum virtute stigmatum, Purgatorii sinus quotannis adiens, suorum Fratrum animas è pœnis liberaret & astris inferret. vt ipse S. Pater cuidam Fratri, singulariter hoc à Deo exoranti retulit. Antiquitatibus Ordinis, in impressione signorum Christi verba talia, referentibus: *Dedi tibi stigmata mea; in signum quod vexillifer meus effectus sis, & sicut ego in die transitus mei ad lymbum accessi, & meritis ac virtute istorum stigmatum; omnes animas quas ibi inueni extraxi. sic etiam tu vt sis mihi conformis in morte, sicut es in vita, vadas ad purgatorium quolibet anno natalitii tui, animasqae trium Ordinum tuorum quas ibi inuenies eruas, & ad gloriam Paradisi perducas.* Sed & serua Dei *Ioanna de Cruce*, in raptu extatico horarum sex spatio durante, Franciscum cernua vidit natalitii sui

Chron. p. 2. l. 4 c. 29

Pis. L. 3. Conf. 31. fr. 3.

Legend. inscr: El conorte.

die, è purgatorio animarum multitudinem, extrahentem. Reuelatumq; insuper illi fuit: priuilegium istud, vsque ad mundi exitum æternari.

Spec. Frã. Cent. 3. c. 35. Hist. Mõt Ser, f. 90. Arbitrantur etiam nonnulli, & hoc Priuilegium seruo Christi Crucifixi impartitum: quòd ante Resurrectionem Generalem, cum Sacris stigmatibus, ceu in prælia cum vexillo assurget, Crucisque Domini gestamen in manibus suis præferet & Mundo ostendet. Quod signum Crucis in die magni Iudicii futurum non nescimus, Magistrâ nostrâ dicente: *Hoc signum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit.*

* CONCEP n. 319. IV. Ad tam magnorum nondum meta Priuilegiorum. prout enim quinque à Saluatore mundi impressa stigmata, ita signorum Crucis baiuli Canonisatio, *quinque extraordinariis fauoribus* honorificata. *Pri-* Wad. T. 1. fol. 374. *mò*, quod non postremum est, dum in *Patria*, vbi natus educatus mortuusque, solemniter Canonisatus. *Se-* S. Bon. c. 15. *cundo*, cum Summus Pontifex Gregorius IX. personaliter cum tota curia ad hoc munus dignatus sit venire Assisium, atque ipse laudes & vitam, recensendo quæ viuentem adhuc fecisse vidit, aut ex arcta cum eo necessitudine cognouit, dicere & explicare. *Tertio*, Alb. stadens: an: 1228. quod in præsentia ipsius Corporis, sacris stigmatibus insigniti, *quód forsitan paucis aut nullis Canonisatorum euenit*, celebrata solemnitas. adduntque Historici: Pontificem cum Prælatis corpus è tumba leuasse, vt votis Cardinalium & Principum satisfieret; vtque in integro corpore, pulchra Christi Vulnerum vestigia viderent. *Quartò*, ex plurima attestatione Sanctitatis & miraculorum, ab his qui sanctum ante biennium viderunt, cognouerunt, stigmatisatum probarunt. *Quinto*, quòd præ multitudine miraculorum, perfectionis vitæ Religiosæ testimoniisque oculatorum, citò post Obitum,

Obitum, hâc die qua obiit, 4to Nonas Octobris, die Dominica qua sepulturæ cærimoniæ absolutæ, instituta sit & peracta Canonisatio. Quæ circumstantiarum gratiæ, nonne raræ & singulares ? certò raræ charæ & præclaræ.

V. Ad summum denique Priuilegiorum fauorē, referendum: quod *Festum & Officium stigmatum*, chori & Missæ, plurium sit Pontificum approbatione determinatum. *Rem adeò admirabilem ac tantopere testatam, atque in Pontificiis Diplomatibus, præcipuis laudibus & fauoribus exaltatam, Benedictus Papa XI. anniuersaria solemnitate duplici officio celebrari voluit, quam postea lapsam, Paulus V. vt corda fidelium in Christi Crucifixi accēderentur amorem, restituit.* Ipseque Christi Vicarius Sixtus V. manu propriâ Martyrologio Cæsaris Baronii, promulgationem Festi inscripsit: *Commemoratio Impressionis sacrorum stigmatum, quibus S. Franciscus Ordinis Minorum Institutor, in eius manibus pedibus ac latere, mira Dei gratia, in Monte Aluerniæ in Etruria impressus est.* Gregorius item IX. Bullâ quæ incipit: *Confessor Domini gloriosus*, asserit, *B. Franciscum stigmata Domini Iesu, veraciter in suo corpore impressa à Christo habuisse. & hoc tenendum & credendum sub nota Hæresis.* de iisdem plagis Christi impressis agit Bullâ *Gregorius* &c. item Bulla tertia, *Benigna Diuinæ*. atque iterum quartâ. Octo ad inuicem numerat P. Pisanus, Bullarum pro stigmatibus priuilegia. P. Wadingus Historiographus Ordinis, vniuersim citat *Gregorii IX.* Bullas quatuor. *Alexandri IV.* Bullas quinque. *Sixti IV. & Sixti V. Nicolai IV. & Nicolai V. Benedicti IV. & Benedicti XII.* Summorum Pontificum, singulas Bullas. Tres itidem Bullas fauorabiles *Sixti IV.* Papæ, citante R. P. Sedullio. Ex quibus constat, quam eximiis & miris, hono-

rata

* CONCEP n. 320.

Off. stigm Lect. 3.

Wad. T. I. fol. 317.

Lib. 3. Cō. 31. f. 236.

Wad: T. II. fol. 128. fol. 555.

Comm: in vit: ad finem.

rata sunt signa Seraphica Mortis Domini, Priuilegiis.

CAPVT VI.

De 65. Scibili Polimico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Explicationem, Partitionem, Obiectum, Consideratáq; Polimicæ, declarans.*

I. POlimica ex Græco significat, *peritiam curæ militaris*, seu belligerandi, in terra quàm in mari.

II. Bellum ironice dicitur, quasi minime bellum. quòd illud multa mala sequantur; vel quòd Belluarum dilacerantium se sit proprium. ex natura tamen sua, non est malum, nisi illo male vtantur homines. & Iustum, non est absolute malum, licet per accidens mala comitentur.

Miles es & malus es, bonus es, tamen Attale miles.
Miles enim vt canis est: qui malus ille bonus.

III. Duplex esse: *Iustum*, quòd legitimis de caussis, & mediis iustis peragitur. *Iniustum*, quod Ambitio, Ira Auaritia suadent. Iustum, aliud est *Defensiuum*, ad iniuriam propulsandam. aliud *vindicatiuum*, ad iniuriam repetendam. Vtrumque vel *Externum*, cum exteris hostibus. vel *Internum*, cum vel subditi aduersus Magistratum, aut Magistratus contra subditos decertant. quantum ad Externum, aut est *Terrestre aut Nauale*.

IV. In bello iusto, consideranda: *Legitima susceptio belli*, ineuitabili necessitate defensionis, vel necessitate suorum recuperationis, vltione militari. & *Modus Legitimæ susceptionis*, qui exigit *Maturam Deliberationem*: ad fugiendam temeritatem, ad vires proprias & hostium explorandas, ad inuestiganda media belli promouendi perficiendique. item exigit *Adornationem* appara-

apparatus scilicet Personarum & Rerum, pecuniæ, armorum, commeatus. *Indictionemque*, seu Actum publicum, belli gerendi. & *Ciuibus* intimatur, *Hostibus* significatur.

V. Finem Belli primarium esse, Pacem. *Ita bellum suscipiatur, vt nihil aliud quàm pax quæsita esse videatur.* inquit Orator Romanus. Statista Politico monente: *A bello suscipiendo, omnis iniustitia & temeritas abesse debet.* Cic. L. 1. Off; Lips: 5. Polit. c. 3.

INVENTIO. Conceptibus V. *Officium Militare, signa & Auctoramentum, Armorumq; expreßionem, in Concrucifixione Christo repræsentans.*

I. PRofitendum est rationali Creaturæ, *noua bella elegisse* Dominum cæli & terræ, *Deum exercituum, qui constituit tempus belli & tempus pacis:* quando Franciscum Militiæ sæculari deditum, & in Militia vitæ super terram, decertantem, ad spiritualem, in Militanti sua Ecclesia, *quasi castrorum acies ordinata* militiam vocauit. Et cum *armis Crucis* Iesu debellantis infernum roboratus est, ac vulneribus Heroicæ tolerantiæ probatus: eundem *Sancti Belli* Ducem & Antesignanum elegit & ordinauit. *Humilem*, aduersus elatam phalangem superbiæ; *Pauperem*, contra opulentam cohortē Auaritiæ; *Mansuetum*, aduersus furentes centurias irarum; *Amicum Christi*, aduersus Legiones rectorum Mundi, carnis amatorum, veri & boni osorum. Ipsius Ordinis Fratribus, videtur à Propheta dictum: *Confortamini Filii Beniamin in medio Ierusalem & in Thecua, clangite buccina & super Bethacarem leuate vexillum, quia malum visum est ab Aquilone & contritio magna.* Minoritanâ

* CONCEP n. 321. Eccl: 3. 8. Iud. 5. 8. Cant: 6. 3. Ier: 6. 1.

Is. 14. 14. ritanâ enim humilitate, *paruuli Beniamin* appellandi; per *mala Aquilonis*, insultus Luciperi intelligi potest, qui in Aquilone imperium ponere & Altissimo assimilari affectauit; per *vexillum erigendum & statuendum*, designari congrue Seraphicum Patrem illorum, vexil-
Pis. Confor: L. 2. liferum Crucifixi Regis, cuius gratiâ obtinuisse Luciperi sedem, à multis pie refertur. Alloquitur B. Patriarcham S. Bonauentura: *Eia nunc strenuissime Miles*
Vit. c. 13. ¶ 11. *Christi, ipsius fer arma inuictissimi Ducis, quibus munitus & insignitus omnes aduersarios superabis. fer vexillum Regis Altissimi, ad cuius intuitum omnes aduersarios superabis, & omnes pugnatores Diuini exercitus animentur.*

* II. Heroica in Ordinem Militarem adaptatio, si-
CONCEP n. 322. ne auctoramento porrecti & oblati gladii non cele-
Ps. 44. 4. bratur. *Accingere gladio tuo potentissimè*, de cælo dictum. Hic non contentus vaginâ Domini sui, intrat in corda & pectora aliorum; separat à corpore animam; carnem integram diuidit; inebriatur sanguine; victoriasque dat & eripit. In sacris signis, dum *vulneratio, Sanguinis effusio, corporisque diuisio,* cernitur: *effectus gladii* spectantur. Sed & figura ferri acuminosi; ac forma
Miss. Lug. sequent. Crucis in manubrio gladii; & capulum rotundum; in clauis *ferreis similibus*; in acumine cuspidis eorum; in rotunditate superioris capitelli; ac in Mysterio Crucis sanctæ; repræsentantur. Christo impressore sti-
Matt. 10. 34. gmatum, explente verbum suum: *Non veni mittere pacem sed gladium.* Atque sicut Dauid Christi factus figura, post victoriam, amputato capite Gyganti Phylisteo, *gladium* in templo Domini reposuit: ita à Sal-
1. Reg. 17. 1. uatore ipso, *gladius Crucis*, quo caput infernalis Goli-
1. Cor. 3. 16. ath secuit, in templo corporis Francisci, *Templum Dei vos estis*, dicente Apostolo, repositus est. vt vere dicatur assumpsisse gladium Passionis Iesu & verbi Crucis,

iuxta:

iuxta: *Galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Nec sine mirabili euentu, in visione quadam quam refert S. Bonauentura, Frater Pacificus *vidit eundem Crucis Christi Prædicatorem Franciscum, duobus transuersis ensibus valde fulgentibus, in Modum Crucis signatum, quorum vnus à capite ad pedes, alius à manu in manum, per pectus transuersaliter tendebatur.* Eph. 6. 17. Vit. c. 4.

III. Quodsi bellagerentium signi, quo cohortes discernuntur, hostes prosternuntur, speciem velis? in sacris plagis non obscura. vt enim vexillum habet: *vellum purpureum* motu ventorum fluidum, & à summo vertice hastilis defluens; item *Clauos* quibus affixa purpura veli; ac prout per totum vexillum adesse solet expressio *signi Crucis*, more Christianis Heroibus vsitatissimo, ita Christi signifero, adest *purpura defluentis sanguinis*; adsunt *claui* carni infixi; adest per totum corpus, vt in labaro, *signum Crucifixi.* ait doctus & pius Iacobus à Voragine: *Christus dedit B. Francisco stigmata, tanquam arma sua, vexilla sua, testimonia sua, ipsenamq; erat milles Christi, Signifer Christi, Legatus Christi,* idem asserit Bernardinus de Busto: *Dedit Christus sua stigmata B. Francisco, tanquam vexillum suum strenuo Capitaneo.* Hinc congruè apparuit quadam vice, in cælo portans erectum vexillum, sub cuius signo ingens erat caterua Alumnorum Ordinis sui, quos ad Christum offerens Militantis Ecclesiæ subsidiarios, perducebat. * CONCEP n. 323. Ser. 1. de stig. it. 3. St. p. 2. serm. 27.

IV. Tandem illud: *Dedit Ionathas arma suo puero, & dixit ei Vade & defer in Ciuitatem,* in Seraphico Patre mysteriose verificatur. Ionathas enim significans *Donum Dei,* figurat Christum Regem, de quo in Euágelio, *si scires donum Dei,* hic victoriosissimus Ionathas, *Puero* & paruulo suo Francisco, arma sua commisit * CONCEP n. 324. 1. R, 20. 40 Ioan. 4. 10.

& ferre dedit in Ciuitatem : quando arma vulnerum suorum & clauorum hastileque Crucis, impressione donauit. vt deferret *in Ciuitatem* Ecclesiæ Catholicæ, quæ *Ciuitas Dei est.* & in *Ciuitatem Sanctam Ierusalem*, vbi pænes loca Passionis Christi, Fratres eius hucusq; permanent. ac in *Ciuitatem supernam* Curiæ cælestis,

Thes:Ter. S. L. 1. c. 8. ¶ 15. nam deuote probat P. *Didacus de Cea*, cum hisce characteribus resurrecturum, quando & Martyres, cum cicatricibus suis resurgent, Ciuitatem cælestis Ierusalem ingressuri. Et cælestem hanc collationis armorum Christi prærogatiuam, graficè depingit Bernardinus

In Rof. p. 2. ser. 27. de Bustis : *Dedit Christus sua stigmata B. Francisco, tanquam arma camerario suo dilectissimo, vt omnes eum securè sequantur per viam pænitentiæ.*

* CONCEP n. 325. P. Rho. L. 7. c. 5. V. Deuotissimus Vir Ioannes à Cruce, alter Ioannis stantis sub Cruce Iesu, in amore Crucifixi socius, præclaris laudum præconiis celebratur : hic desiderans passi Redemptoris sui dolores, pro possibilitate dolore suo rependere; induebatur laminâ ferrea, descriptis in ea pertuse, Christi passi insigniis, viuam Domini sui dolorũ imaginẽ carni imprimentibus. Franciscus sacra vulnera occisi Agni ferẽs, baptismali nomine prius Ioannes dictus: alter Ioannes Cruce appellandus est. qui

Iob. 7. 1. *in militia vitæ*, non solum vnâ laminâ ferrea, sed aliquot clauorum Passionis Domini ferramento, armatus ex-

1. Pet. 4. 1. titit. Iuxta : *Christo igitur passo, & vos eadem cogitatione armamini.* Expleuitque præcautionem Apostoli :

2. Tim. 2. 3. *Labora sicut bonus Miles Christi Iesu, nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.*

CAPVT VII.

De 66. Scibili Posiocertico.

INFORMATIO. Prænotandis V. Explicati-

plicationem, partitionem, Obiectum, Considerataque Poliocerticas, declarans.

I. POliocertica, seu *Areotectonica*, idest Ars Oppugnatoria hostium, est Architecturæ militaris contentum, præscribens modum minimo damno, loca hostium munita expugnandi. Opponitur ei *Antipoliorcetice*, seu Scientia de Repugnatione, aut Defensione Vrbium & Castrorum.

II. Oppugnatio, aut est *Occulta* aut *Manifesta*. illa, stratagemate vel proditione grassatur. hæc aperto Marte hostem aggreditur. idque vel *incruente*, fame aut alterius rei inopiâ ad deditionem cogendo, donando, vel persuadendo. *vt nuda tantum, talis obsessio vocanda sit*. Vel *Cruentè*, dum tormentis aggeribus & vineis, cuniculisque pyrotechnicis, hostis arctatur.

III. Quoad *Oppugnationis Requisita*, si quis victor salutari velit, duæ res potissimum curæ esse debent, scilicet vel *Obsidione sola, vel Oppugnatione & Obsidione simul*, inimicum premere locum. Ad vtramque vero obsidendi speciem expediendam, condiscere debet Miles *Castrorum suorum Munitionem*, si enim recte constituta sint, intra valum securi milites dies noctesque peragunt, etiamsi hostis obsideat alter. *vt quasi muratam ciuitatem, videantur secum vbiq; portare.* Veg. L. 4. c. 7.

IV. Quoad Modum *Obsidionis incruentæ*, prudens sciat Policeorta: vrbes innumeris potentes incolis, aut immenso præsidio refertas, tutius *obsideri tantum* quam oppugnari. modo vndique munimentis opportune claudi possint, ne auxilia vel annonam recipiant desideratam. Vnde ordienda esset Obsidio, postquam vicinorum vel ruricolarum multitudinem, intra clau-

dendam vrbem cõfugere coegerit; vel adNundinarum aut Festi celebritatem congressos cinget; atque tempore Obsessioni opportuno, quando messis adhuc in herba est, & spes noui anni in fruges nondum adoleuit.

V. Oppugnationis rectè instituendæ, hos esse modos: Exercitus vrbi circumiectus, partiendus in tot manus, quot destinata loca pulsanda; aut necessitas impugnandi, vel suspicio contra anceps discrimen propugnandi exigant. Iam autem quia aditum oppugnantium in vrbem, hostis eminus impedit tormentis, cominus verò obstruit ferro, operibus, vallo: à tormentis hostilibus vt tuti sint oppugnatores, via munitâ & tectâ ad Obsessos accedatur. Obstantem vero, clausæ vrbis loricam extimam: dolabris, terebris, ligonibus, perfringere & perrumpere opus. *Fossa arida*, si quæ erit, vinea occulta & subterraneâ; quod si *Humida*, subdiali & manifesta, superetur. Tandem, quoduis vltimum victoriæ obstaculum, *Cuniculis dissiciatur*, seu perforatione murorum subterraneâ vi, igne pulueris pyrii suppositi accensione; aut fundamentorum muri euersione; aut parietum succisione.

INVENTIO. Conceptibus V. *Impugnandi instrumenta, Ideam Obsessionis, Cuniculos Militares, machinasq; Bellicas: in Concrucifixione Christo repræsentans.*

* CONCEP p. 326. I. BAbylon magna, cæco populo & confusione plena: *Ciuitas Mundi.* proteruo consistit & erigitur colo, ad inferendam iniuriam cælo: & innixa

funda-

fundamentis superbiæ, grandique præsumptionis eleuata mole, ipsum aduersus Deum, calcando mandata eius & post carnem eundo, inflatur sæpius & rebellisat. Ad hanc humiliandam in spiritu recto, subiiciendamque clementissimo Orbis totius Omnipotenti Monarchæ; Christi gratia, submissum & humilem, *humiliatione ad mortem Crucis suæ*, seu vulnera Crucis, elegit Franciscum; dumque ea impressit carni eius, quasi *Poliocertam*, oppugnatoriis machinis instruxit & roborauit. Quemadmodum enim ad altos rebellium Urbium, deiiciendos muros, duritieique illorum dissipationem, machina *cornuti* adaptatur Arietis. qui trásaltare non valens, fronte parietem tundit valide; cornibusque ferreis impactis saxa confundit valde; ferit & aperit. *Ordinabis aduersus eam Obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.* Similiter in plagis Concrucifixionis: ob ferramenta clauorum, quorum acumina *inflexa, retorta, procedentiaque à capitello claui*, vt cornua à *capite arietis* emanant: ferrea cornua arietum, reflexos cuspides gerentia, videre est. Quod illa quaterna cornua, comminuentia, conspectui Prophetæ repræsentata, (quatuor Clauis infixis) exprimi videantur. *Vidi & ecce quatuor cornua & dixi ad Angelum qui loquebatur in me, quid sunt hæc? & dixit ad me hæc sunt cornua quæ ventilauerunt Iudam & Israel & Ierusalem. insurgentium nimirum contra Deum.* Ezech. 4. 2. Zach. 1. 18.

II. Vrbe Ierusalem Omnipotenti Fundatori suo recalcitrante, mandatum est de cælo Prophetæ, bellum vt indiceret, à ferro igneque imminenti præcaueret: *sume tibi laterem & pones eum contra te, & describes in eo Ierusalem, & ordinabis aduersus eam obsidionem.* Qua descriptionis obsidionalis idea, vir Seraphicus exprimi potest. * CONCEP n. 327. Ezech. 4. 1.

potest. Lateris enim terra excocta, ardore & igne Charitatis exusta caro eius, congrue appellari potest. ad describendum aliquid, (vt recentes lateres emolliuntur aquâ) lachrymis fonteque pænitentiæ emollificata. In illo, *descriptam esse Ierusalem*: scilicet JESV Passio, peracta in Jerusalem, atq; Crucis vulnera ibidem perpessa. Porrò quænam descripta esset *Obsidio* eripiendæ Jerusalem? certè non alia, nisi mysterium ereptæ à Saracenis Jerosolymæ, aliquando a Patriarchæ Minorum Fratribus, prout præsentia monstrant tempora, inhabitandæ.

* CONCEP n. 328. III. Cuniculo quoq; subterraneo, Urbium & Arcium propugnacula eijciuntur & eruuntur. cùm in effosis terræ cauernis impositi pulueres pyrij ac sepulti, igne admoto impetuosè resurgunt, arces mænia, turres cadere faciendo. Princeps & bellator fortis, Christus JESUS, in terrea substantia corporis Francisci, dum profunda essodit vulnera, militarium instar cuniculorum illa effecit; atq; pulueres ignitos *amoris Seraphici & feruoris Apostolici* supposuit, accenditque. vt immersos terræ homines, animos de terrenis tantum, non de cælestibus cogitantes, tolleret in altum, è terra leuaret, sursum erigeret, curâ serui sui, Zelatoris animarum pretioso sanguine JESU redemptarum. De Seraphico igne, è foraminibus Stigmatum erumpente, ait S. Bernardus: *O quanto amore Franciscus ardebat, cui amplissimi cordis regio non sufficit. quin ipsa flamma amoris, euaporaret per quinque corporis sui aperturas.* Serm. 6. T. 3. c. 1.

Annal. Minor. an 1230. Nec absq; magno mysterio est, quòd ad hæc vsq; tempora, sub terra in Sepulchro, Corpus B. Patris, stans erectum, incorruptum, patentibus plagis Christi permaneat. ita conspectum est palpatumque anno 1449. à NICOLAO V. Summo Pontifice, tunc Assisii commo- Wad. T. 1. fol. 16.

commorante, in præsentia Austergii Cardinalis, ac Episcopi cuiusdam Galli, Dominique Petri de Noceto, & Guardiani Loci cum tribus Fratribus. Visum autem est, supra basim marmoream Stare, facie ad occasum tendens, oculis eleuatis in cælum, manus simul iunctas habitu manicæ cooperiens. & totum corpus erat incorruptum, acsi hac die foret depositum, sicque splendidos gerebat oculos, vt nulla à viuis esset differentia. insuper odorem suauissimum exhalabat. Et concludit adnotato scripti sui, Astergius Cardinalis, oculatus testis: *Erat in pedis Sancti medio, foramen cum sanguine ita recenti, vt si tunc mucrone pes fuisset confossus. cuius quidem rei aspectu singultus magnus omnes arripuit. Omnes autem ante recessum è loco, osculum dedimus Sancto pedi. omnesque pariter ob odorem refocillati sumus. Pes vero alius fimbria habitûs operiebatur, nec nobis visum fuit illum violenter arripere. Manus similiter perforatæ vt pedes cernebantur, recentem sanguinem ostendentes. O igitur memoria profundæ nostræ Redemptionis! in seruo intueri, quæ in Redemptore prius fuerant. Et quis nostrum qui ibidem aderamus, ausus fuit amplius sacrum corpus tangere, nisi solus Summus Pontifex, ipse enim manus eius pretiosas osculatus est, osculumque sacro ori dedit. à quinta vero noctis hora, vnde ad vndecimam illinc mansimus suauissimo odore repleti. Cum vero à narrantibus nuntiatum fuit nobis, propediem esse, doluit quam maxime. visum enim erat nobis, prope diem existentibus, per horam fuisse,* hactenus ille. Saluatore Mundi, sub terra quasi *viuam scintillam in cinere*, stigmatisatum Amici sui corpus, ad leuandam seraphico igne terram, terræ cultores sursum eleuandos sustolendosque, conseruante.

Ribad. l. Vit. B. Fran.

Chro. Aiu fol. 184. Did. de Cea Thes. L. 1. fol. 178.

IV. *Tormentum maius*, seu Balista, instrumentum oppugnationis, non minus esse: *tonitru* est dum fulminat;

* CONCEP n. 329.

minat; *ignis de cælo cadens*, dum fulminando ruinat. Hoc formam Crucis præfert, lignum enim teres, circa quod rotæ tormenti thecæ voluuntur, seu Axis, transuersam partem Crucis denotat. Tormenti autem posterior pars, ad accendendum ignem, non est sine foramine. Corpus stigmatisatum, similiter instrumenti huius præfert speciem: quia *& Cruce signatum; & vulneribus perforatum; & flamma Seraphica succensum*, eiaculabatur tonitrua Zeli Dei, Amoris Dei, prædicationisque flammigeræ. Ait P. Philippus à Dio: *Eiaculatoriis orationibus feruebat Franciscus, quasi ardens rubus Moysis, aut fornax tres innocentes non adurens pueros, vt in maligno seu malo igne mundum positum, Christo in Sacrificium combureret consecraret.*

Serm. 6. de Patientia.

V. Oppugnationes Vrbium heroicis actibus, plurimæ collaudantur. omnium tamen inusitatissima erat, Mundæ, à Cæsare circumuallatio. etenim in vallo, pro cespite cadauera collocabantur, item scuta & pila, ordinata ad oppidum hostium conuersa vniuersa. vt timoris virtutisque insignia proposita viderentur, & vallo circumcluderentur aduersarii. Cæsar in Cruce cæsus Iesus Christus, vt mortales incolas mundi, dulci iugo suo subiicieret; vt adhærentes carni ad se attraheret; simili vallo in impressione stigmatum vsus est: dum effosa terra corporis eius, *ex mucronibus clauorum*, vallum composuit & septa instituit, *speciemq; mortis suæ* exposuit. idq; ad subiiciendum hominem, pretiosissimo sanguine in Cruce effuso redemptum.

* CONCEP n. 330. Chron. Cæs: de Bel, Hisp.

CAPVT VIII.

De 67. Scibili Pyrotechnico.

INFORMATIO. Prænotandis V. Ex-

plicationem, Partitionem, Obiecta, consideratáq; Pyrotechniæ, declarans.

I. PYrotechnica, intelligitur ars pyrii conficiendi pulueris, è sulphure salisnitro carbonibus. ad varios belli vsus, recreationisque politica spectra.

II. Perficitur confectura ex tribus materiis specificatis, vt vna alterius vel reliquarum duarum, defectum suppleat. *Sulphur*, subitò concipit ignem & esca eius est. *Salnitru*, alendo, ventosam violenter producit exhalationem. *Carbones*, fouent flammam & conseruant, & eò magis, dum à vento aliquo vexatur.

III. Opera Militaria artis Pyrotechniæ, non temulenti Bachi esse iras, sed vera fulmina Martis. vt sunt *Globi igniti & Granata manualia*; vis eiiciendi globos ferreos plumbeos lapideos; *Pluuia ignita*, ad incendenda obsessarum ciuitatum ædificia, quæ missa in meridie, sole feruente accenditur, in nocte autem terribilior est; *Grando pyrica*, quæ ex silicibus acutis, lapidibus ouo similibus, ex crustisque ferreis, glandibus minoribus plumbeis fit, in pixide è tormento emissis; *Globi venenati*, impositione succi aconiti, venenique varii, ac mixtione aquæ mercurialis fætidæ compositi. Vt traiectu & transmissu vrbs inficiatur, qui globi capita fætida vel mortua dicuntur; *Sphæræ item ferreæ*, quarum circumcirca foramina canalibus repleta, onusta globulis paruis, & minuto puluere granulato, multos feriunt; ac *Globi occulti*, qui clam quopiam reconditi, destinato tempore producunt suos effectus; *Globique igniti catenati*, ad deiiciendas turres, nauium erecta opera, funes turbandos, vela adurenda, opportuni.

IV. Politicæ Pyrotechniæ spectra sunt: *Rochetæ* vel

vel Pyroboli, *Globi igniti*, in aqua natando ardentes*, item *Odoriferi saltantes* super horisontale planum, & lucentes vt stellæ. Item *Pluuia lucida*, *Nubes ardentes*, *Literæ nominum in àëre scintillantes*, *stemmata fulgentia*, *Personæ ignem vibrantes*, quæ omnia pyrio efficiuntur puluere, mixto & attemperato.

Sabel: & Polyd: de Inu; Rer. V. Inuentorem pyrii pulueris, Germanum quendam fuisse Bertholdum Chymiæ peritum, qui domi suæ, in mortario puluerem sulphureum causâ Medicinæ lapide conterens, è siliceque casu ignem excutiens: dum scintilla subiectum puluerem tetigisset, lapidem in altum efferret, fistulam bombardæ fabricandi, puluere implendi flammasque admouendi sumpsit motiuum.

Stamph. L. 3: Helu. Actuum.

Dum parat humano generi, Chymista medellam.
Sulphura mulciberis, vi sale mista coquens:
Mulciber ostendit mortalibus, acre venenum.
Quo nullum letho, corpora plura dedit.

INVENTIO. Conceptibus V. *Specimen igniti pulueris, Modum conficiendi, qualitatem & effectus: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP n. 331. I. NOn admirationis excessu, sed gratiâ informationis, prolatum est: *ecce quantus ignis, quàm magnam syluam incendit.* (Iac. 3. 6.) parui enim pyrii pulueris grumuli, interdum sunt causæ magnæ stragis populi, & vrbium tumuli. Franciscus, puluerem se & cinerem reputans, cum patientissimo virorum *in puluere dormiam* (Iob. 7. 21.) practicans, dum *minutissimo pyrico pulueri* comparabitur, cui inferret admirationem? *paruitas* enim granorum illius, Minorum humilitate exprimitur; *materia terrea*, corpo-

corporis eius substantiâ de terra; *Color carbonum niger*, clauorum nigredine, & violaceo vulnerum liuore; *diuisio granorum adinuicem*, vulnerosâ diuisione membrorum, apprimè denotantur. Vtque puluis pyrius igne fomentatus, eleuat pondera, mittit & tollit in altum grauia: ita stigmatisatum ponderosum naturâ corpus, igne Seraphicæ Charitatis accensum, sursum sæpe numero attollebatur. refert Historia Ordinis: *Eleuabatur in altum raptu & extasi, quod altissimas arbores transcenderet.* Nec sine arcano contigit, quòd Virgine Sancta Clara expostulante, vt coram sororibus suis concionaretur, rogauit cineres: ex quibus conficiens orbem in medio stetit, & caput conspergens cinere dixit: *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.* nullisque vltra prolatis verbis abiit. Sorores irroratas lachrymis igneq; amoris Dei, ac humiliatis affectu, *puluere illo*, ardentes efficiens. Wad. T. 1. fol. 123. Pet. Posin. Chron. P. 2. L. 2. C. 13.

II. Sed & Modum & Instrumentum, confecturæ sulphurei pulueris, in mysterio stigmatum videamus: * CONCEP. num. 332. Aquæ impetu, versatilis rotunda machina mouetur, demittens eleuansque alternatim plures ferreos pistillos, in æneis pilis, carbones sulphurq; cum Salnitro contundentes. Hic quoque similia. pro *rotunditate Molæ*, est rotunditas vulneris volarum & plantarum; pro *aqua mouente molam*, sunt lachrymæ vel fluxus sanguinis; pro *ferreis pistillis*, claui infixi ferreis similes. Vtq; Altissimus confectiones odoriferas, in tenuissimos redigere pulueres præcepit Moysi, ad adolendum coram se thymiama. *cũq; in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonii, in quo loco apparebo tibi.* Exod. 30. 36. ita Francisco apparens Deus homo, vulneratam carnem eius, quasi in tenuissimum, *malleo clauorum Crucis* contusum puluerem, posuit in *Tabernaculo*

naculo Ecclesiæ suæ, in *testimonium* memoriæ Mortis eius, ad accendendum ignem amoris Diuini, *in odoremque suauitatis.*

* CONCEP n. 333. III. Constat vniuersis, quàm faciliter puluis pyrius suscipiat ignem, quamque difficulter in ipso & ab ipso accensus, extinguibilis sit. Corpus Francisci, naturaliter terra & puluis: *Recordatus est quoniam puluis sumus,* ait de Creatore nostro Sanctus Psaltes. an vero pulueres carnis eius fecerunt obstaculum, quominus anima tota, flammis Charitatis Diuinæ accenderetur illo *igne* Christi, quem *venit mittere in terram,* respondet S Bonauentura: *sic vtique factum est, vt ignis ille Diuinus, adhuc perfectius ipsius æstuaret in corde, vt post patentius euaporaret in carne.*

Ps. 102. 15

Vit: c. 10.

* CONCEP n. 334. IV. Quemadmodumque accensus, flammigerus puluis, fulminat pyrobolos, tela flammas vomentia, accendentia, comburentia, Vibrat: pari modo ardens in carne Seraph, multos ad amorem Passi Iesu inflammauit. accendens ignes deuotionis & virtutum; comburens scandala & sæculi vitia. Spiritui cælesti Apocalyptico: *& accepit Angelus thuribulum & impleuit illud de igne altaris & misit in terram,* recte assimilandus Franciscus. annuente Doctore Seraphico: *Angelicis spiritibus ardentibus igne mirifico, ad excedendum in Deum, & electorum animas inflammandas, inseparabilis erat amoris vinculo copulatus.* Sed & *Sulphureum* S. Pater, in malos vibrauit ignem. nam Frater Ioannes Estyta tractans studia speculatiua, absque eius licentia & benedictione, cum benigne admonitus, ne spiritum extingueret deuotionis, contemneret. lata maledictione publica, *lapide ignito sulphureo* de cælo cadente, transfixus & occisus est, eadem hora miser exhalans animam,

Apoc. 8. 5

S. Bō. Vit. c. 3.

Posn: P. 1. L. 2. c. 23 Chron.

mam, & tetro vniuersa replens odore. *Deo ignito ferientes.*

V. Effatum sacri textus: *Bonum esse viro cum portauerit iugum ab Adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit* super se, ponet in puluere os suum, si forte sit spes. in viro Apostolico verificatum, non solum enim *in Adolescentia vitæ*, iugum Christi sustulit; sed in Adolescentia quoque *Minoritanæ Humilitatis.* & posuit *in puluere os suum*, in puluere cinereæ vestis, flammigeros zeli prædicatorio ore, ad accendendum amorem Dei, spirans ardores, puluerisque pyrici rogos. * CONCEP n. 335. Th. 3. 178.

Sed rem sacri textùs, clarius enarrat miranda relatio; Frater Petrus Tecelanus, Tertii Ordinis Alumnus clarus Sanctitate, Anno 1289. Senis mortuus, inter Reuelationes diuinitus sibi factas, vidit quadam vice Angelos minuto puluere aspersisse Ecclesiam, Christumque, relictis vestigiis in ipso, ad altare maius perrexisse. post illum venit sacratissima mater eius, iisdē plane vestigiis inhærendo, Apostoli Sancti similiter formæ impressorum vestigiorum pedes gressumque adaptando, perueniebant ad Dominum. Postea Fundatores Ordinum & Viri Sancti sequebantur, sed non tam perfectè, aut enim magis aut minus inhærebant, alii non implebant. tandem venisse vnum pauperem, qui cernens obliterata vestigia Domini: manibus *sufstuque oris amouebat pulueres*, satagens renouare pristinam formam vestigiorum Saluatoris, quibus adamussim insistendo perfecto itinere primo, accessit ad Thronum Iesu, ante Altare maius sedentis, honorificentissimèque susceptus. Quâ visione declaratum: Franciscum vestigia vitæ Christi, puluere antiquitatis, variarumque formularum vitæ obscurata, Apostolicâ Re- Petr. Posm 2. p. L. 5. c. 7.

gulæ

gulæ suæ vitâ, *vulnerum Christi in carne eius impressis vestigiis*, renouasse & è pulueribus extulisse. vt profecto verificetur in illo Prophetæ: *ponet in puluere os suum, si forte sit spes.* quia renouationis vitæ Christi & Apostolicæ aliquando, in ipsius vita, & institutionibus eius Ordinis, *spes renouata & adimpleta.*

Th. 3. 27.

CAPVT IX.

De 68. Scibili Armamentarico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Explicationem, Diuisionem, Obiectum & Considerata Armamentariæ, declarans.*

I. *ARmamentaria* : esse Reipublicæ promptuaria, conseruandi & subministrandi, instrumenta belli, in obuia quaque necessitate.

II. *Vallo proximis plateis locanda.* vt arma inde tormentaque ad improuisos vsus educi inducique promptè possint. *Diuersa quoque, in diuersis vallo proximis locis extruenda.* ne sub vnum fortunæ ictum, totas vrbis vires cadere prudens gubernator permittat, si forte vnum aut alterum, incendiarius hostis vel fulmen, vel aqua, aut aer nimis humidus, corrumperent; vel incuria nostra, aut tempus edax destrueret.

III. *Conditoria Armorum* duplicia esse : Annonæ Militaris, & Martis operum. *Prima*, repleta sint non solum victualibus, ad conseruandam firmam valetudinem Militantium, sed quoque ad inualidam fouendâ, erigendamque. In *Altera parte*, suo ordine reponantur *Tormenta ænea*, maiora & campestria ; *Tormenta manuaria*, Equiti & pediti, tam leuis quàm grauis armaturæ

maturæ apta, quæ *fistulas, vel tubos, aut sclopeta, musquetta, carabinos*, vocant communiter. Item Armorum & telorum genera: gladiorum pugiones, frameæ, hastæ, lanceæ, clauæ, flagella præferrata. Arma item ad *ictus excipiendos*, valida: Galeæ, loricæ, pectoralia, thoraces. atque Ephibpia, fræna, soleæ, &c. aliaque ferramentorum & Machinarum opera: harpagines, vnci, corui rostra, faces, funalia, ferreæque trutillæ, ad fortuita nocturna illuminanda, aliaque diuersa.

IV. Quantum ad Tormentorum & Mortariorum Martialium Vsum, adesse debent: pilæ ferreæ, globi, mala martia, ac glandes plumbeæ omnis generis; plũbique copia ad fundendos globos, in matricibus præparatis; puluis nitratus, & requisita fomitum incendiariorum; pyroboli ad incendia præparati, tam manu quàm instrumentis missiles. & alia quæ *arcendo igni*, sunt necessaria; Fossoribus & Cunicularriis peropportuna; atque ad *Fabricæ vsum* spectantia, asseruari debent & comportari.

V. Debent autem Armamentaria, *laqueata* esse; fornicibus firmis munita; & sollicite tecta: contra vim aquæ ignisque, atque portis fideliter custodita; firmiterque clausa: contra vim astutiæ & potentiæ.

INVENTIO. Conceptibus V. *Fortis Loricæ specimen, scutum arcum & sagittas, tormentaq; militaria, in Concrucifixione Christo repræsentans.*

I. ROma ferox victoriis & Orbis Domina, sumptu maximo *Armamentaria* conferuauit. & cura Iulii Cæsaris enixa adeo emicuit, quòd præcellentia ali- * CONCEPT. n. 336.

 is, &

is, & locupletiora apparatu Militari instituerit. Omni-
Comm:in Vit: Aug. c. 10. potens Regum Christianorum Imperator, Christus Ie-
sus, *Romam*, *Capitis visibilis Ecclesiæ militantis*, *ordinari-
am sedem*, vt sacro armorum præsidio roboraret: instar
Armamentarii Militaris, Corpus Francisci, stigmati-
bus Crucis impressis, efformauit & armauit. Quòd
iuxta Apostoli consilium, *state ergo succincti Lumbos ve-*
Eph.6.14. *stros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes
in præparatione Euangelii pacis.* mysterium Concrucifi-
xionis, repræsentet Loricam. prout enim *è circulis fer-
reis contextis ad inuicem* paratur, sic vt vnum ferrum
transeat aliud, vnitiuumq; fiat alterius: ita vulneribus
Crucis armatum Corpus, non aliud præfert, nisi for-
tium tegumen, *Loricam.* circulos sphæricos, *rotundita-
te plagarum*; materiam ferri, *clauis ferro similibus*; trans-
fixione vtramque partem diuisam carnis, coadunatibus.
Ier.46.4. Verificatum in viro Dei: *Præparate scutum & clypeum,
& procedite ad bellum, iungite equos & ascendite equites,
state in galeis, polite lanceas, induite vos loricis.* Porten-
debat id ostentum illud mirificum, quando ante con-
uersationem suam:

Hymn.Offic.stigm. *Crucis arma fulgentia, vidit Franciscus dormiens.*
Christum dicentem audiens: tua erunt hæc omnia.

apparuit autem palatium speciosum & spatiosum, mi-
litaribus armis Cruce signatis, instructum repletumq;,
Wad:app. Ann. T. 1. initio & vox sonabat: sua fore & militum suorum. Vnde
faustum sumens omen, munere militiæ magnam se
consecuturum dignitatem & nomen, cor militiæ sæ-
culari apposuit, equos & arma parauit, ascendit, per-
rexit. At Deo retrahente, cum intellexisset non sæ-
culi sed contra sæculum tractanda bella: illa negle-
xit, hæc dilexit. Conseruator *armamentarii Crucis* fu-

turus,

turus, milesque armis Crucifixi Domini Iesu roborandus muniendusque.

II. Scutum, quis negabit inter arma militaria præcipuum esse? quod & militem reddit tutum; & olim Romanis in pugna amisisse flagitium fuit, vt sacris & publico excluderentur; Lacædemoniis verò vsque adeo probrosum habebatur clypeum abiicere, quòd infami nomine *Rhipsaspides* vocarentur. Vulnera Francisci Christo Concrucifixi, manuum & pedum, *instar* scuti rotunda. Vtque *circumcirca*, partim decoris partim roboris gratia, scutum impactos clauiculos habet, sic stigmata non sine clauis infixis. In *scuti medio* cauitas est, ad caput pectus manum tegendam: hic medium sat patulum vulneris in latere spatium, *Cor* intra tegens. *In omnibus sumentes scutum Fidei. in quo positis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

* CONCEP n. 337. Sabell. L. 2. Ene. Plut. in Lacon. Apophr. Eph. 6.16.

III. Quoad armaturam manuum Militis, de quibus extat illud: *Nobiles eorum in manicis ferreis:* tenent eandem Francisci manus. Vt enim chyroteca militaris intus est excauata; vt extra ferro tecta, ita profunda stigmatum vulnera, & ad extra clauis, *ferreis similibus*, armata & roborata. Fortis Ductor Minorum, *dextrâ licet & sinistrâ* vulneratus, exhibuit se dignum Euangelii Ministrum: *in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ, à dextris & sinistris.* ait D. Bonauentura: *Totum viri studium tam publicum quàm priuatum, circa Crucem Domini versabatur, & vt Crucis signaculo, cordi eius à principio suæ conuersionis impresso, corpus consignaret exterius, in ipsa se Cruce recludens, habitum pænitentiæ sumpsit Crucis imaginem præferentem. quatenus sicut mens eius intus Dominum Crucifixum induerat: sic & corpus eius indueret arma Crucis. Et in quo signo Deus potestates debellarat, in eodem exercitus suus militaret.*

* CONCEP n. 338. Ps. 149. 8. 2. Cor. 6. 7. Vit. c. 16.

IV. Armamentaria Fortalitiorum, præter tegumenta corporis Militaria, manualia quoque arma, & inter ea *Arcûs fortium & sagittas acutas*, seruat & custodit. Plagæ Sacræ-stigmatum, *sagittis* non absimiles; nec absque mysterio *reconditorii arcus*. etenim vt continent *ferrum* acuminatum sagittæ, *in similitudinem p ruæ lanceæ*; vtque alas agglutinatas ligno habent: ita vulnera Francisci, non sine ferro similibus clauis; non sine effectu lanceæ lateri vulnus infligentis; non sine pennis sex alarum Seraphicarum, *quarum velo tectus Christus*, imprimens apparuit. Vt verè sint, *sagittæ potentis*

* CONCEP n. 339.

Ps. 119. 4. *acutæ cum carbonibus desolatoriis*. carbonibus inquam ardentibus: *Amoris Seraphici & Feruoris Apostolici*. Alloqui potest Saluator seruum suum: *Ecce sagittæ intra te sunt*. intra, idest in corpore tuo, quasi *in pharetra* reconditæ. & seruus alloqui Dominum suum potest: *sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*.

1. Reg. 20. 22. Ps. 37. 3.

Ps. 17. 35. Quantum ad *Arcum*, symbolum Crucis Christi referentem, dicente Propheta: *Posuisti vt arcum æreum brachia mea*. mysteriosâ renouatione vulnerum Iesu, omnibus innotescit iuxta: *Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea restaurabitur*. Et sensit impugnans stigmata, vim sagittæ, quidam Prælatus, nomine Rogerus, Clericus, prope *Potentiam* Apuliæ ciuitatem. nam cum cæpisset de mysterio dubitare, subito in palma sinistræ manus, sub chyrotheca, grauiter se sensit percussum, *quasi spiculo sagittæ*. atque detractâ, plagam in medio manus conspexit. & grauì stimulatus dolore, dum incredulitatem abominatur, sanatur.

Iob. 29. 20

S. Bon. Vit. c. 13.

* CONCEP n. 340. Arg. Bock L. 4. V. Prudenter & facete Gustauus Rex Suecorum, in quadam Vrbe Germaniæ gladio capta, cum reperisset maiora tormenta bellica, duodecim Apostolo-

rum nominibus insignita, dixit: producantur in Orbem, vt sonitus eorum vbique audiatur, cur in tenebris armamentarii delitescunt, quorum vox mundum totum replere debet. alludens ad dictum Apostolis: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium.* In Francisco, exprimenti locum armorum congregatorum, circumstantiasque instrumentorum Belli, sonitu prædicationis simili Apostolis, vel vt dicit Ecclesia, in *viro Apostolico*, Christus passus per totum Orbem intonuit, quasi maioris tormenti boatu, sonituque. sicut Apostolorum, *in omnem terram exiuit sonus.*

Mar. 16. 15.

Ps. 18. 5.

CAPVT X.

De 69. Scibili Stratagematico.

INFORMATIO Prænotandis V. *Diuisionem, Obiectum consideratáque stratagematica, declarans.*

I. STratagema, significat calidum & occultum ad nocendum hosti consilium aut actum. Estque peritia bellica astuti sed egregii militaris facinoris, plus arte quam marte; consilio inuentione, quàm vi & armis, hostes impugnandi.

II. Denominari potest: *à stratione immani hostium.* quòd magis, improuise & inopinate prosternantur. vel *à strati gemitu.* dolentis de incauta prostratione sui.

III. Stratagema *respectu Loci*, est *Cauernarum*: in fossis, scissuris, puteis, insidias parando; *Aquarum*: paludibus, stagnis, fluminibus, improuisè vel ficta deductione coarctando; *Angustiarum*: inter arcta monti-

um, petrarum, camporum, hostes deducendo; *sylua-rumque*: inter arbusta delitescendo, arbores succiden-do & incendendo pro interitu Aduersariorum. *Ratione autem Modi*, multiplex: *secreta consilia hostium inuestigando; tempus proprium præueniendo; fugam simulando; conuiuialiter tractando; munera præstando; copias magnas excogitando; victu & pascuis priuando; arma insolita fabricando; venena ignesque submittendo; actionesq́; simulando.*

Vern. Inst. Polit. L. 4. & 534. IV. An stratagemata strenuum Imperatorem Belli deceant? sententia varia, sequens ratio suadet licet non determinat. *Cum perdere fas sit hostem, parum refert vi occulta vel aperta perdatur. nec quisque hostem monere debet, vt sibi caueat aut se muniat, multominus suæ defensionis consilia illi manifestare.*

V. Elogium stratagematis non inelegans: *Quid iucundius & vtilius potest esse, quam parua manu multos; debili vi fortissimos superare. Et rectæ inuentionis militaris opus est, vnius capitis prudentis consilio, innumera hostium in discrimen adducere capita.*

INVENTIO. Conceptibus V. *Stratagemata militaria, eorum loca opportuna, Gedeonis astum bellicum, vimque occultorum armorum: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP n. 341. I. STrenuum & magnimani militem, licet apertò marte certare deceat, & arte tamen militari prosternere hostem non dedecet. sic *Abraham* noctè ir-

Gen. 14. 15. ruens & ex improuiso, Sodomorum & Comorrhæ

Gen. 34. 25. vastatores oppressit. sic *Simeon & Leui* sororis Dinæ stuprum,

stuprum, necatis ex pacto circumcisis die quo grauissimus adstrinxit hostes dolor, vlti sunt. Sed hi quæ sua sunt quæsierunt. Dextera Omnipotētis, fideles sæculo & rebelles cælo animas, vt à malo auelleret, & ad bonum infinitum aliceret, Francisci *stigmata* fecit *stratagemata*. Quemadmodum enim Annibal, cum Romanis ad Cannas gerens bellum, aliquot equitum centuriis transfugere consuluit. Front. L. 13. strat. qui ad fidem faciendam gladios & scuta tradentes, in vltimum agmen sunt recepti. Vtque primum concurri cœpit, strictis minoribus quos occultauerant gladiolis, scutis iacentium assumptis exercitum ceciderunt, victoriamque ad suos secum migrare fecerunt. Ita Dux inuictissimus Iesus, ad debellandum Mundum contrarium sibi, fugam mundi inspirauit Francisco, *Fugientes eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem.* 2. Pet. 1. 4. qui in vltimis Castrorum Dei agminibus, præ Minoritate Ordinis sui, positus, *occultatis* in corpore suo Passionis Domini *clauorum infixorum ferramentis*: feliciter mundana corda oppugnauit, reddens illa cælo eripiens terræ cæno, ac tenebrarum Principi. vt charitate Dei vincta, à vitiis non forent victa. cum milite Christi Apostolo, gloriari potest: *Cum essem astutus dolo vos cæpi.* 2. Cor. 12. 16.

II. Profundæ & vacuæ luminis *fossarum caucæ*, insidiantes occultando milites, altæ victoriæ & luce famæ clarescenti deseruiunt. * CONCEP. n. 342. ita Iosue demoliturus Vrbem Iericho, in occultis locis collocauit insidias, *& ex aduerso Ciuitatis quæ latebant insidiæ, surrexerunt confestim & pergentes ad Ciuitatem acceperunt, & igni dederunt eam.* Iosue 8. 19. Israelitæque tribum Beniamin deleturi, latibulis insidiosis vsi. Iud. 20. 36. *dederunt eis ad fugiendum locum, & vt præparatas ad insidias deuenirent, quas iuxta vrbem posuerant.* In corpore stigmatisato, profunditas & obscuri-

ſcuritas vulnerum, inſtar latibulorum facta. in his occultata ſerui Dei anima, animosè contra hoſtes vitæ æternæ, certamina geſſit. Vtque Ioſue & Iſrael inſtructis inſidiis, Victoriâ potiti ſunt. ita Franciſcus prædicatione & exemplo virtutum, ac mira efficaciâ conſpectorum vulnerum, ſtrauit acies ſuperbiæ Auaritiæ Luxuriæ. ait Bernardus Gomeſius: *Franciſcus peſtilentiorem auaritiam & vitæ ſuperbiam, hanc: quâ nihil Deo eſt odioſius, innocentis perhumiliſq; vitæ exemplo; illam: quæ radix eſt omnium malorum, paternâ hæreditate ſpretâ, domandam oſtendit.*

In Vit. Iacob. Arag. L. 2. f. 36.

* CONCEP n. 343.

III. Sed & illud Gabaonitarum ſtratagema, non poſtremæ eſt laudis. hi ad ictum gladii Ioſue deuitandum, *callidè cogitantes tulerunt ſibi cibaria, ſaccos veteres aſinis imponentes, & vtres vinarios ſciſſos atque conſutos calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetuſtatis, piтaciis conſuta erant, induti veteribus veſtimentis, panesque quos portabant ob viaticum, duri erant & in fruſtra comminuti, perrexeruntque ad Ioſue.* & feliciter, dum enim ſic perrexerunt, pacem ſuis porrexerunt. In Conſ crucifixione, ſimilia cernere licitum eſt: *Ioſue, Ieſu figura fuit, hunc iratum exorbitanti vitiis Orbi, & tribus ſagittis ignitis conficere volentem,* prout in viſione facta Romæ declaratum. Vir Dei *ſtratagemate Gabaonitarum* placauit pacemque reportauit. etenim pro fragmentis duri panis, & in *fruſtra comminuti,* panem aſſumpſit emendicatum, fragmentaque Menſæ Benefactorum, decidentia; pro *ſaccis veſtimentorum atritis & ſciſſis,* perantiquiſque calceamentis, aſſumpſit vile repetiati Habitûs pannum, atque diſcooperta calceamenta. Humilis autem ad Ioſue Gabaonitarum peroratio: *ſerui tui ſumus,* an viri Dei humilitate & ſubmiſſione non exprimitur? Gabaonitæ, Ioſue imperio, *erant cunctis di-*

Ioſ. 9. 4.

Wad. T. 1. fol. 7.

Ioſ. 9. 23

ctis diebus in ministerio populi & altaris Domini, cadentes ligna & aquas comportantes, ille Christiano populo prædicatione seruiebat, *in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia in tribulationibus in necessitatibus.* & in Ecclesia deferebat cæsa ligna, mysterii *ligni Crucis; Aquasque,* pænitentiæ lachrymarum. 2. Cor. 6. 4.

IV. Victoriosissimum Gedeonis stratagema, quo in dispergendis Madianitarum castris vsus est, hìc quoque exprimitur. *incipientibus vigiliis noctis mediæ, & custodibus suscitatis, cœperunt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas, cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, clamauerunt Gladius Domini & Gedeonis.* donec cædentes seipsos hostes, multi è vita, omnes è castris cessissent. Gedeon, qui ab Apostolo *Deo Fidelis* vocatur, Concrucifixus Christo, appellari potest. sic enim incipit stigmatum historia: *Fidelis reuera famulus & Minister Christi Franciscus;* vmbra mediæ noctis à Gedeone illuminata, vmbram sæculi vitiorum denotat. dicente S. Ambrosio: *Nox sæculum est.* & has vmbras, luce exempli boni fugabat sanctus; *Lagenulæ autem fictiles disruptæ, ignisque & fulgur lampadum,* fictili de limo, carne eius vulneribus disruptâ; flammâ Charitatis Seraphicæ fulgenti & ardenti, optime denotantur. Pro *trecentis verò viris,* Gedeonem concomitantibus: esse trium Ordinum eius imitatores Christi, alumnos Minorum. Conuenireque Figuram, Gregorius IX. summus Pontifex censet: *Lampadem & tubam in manus assumpsit, vt lucentium operum documentis, humiles attraheret ad gratiam, & proteruos à noxiis excessibus retraheret. dura increpatione terrendo, ac sic virtute charitatis affla-*

* CONCEP n. 344.
Iud. 7. 19.
Hebr. 11. 23.
Offic. L. 1.
Lib. 1. in Luc.
Bul. Canonic. Mira.

tus, in Castra Madianitarum Ecclesiæ iudicium declinantium, intrepidus irruit & abstulit arma.

* CONCEP n. 345. V. Stratagematis item actu, arma occultante, stigmatum mysterium præditum. Vt enim olim infensissimus Romanorum hostis, Asterius latronum præfectus, ab ancilla Romana captiua, medicinæ gnara, dum pectoris liniret vulnus, & tectam manu acum imposuisset, per attractionem eius & puncturam cordis, vitâ priuatus est. ita Diabolus Vafer Tyrannus, premens latrocinio animas, *Maligni autem spiritus, iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident*, præcauet Diuus Gregorius: armis clauorum Francisci, *in vulneribus occultatis*, sæpius læsus est. dum plurimos sæculi amatores, è faucibus eius vindicauit ad pænitentiam incitando, contratulatur Ecclesia :

Sent. de Ast. Mul. L. 1.

Hom. 11. in Eu.

Hym. 2. Vesp. Off.

Mina gregem, Dux ad Regem, collisor hostis callidi.
Nos conducas & inducas, ad cœnam Agni prouidi.

CAPVT XI.

De 70. Scibili Sciomachico.

INFORMATIO Prænotandis V. *Descriptionem, Diuisionem, Obiectum, consideratáq; Sciomachica, declarans.*

I. SCiomachiam, esse fictum certamen seu pugnam, exercendæ actionis militaris, vel exercitationis virium corporis, vel præmii positi causâ, institutum.

Fest. in Exp. nom. Ludi. II. Certaminis Schiomachici, etymologia, *à certa meta* venit. Luctatores enim certis legibus metarum, assignatarum, regebantur. vel ab *incertitudine*, nam in certam aleam, luctæ suæ subibant plurimi.

III. Lu-

III. Luctamen diuiditur in *Palæstricum*, causâ exercitii; *Athleticum*, cum certamina ordinantur causâ præmii: *Pugilaticum*, in quo solùm pugno plagas impingendo, solo allidebant aduersarium; *Pancraticum*, in quo aduersarii premuntur apprehensione, & pugilatu feriuntur; ac in *Panthalicum*, quinque actibus constans: *iactu disci, cursu, saltu, iaculatione, luctamine.*

IV. Publius Rutillus, C. Manlii Collega, modum tractandorum armorum, militibus Romanis tradidit, Doctoribus gladiatoriis accersitis, ab iisque vitandi & inferendi ictûs accepta ratione, legibus ingenerauit. virtutemque arti, & Artem rursus virtuti miscens, militares actus instituit. Valer. L. 2. c. 1.

V. Commendationem Luctarum auxit actu suo, Angelus cum Patriarcha Iacob: *Vir luctabatur cum eo vsque mane.* Gen. 32. 24.

INVENTIO. Conceptibus V. *Athletam expeditum, Requisita Luctæ, Agitationes athleticas, Arma Luctatorum atque victoriam: in Concrucifixione Christo repræsentans.*

I MVndus area certaminum est, vbique luctæ vbique prælia, felix Athleta ille qui cælo præmiatur, ait D. Ambrosius. in hoc theatro luctaminis, fortis miles Christi, & Mundi victor, appellari Franciscus potest. quemadmodum enim Athletæ, nudato corpore decertabant: *detractis manui chyrochecis*, vt immediatius stringerent; *corpori vestimentis*, vt agibilibus motum exercerent; *pedibus*, vt velocius insilirent resilirentque. vnde *Gymnici*, * CONCEP n. 346. Comm: in Iob. c. 13.

Gymnici, *Gymnasiastæ*, idest denudati Luctatores dicebatur. Ita S. Pater ad fortius vrgendum hostem animæ satanam, præter *nuditatem Apostolicæ inopiæ*, etiam membra manuum læteris pedum, vulneribus detrahentibus cutem, retecta & denudata habet. Et prout exsoluit
Is. 20. 3. mandatum Dei Propheta: *Vade & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis, & fecit sic vadens nudus & discalceatus.* simili actu Franciscus, prædicator pænitentiæ extitit. cum infirmus necessitate cogente rigorem abstinentiæ relaxaret, modicum re-
S. Bon. Vit. c. 6. sumptis vtcunque viribus. fune ad collum ligato seminudum se trahi præcepit, Fratri Petro Cataneo, vique ad lapidem puniendorum malefactorum, superquem ascendens, fassus se glutonem & condemnandū, atque contemnendum. Nec horruit nuditatis portentum: qui Athletæ nudi hostem prosternentis, qualitatem expressit stigmatibus. affirmante D. Gregorio: *qui*
Hom. 13. in Euang. *ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abiiciat ne succumbat.*

* CONCEP n. 347. II. Corroborantia medicamenta nonnulla, corpori adhibebant Athletæ, ceromate ex oleo & cera inungebatur, ne sudore lubrica caro, mutuas luctatorum prehensiones admitteret; puluere item aut arena Nili inspergebantur, corpus indurando; ac ne illud eneruarent, procul a feminis, procul ab incontinentia erat.
Lib. de Rep. Sic *Asbylum Crotoniatam* sæpe victorem in Olympicis, perpetua castitate ob cursus studium, narrat Plato præditum fuisse. denique subligaculâ præcingebantur, vt constricti vires conseruarent & fulcirent. Athletæ Christi, aduersus *carnem*, amicitiâ spiritûs carentem; *Mundum*, immundâ mandantem; *Satanam*, contra spiritum satagentem.

Nos Caro, nos Mundus, Satanasque hostiliter vrgent.

gent: præfatis requisitis Luctæ roboratus est: en fluida *inunctio*, in sanguinis fluxu; en aspersio *puluere*, in cinericio habitu, ac multoties *in Cinere*, cum illo Machabæorum duce populoque, qui antequam decertarent cum Gorgia Exercitus Syriæ antesignano, *cinerem imposuerunt capiti suo.* Pro deuitatione autem *carnalis commercii*, est professio obseruatioque castitatis. absque cuius flore, certe non ornaretur talibus vulnerum Iesu Monilibus. Vtque Apostolis commendatum, *sint lumbi vestri præcincti*, per præcinctionem, Castitatem intelligente Diuo Gregorio: *Lumbos enim præcingimus, dum carnis luxuriam, per continentiam coarctamus.* ita vir Dei & castimoniæ præcincturam internam, & cinguli chordæ externam, corpori adhibuit.

1. Mach. 3. 4.

Luc. 12. 35.

Hom. 13. in Eu.

III. At quoque *Agitationes Motusque Athletarum*, quoad formam præcipuam, quæ non est alia nisi Figura Crucis: qua Luctæ gladiatoriæ, *aggressiones interiectæ; inuasiones & congressiones; læsiones oppositionesque; ictus declinationes & illationes;* perficiuntur: in mysterio patent. Et quidem *Crucis Victoriosissimæ* specimen, non obscurum.

* CONCEP. n. 348.

Crucis vis & refugium, hæc Crucis arma præbuit.
Quibus Franciscum induit aduersus aduersarium.
Crucis Christi deuotio, Francisci traxit studia.
Cunctaq; cordis gaudia, cum omni desiderio.

In hoc signo vicit, impetitoresque sui prostrauit, illóque, se & alios, ab ictu inferni, à casu peccati, liberauit.

IV. Sed iam ad arma Luctatorum, fulgentia in Concrucifixione, animum forsan aliquis conuertere satagit. luctantes enim pugiles armis absoluunt certamina, vnâ manu gladium acutum, alterâ pugionem breuiorem obtrudendo. nihilque noui eis, vulnera-

* CONCEP. n. 349. Lips. de Glad. in Ieon.

tam

tam quæ conficiunt, quam quibus conficiuntur. Sed & hæc adſunt. nam exacuatorum inſtar ferramentorum, *clauos tenet* Chriſto Concrucifixus; *cicatrices verò pugilum*, patulis vulnerum notis, exprimit. Illi, ſunt fortitudinis munimenta; hæc monumenta & moni- Eph. 6. 12. menta. Etenim *non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Et patuit eius armorum effectus, nam Wad. T. 1. fol. 389. cum quidam Miles de Burgo, in Prouincia Maſſæ, blaſphemando diceret: *cadat hodie corpus meum gladio, ſi Sanctus eſt*, eadem die, à nepote proprio, miſer patruus, gladio diſſecta viſcera reportans, ſenſit vindictam Dei. & *clauos ſtigmatum, verſos in mucrones*, expertus eſt.

* CONCEP n. 350. Niceph. L. 7. c. 15. V. Maximianus, maximæ crudelitatis Imperator, cùm Theſſalonicæ capto Demetrio præfecto vrbis propter Chriſtum, equeſtres ludos luctaſque exhiberet, atque in eis luctatorem nobilem & inuictum ſæpius, Lyæum produxiſſet, nec quiſquam cum eo congredi auderet: Neſtor Theſſalonicenſis, Iuuenis Chriſtianus, Demetrium acceſſit. petens vt permitteret congredi, orationeque ſibi robur augeret. tum Demetrius: *vinces, ſimulque mortem pro Chriſto obibis.* Progreſſus in certamen, Lyæum in mucrones proſtratum occidit, & mox ipſe iuſſu Imperatoris, quód clariſſimum pugilem necaſſet, cum Demetrio cæſus. Iuuenis floridâ ætate ac humilitate Franciſcus, nobilis Athleta, luctæ initæ cum carne diabolo ac mundi fallaciis, victorias obtinuit: Ieſu Chriſti cuius vulnerum arma prætulit, animatus exhortatione: *Confidite ego vici* Ioan. 16. 33. *mundum.*

CAPVT XII.

De 71. Scibili Triumphatico.

INFORMATIO Prænotandis V. *Explicationem, Partitionem, Obiecta, consi- derataque Triumphorum, declarans.*

I. TRiumphus, est pompa publici honoris, viris magnis, pro reportatis victoriis, & pro laboribus militaribus, publico assensu, concessa & exhibita.

II. Diuidebatur in *Martialem*, quando lauro, milites arma currusque, adornabantur, hostiaque cruenta immolabatur. & *Oualem*, quando in corona myrtea, pedes, tibiis non tubis canentibus, oblatione ouis, pro victoria beneuolentia confectâ, triumphus peragebatur.

III. Seriem pompæ, vel ex his colligere licet: Imperator triumphali habitu indutus, armillis sumptis, laurea redimitus, & ramum dextra tenens, inprimis conuocabat populum, & in præsentia militum suos & aliorum heroicos laudabat actus, coronasque distribuebat: *Muri coronam pinnatam*, primo, qui murum ascendit; *Ciuicam*, conseruatoribus Ciuium; *Rostratam*, strenuis in acie nauali; qui autem summam assequebatur laudem, *Coronam quernam* accipiebat. cuius honos, aureis & argenteis coronis excellebat. Spoliorum item magnam partem destribuebat, populoque dona: quibus peractis & sacrificio, currum ascendebat pergens in vrbem, ita precatus: *Dii, nutu & imperio, quorum nata & aucta est Res Romana, eandem placati propitius seruate.*

Zonar, L. 2.

Ros. L. 10 c. 19. Ant. Rom.

IV. Cur-

IV. Currus, instar rotundæ turris extruebatur, trahebaturque equis albis. quidam ceruos leones elephantes iunxerunt. sub curru in quo Imperator sedebat, pendebat idolum *Fascini* medici Inuidiæ. item in curru sedebat minister publicus, coronam auream gemmis distinctam sustinens, & triumphanti innuens: *Memento te hominem.* Tum per portam triumphalem vehebatur præcedentibus tibicinibus. post hoc ducebatur boues in sacrificium mactandi, vittis sertisque coronati, auratis cornibus. Illis succedebat speciosa ostentatio spoliorum, plaustris vecta vel portata; tituli victarum Gentium, coronæ & dona à Prouinciis per Legatos oblata. & succedebant captiui ex hostibus, catenis victricibus alligati, dein cateruæ Militum sequebantur.

V. Concludebatur triumphi pompa: immolatione hostiarum seu victimarum in Capitolio; gratiæ referebantur Ioui, Deorum maximo; supplicabatur Diis conseruatoribus; corona aurea & opima spolia in templum reportabantur; Captiui missi in carcerem perpetuum, vel illico cæsi; datum in ipso Capitolio epulum sumptibus publicis; & pecunia viritim plebi distributa. Erigebantur quoq; triumphales columnæ & statuæ, ac Arcus, aliaq; monumenta. affixis spoliis & imaginibus Gentium deuictarum.

INVENTIO. Conceptibus V. *Laureas Triumphi coronas, Currum triumphalem, Arcus, Victimas, ceremoniasque Triumphatorum: in Concrucifixione Christo: repræsentans.*

I. Pro-

I. PRophetæ Balaam, impulsu ipsius Dei prolatum Vaticinium: *Clangor Victoriæ Regis in illo.* vel vt Arias Montanus legit: *Triumphus Regis in illo*, seu *Triumphi signum*, vel potius *monumentum ac trophæum*: in viro Dei, vulneribus Iesu insignito, verificatum. etenim signa victoriæ à Christo obtentæ in ipso affixa & suspensa. ait P. Didacus de Cea: *Quicunque Franciscum, manibus latere pedibus plagatum aspiciebat. Christi victoriam ac triumphum recordabatur.* vtq; triumphatores laureis sertis coronabantur, eorum arma, milites, insignia.

E lauro quercu ac Olea, Duce digna corona.
Prudentem, fortem, pacificumq; decet.

sic stigmata, triumphali *coronæ laureæ* similia. etenim *Orbicularitas serti; extremorum eius vittâ alligatio; foliorum cuspides e ramusculo prominentes; vuæ foliis rubeæ immixtæ:* rotunditate vulnerum; alligatione fasciis eorundem; exacuatis clauorum cuspidibus; guttisque sanguineis, exprimuntur. Aggratulandum spiritualium filiorum Beato Patri: *O quam pulchra est casta generatio, cum claritate, immortalis enim est memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines. cum præsens est imitantur illam, & desiderant illam cum se eduxerit. & in perpetuum coronata triumphat.* Benedixitq; Deus plantationi lauri serui sui, qui serti laurei circumstantias Vulneribus suis expressit. cum enim in villæ Conuentu, Prouinciæ Bononiæ, tres arbores plantasset: *Laurum* in primo ædificii claustro, *Cupressum* in secunda parte, & *Oliuam* in prato, hucusq; est videre virescentes.

II. Imperatores Romani, licet à principio vrbis incedendo triumpharunt, in politiori tamen statu Reipublicæ, curru quadri iugo vecti, triumphales celebrabant

[Margin notes: * CONCEP n. 351. Num. 28. — Thes: Ter. L. 1. f. 62. — Sup. 4. 1. — Gonz. in Prou: Bō: Con: 1. — * CONCEP n. 352.]

 bant

bant magnificentias. In myſterio ſtigmatum, curru inſtar quatuor rotarum excauatarum, clauis transfixarum: ſint transforaminati *quatuor rotundorum vulnerum orbes*; cum Axis & Crux ligni currulis, *ſint in arcano Crucis Dominicæ*; currus requiſita repræſentantur. vt in illo tanquam alterum Eliam, zelo honoris Dei & flammâ amoris igneſcentem, manus Dei, ad cæleſtia

4. Reg. 2. 11. duceret. *Ecce currus igneus & equi ignei, diuiſerunt vtrumque & aſcendit Elias per turbinem in cælum.* Monſtrauitque res ipſa myſterium, nam in valle Spoletana, Fratribus ſuis, abſens & Aſſiſii commorans, in curru

S. Bon. Vit. c. 4. igneo mirandi ſplendoris, quaſi in ſpecie globi lucidi, inſtar ſolis reſidens apparuit. huc atque illuc tribus vicibus vectus. Obſtupeſcentibus qui aderant, cum abſentem corpore, ſpiritu præſentem, ſupernis irradiatum ſplendoribus, & ardoribus inflammatum cernerent.

Off. Ant. 1. Mag.

O ſtupor & gaudium, o iudex homo mentium.
Tu noſtræ militiæ, currus & Auriga.
Ignea præſentibus, transfiguratum Fratribus,
In ſolari ſpecie, vexit te quadriga.

* CONCEP n. 353.

III. Extruebantur item triumphos celebrantibus Arcus triumphales inſtar portarum. ipſe *Saul proſtratis Amalecitis in Carmelo, erexit ſibi Fornicem triumphalem.* Eratque Romæ triumphalis porta, qua ſpecialiter victores in vrbem deducebantur, *Appia vel Capena dicta.* Vulnera Franciſci, patula, aperta: *arcuum portas exprimere* vnicuique patet. quæ triumphalium nomine inſigniendæ, quia triumphis decoratus, quia triumphator extitit. atteſtatur Gregorius IX. Pontifex Maxi-

Bull. Canō: Mira. mus: *Hoſte itaque in terris poſitus triplici ſuperato, regno cælorum vim intulit & illud rapuit violenter, & poſt huius vitæ quàm plura glorioſa certamina, triumphans feliciter migra-*

migrauit ad Dominum. atteſtatur, & Sanctus Cardinalis: *Martyrum emulabatur triumphum, in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit ſuperari.* Patuitque effectus, nam Aretium deueniens, quæ Ciuitas inteſtino bello propinquum ſui minabatur excidium, conſpexit in aere dæmones exultantes, quare aduocans ſocium Fratrem Syluestrum, miſit *ad portam Ciuitatis* dicens: præcipias ex parte Omnipotentis Dei dæmonibus, vt exeant feſtinanter. factumque feliciter, & ciuibus illuxit continuo pax & concordia. quæ ad portam audierunt nonnulli, cum retulerunt, ambo perquiſiti & inuenti, ductique magno honore in Ciuitatem, primoribus populi inſeruientibus viro Dei, cuius vulnera *triumphales portas* repræſentarunt. S. Bon. Vit. c. 7. Marian. c. 7.

IV. Abſoluta Triumphi celebritate, præeunte ſenatu, triumphator aſcendebat in templum Iouis, quod præcipuum *in Capitolio* erat. victimaſque & hoſtias taurum album mactando offerebat. Vir Dei, continuis in Templo Domini Sabaoth, pro victoriis ſpiritualibus, benedicens Altiſſimo, iuxta: *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Christo Ieſu,* hoſtiam laudis, victimamque cæſi vulneribus Crucis Corporis ſui, in meritis Agni immaculati, offerebat. Aggratulantur perantiqua carmina *Miſſalis Romani, Lugduni* excuſſi. * CONCEP num. 354. 2. Cor. 2. 14. Seq. Miſſ.

Signa Crucis quæ portaſti. Vnde Mundo triumphaſti.
Carnem hoſtes ſuperaſti. Inclytá victoria.

Quod ſi expoſcat aliquis, ad triumphi expreſſionem clariorem? ipſummet *locum Capitolii Templumque.* in hoc vſque nunc, Fratres Ordinis eius Regul: Obſer: in Tēplo *Aracæli* dicto, Capitolii Romani, Deo ſacrificant, gratiaſque agunt.

V. Carolus V. Imperator, ſtrenuus Catholicorum defenſor, in bello Germanico, ſaxones bellis fatigans, * CONCEP n. 355. Monit. Prin: de Rel. Ex 2.

tigans, cum imaginem Crucifixi recenter glande traiectam conſpexiſſet, ſtetit ingemuitque dicens: *Adiuua me vindicabo.* & vindicauit dum triumphauit. zelũ & amorem, abunde rependente Chriſto. Zelator honoris Saluatoris ſui ac amator Franciſcus, cum cerneret Mundum peccatis deditum, rurſus transfigere, cru-
Mal. 3. 8. cifigere Deum hominem, iuxta: *ſi affliget homo Deum, quia vos configitis me:* arripuit ſpiritualia arma, vitia impugnandi, peccatores perterrendi, tentationibus reſiſtendi, impulſus inferni reprimendi, fortiter pro fide agendi. vt tandem Redemptionis impreſſa ſigna ſibi, promeruerit. triumphalia nempe Crucis victricis inſi-
Off. Cr. Ant: 2. 1. Noct: it. 2. Noct. gnia. *Sancta Crux extollitur à cunctis Regibus, virga regia erigitur, in qua Saluator triumphauit.* nec alia oratio Franciſci ſæpius fuit, niſi quæ communis Eccleſiæ: *O Crucis Victoria & admirabile ſignum, in cœleſti curia fac nos captare triumphum.*

CAPVT XIII.

De 72. Scibili Epithalamico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Deſcriptionem, Diuiſionem, Conſiderata, recomendationemque Epithalamicæ, declarans.*

I. SCibile Epithalamicum, ſumitur pro peritia obſeruantiarum nuptialium, quæ tam ante, quàm in thalamo, maioris celebritatis hilaritatiſq; gratiâ, in ſtatu Politico adhibentur.

II. *Ritus Nuptiales*, diuiduntur in *Sacros*, cum adminiſtratio Sacramentalis intercedit. & *Profanos*, cum honoris,

honoris, amoris, decoris causâ, quædam honestæ obseruantiæ obseruantur.

III. Ritus Sacri, *Theologice* considerant mysterium Epithalamii Christi cum Ecclesia, & diuinissimi Pneumatis, cum fideli anima. *Ethicè* seu Moraliter, vt Matrimonium est Sacramentum, tractant de requisitis impedimentis, talis Contractûs iniendi vel dissoluendi.

IV. Profani Ritus: considerant *œconomicè*, bona naturalia & socialia Epithalamiorum. *Politicè* vero, attendendo bono publico, prouenienti ex contractu Maritali, vt sunt *Familiarum nexus: Societates & associationes Regnorum; pacta pacis vel adiutorii, summæ pecuniariæ aggregatio; vel dimissio contractæ.*

V. Nec postrema Ceremoniarum Nuptialium laus, Domino secreta cælestia, Nuptiis assimilante: *simile factum est Regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* item virginibus admissis & non admissis ad nuptias. ipsam gloriam cælestem, *Nuptias Agni*, vocante Spiritu Sancto. Matt. 22. It. c. 25. Apoc. 19. 7.

INVENTIO. Conceptibus V. *Signa Desponsationis, Amplexum Amoris, Celebritates Nuptiales, ac Dona sponsorum: in Concrucifixione Christo repræsentans.*

I. DEi Hominis, Sponsi Animarum Fidelium. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*, promissum celebre: *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus*, licetsi Redemptione totius Orbis completum * CONCEP n. 356. Ps. 18. 6. Os. 2. 19.

sit: singulari tamen gratia & speciali mysterio, *perim-
pressionem signorum Redemptionis*, in anima Francisci,
peractum renouatumque. Vulnera enim Iesu, signant
Iustitiam Diuinam, cui pro Genere Humano, in Cru-
ce satisfactum; signant *Iudicium*, quòd cum illis con-
seruatis, ad iudicium venturus sit Dominus; signant
Misericordiam, mortuis filiis Adæ præstitam, morte
Christi; signant *Miserationes*, multas nimirum gratias
in Sacramentis, virtute passionis Domini efficaces.
Cum ergò vulnera Crucis significantia *iudicium, iusti-
tiam, Misericordiam, Miserationes*, impressa viro Seraphi-
co: desponsationis magis exhibita signa & insignia,
vt præ hoc mysterio, Christus tunc adimpleuerit no-
Exod. 4. 26. men illud: *Sponsus Sanguinum*, Moysi olim appropria-
2. Cor. 11. 2. tum. completum in Francisco: *Despondi enim vos vni
viro, virginem castam exhibere Christo*, vt dicere possit:
Cant 7. 10 *Ego dilecto meo & ad me conuersio eius*. Vnde in postu-
latione approbationis Regulæ, cum Summus Ponti-
fex Innocentius III. quòd nimis ardua paupertas fra-
Wad. T. 1. fol. 63. gilitati humanæ videbatur, tardius votis responderet:
parabolam de Rege, pauperis Sponsæ suæ sed pul-
chræ, multos inopes filios alente, eâ efficacia protulit,
vt petita reportauerit. Spiritu Sancto inspirante e-
nergiam parabolæ de sponsa: cuius desponsationis
Christo symbolum, Seruus Dei stigmatibus expressit.

II. Sed & casti sponsalitii amoris signa declaran-
* CONCEP n. 357. tur. Vt enim amplexum Sacra Dilecti sui cælestis af-
fectauit sponsa: *Læua eius sub capite meo, & dextera il-
Cant. 2. 6. lius amplexabitur me.* ita in Concrucifixione, Franci-
scum extensis brachiis amplexatus est Christus. quasi
Pater benignus, alterum *prodigum Filium*, ob amorem
paupertatis omnia sua dissipantem, strinxisset ample-
Luc. 15. 20. xu suo. *Accurrens cecidit super collum eius, & osculatus*

est eum.

est eum. Sed & à Francisco, *Sapientia & Prudentia Crucis* affectuoso complexu vincta est. iuxta : *Posside sapientiam & in omni possessione sua, acquire prudentiam, arripe illam & exaltabit te, glorificaberis ab ea cum eam fueris amplexatus.* Nec fuit absque arcano, quòd coram Antistite Assisiensi, cum vestimenta parenti suo resignasset, & seminudus cilicio tantum tectus constitisset: ab Episcopo ipso inter brachia recollectus fuerit, pio amplexu honoratus atque pallio coopertus: qui stigmatisatis membris, amplexum Crucifixi obtinuit.

Prou. 4. 8.

Wad. app. Ann. fol. 29.

III. Ritus quoque Sponsalitios *Antiquitatis*, repręsentatos cernere licet. vtque apud Romanos prætextati pueri, *patrimi & matrimi* idest qui patrem & matrem haberent, nuptiis adhibebantur. cantantes Hymen! o Hymenee! Hymen! & faces ardentes ex alba spina deferentes. quas fuisse quinque Plutarchus scribit: quod *Quinarius numerus* Philosophorum sensu, Epithalamii celebritati, ob imparitatem ; & vitæ societati (cùm ex duobus iunctis excrescat) conueniat. Ita stigmata, amoris Christi tesseræ : *quinario* prædita numero ; non sine *spinis clauorum* pungentium ; non sine *facibus flammarum Charitatis*. Quodsi desideras *par innocentium puerorum*, solemnitati Nuptiarum Concrucifixionis assistentium? en vnus, qui humilis factus est vsque ad mortem Crucis, *Minoratusque*. qui *modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*, en alter puer eius, *Minorita*, Humilis Franciscus, paruulus Apostolicus.

* CONCEP. n. 358.

Probl. de Nup: Plat. Symb. Vit. Soc.

Hebr. 2, 9.

IV. Alia inter requisita ceremoniália Nuptiarũ, maximè frequentem esse vsum *Luminum & ignium*. quibus palatia epithalamii, plateæ deductionis sponsæ, & Templa, irradiabantur, illustrabantur. vnde *fatuæ reputatæ virgines*, quæ sine ardentibus lampadibus obuiaue-

* CONCEP. n. 359.

Matt. 25. 1.

uiauerunt ſponſo, media nocte aduenienti. Opus plagarum Seraphicarum, fortitudine Charitatis, flammigerum eſt: *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus*
Cant. 8. 6. *æmulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum.* Item forti patientiâ igneſcens eſt, anima ſerui Dei
Eccl. 23. 27. multa inſipida mortificationum aduerſitatumque patienter decoquente. iuxta: *Anima calida quaſi ignis ardens, non extinguitur donec aliquid glutiat.* Sed & *Locus ſtigmatum*, ardens illuminatuſque.

Hymn. Off. St. *Vertex Montis inflammatur, vicinis cernentibus.*
Cor Franciſci transformatur, Amoris ardoribus.
Corpus verò mox ornatur, mirandis ſtigmatibus,

Vit. c. 13. Refert S. Bonauentura: Nubes, tenebras & tempeſtates, ante impreſſionem ex illo loco exſurgere ſolitas, ceſaſſe. *Vt cæleſtis illius viſionis & ſtigmatum virtutem, ibidem impreſſorum, ſerenata præter morem ipſa cæli facies lucida declararet.*

Wad. T. 1. fol. 266. Sed de ſacris ab intra emanantibus ignibus, audiamus: impetrauit multis inſtantiis, V. Beata Clara, vt cum ipſo, ſociiſque tam virginum quàm Fratrum in Æde Portiunculæ pranderet: ad primum ferculum, cæpit tam ſuauiter loqui de Deo, quòd omnes aſſidentes menſæ pauperculæ, in extaſim raperentur. Incolis vero Aſſiſii, Bethonicæ, & vicinorum locorum videbatur, quòd Eccleſia Conuentus & Nemus adiacens, arderent totaliter; acurreruntque opem ferre, ignem reprimere, ſed propius accedendo ſalua inuenerunt, deprehendentes quòd ignis Diuinus Sanctarum Perſonarum, locum illuminaret inflammaretq;.

CONCEP n. 360. V. Diua Eliſabetha Vngariæ Regibus orta, Lantgrauii Thuringiæ Principis filio Ludouico, adhuc in cunabulis deſponſata eſt. quartoque infantiæ anno, in argenteo cunarum toreumate, moliſſimo cul ans lectulo,

ctulo, ad ſponſum delata. huic nouem annos agenti, vt placeret ſponſus, miſit pro munere geminæ faciei ſpeculum, ſic fabrefactum ex ſpeculari lapide, in tenuiſſimas cruſtas fiſſo: quòd vna pars vitri eſſet tranſlucida, colorumque fucis nuda, altera Chriſti Crucifixi figuram referret. Suſcepitque virgo gratiſſime, gaudens affectum tam pio ſymbolo demonſtratum. Franciſcus, humilitate vitaque Apoſtolicâ fuit paruulus, *lactis innocentiæ* auidus. *ſicut modo geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite.* in infantia Minoritana, Principi Regum Ieſu Chriſto, emiſsâ *ſacra votorum poſſeſſione*, deſponſatus eſt. & ſpeculum ipſi, figuram Crucifixionis continens, donauit Saluator: quando impreſſis vulneribus Crucis, in carne eius, in ſpeculo quaſi, repræſentauit Mortem ſuam, ſingulariq; amoris dono & bono, Orbi monſtrauit.

Iacob. Mon: Vit. c. 1. Wad. T. 1. āno 1214. ¶ 4.

1. Pet. 2. 2.

CAPVT XIV.

De 73. Scibili Sympoſiaco.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Deſcriptionem, Diuiſionem, Obiectum, conſideratag; Sympoſiatica, declarans.*

I. PEr *Sympoſia*, intelliguntur hic: *Lætæ conuiuationes pacificæque.* Symphonia, hilarem & concordem cantum ſignificante.

II. Conuiuium: *eſt extraordinarius hominum amicorum, ad menſæ communionem congreſſus, lautè inſtitutus.* fitque ad declarandam erga alios beneuolentiam, liberalitatem & gratitudinem. conuiuia enim vincula

sunt amicitiæ, inter propinquos, vicinos, contribules, tessera liberalitatis extrinseca.

III. Ratione *Motiui*, cur fiat? diuiditur in *Genethliale*, cum Genethliacis natalitiorum diebus, conuiuia instituuntur; in *Nuptale*, quando ineundo connubium; *Inaugurale*, in susceptione Coronæ Principatûs Officii; & *Funerale*, quando exuuiis corporis terræ mandatis, mensæ dapibus instruuntur. sed hæc quoad Motiua generalia, cum tractandorum negotiorum, & recolligendorum animorum ad mensam, multa alia.

IV. Nomen *Conuiuii*, venit à *cum vita*. conuiuando enim conuiuitur amicæ sotietate vitæ. Dicente Tullio: *Bene Maiores nostri accubationem epularem amicorum, quia vitæ coniunctionem haberet, nominarunt.* Vel quasi *cunctorum viuentium* dicitur. nam ex omnibus viuentibus manducabilibus, quidquid labor & sumptus comparare potest, conuiuia parantur.

Cic. de senect.

V. Moderatæ sumptioni Ciborum Conuiuii, allusio Poetæ laudabiliter tribuitur: *Audacem fortuna iuuat, cibus omnis edacem.*

Adiuuat. esse aliquid si cupis? Aude & Ede.

INVENTIO. Conceptibus V. *Amicorum Conuiuia, Apparatum & requisita conuiuii, tractamenq; in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP n. 361. Prou. 9, 1.

I. Celeberrimum Conuiuium, quando *sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam, misit ancilas suas vt vocarent ad arcem, si quis esset paruulus, vt-*

lus, veniat ad me. In mysterio stigmatum, videtur esse peractum. Christus enim Sapientia æterna, expositâ mensa Crucis suæ; propositâ victima corporis sui, mysto vino Sanguinis sui, missis ancillis: Paupertate & Humilitate; ad participationem Concrucifixionis suæ, vocauit paruulum re & nomine Franciscum, conuiuamq; communicatione mysterii mortis suæ fecit. Et hoc est, pauperem illum, ianuis vulnerum Iesu adstitisse postulando cibaria: dum anima eius Charitate sauciata, Crucis sapientia, quæ sapida & à sapore cælestium, dicitur, satiata est. satiauit animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis. iuxta: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Ps. 106. 9. Matt. 5. 6.
Accidit vt inuitaret virum Dei, Matthæus de Rubes familiæ Vrsinorum, ad prandium. & cum de more in Aula, pauperibus in meridie ad ianuam conuenientibus, esculenta darentur, caute se immiscuit & refocillabatur. Marian. c. 20. Princeps ex fenestra prospiciens, pauperibus in atrio assidentem conspexit, lotisque manibus descendit, & prope in terra sedit dicens: quia non vis Francisce prandere mecum, ego prandebo tecum. nempe cum Sancto, qui ad ianuas vulnerum Iesu stās: cibaria Concrucifixionis promeruit.

II. Conuiuia lauta, lata sunt & læta: sed non sine vulnerum inflictione, sanguinis effusione, mortali cæsione. * CONCEP n. 362. Dicite inuitatis ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia, occîsa sunt. Matt. 22. 4. Iosephque, dispensatoribus domus suæ præcepit: occide victimas & instrue conuiuium. Gen. 43. 16. In Concrucifixione, caro viri Dei, laborioso & obedienti iumento, cum vate sacro, vt iumentum factus sum apud te, similis facta: cruentata & quasi victima cæsa est. Ps. 72. 23. Si enim Cornelium virum iustum, timentem Deum, insistentem eleemosynis, volatilibus & quadrupedibus, præuia occisione manducandis, Spiri-

Act. 10. 11 tus Sanctus assimilauit. *vidit cælum apertum & descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quodrupedia & serpentia terræ & volatilia cæli, & facta est vox ad eum Occide & Manduca, surge Petre.* cur eleemosynis viuens, iustitia & timore Dei clarus Franciscus, exprimere similia non dicendus? in cuius gratiam, vulneribus *cæsas carnes conuiuii* exprimentis, fecit Deus vt ab vniuerso populo videretur piscis, quod vere fuerat caro. cum enim nobilis quidam, in ciuitate Alexandriæ à palea dictæ, vocaret eum ad refectionem: illinc homo vesanæ mentis, fingens se mendicum adstitit foribus rogans eleemosynã: ille audiens, quam coram se habebat in catino capi partem, præ hospitis dignitate inter alia fercula illati, transmisit. in crastino cum prædicaret populo, aduenit simulator, & cruris vel alæ portionem monstrans, inclamauit: non esse honorandum qui pascebatur fertilibus auibus. sed practicantem: *vt manducarent quod apponentur eis*, Deus defendit, nam caro, formam piscis prætulit.

Wad. T. 1. fol. 156.

Luc. 10. 6.

* CONCEP n. 363. III. At quoque Seraphica signa, nec sine pane sunt, *præcipuo* Conuiuiorum condimento. quo benignissimus Saluator Mundi, auditores suos *tractauit in deserto*; nec alia cibaria rogare à Patre cælesti, *nisi Panem* docuit. Locupleta enim mysterio *Crucis Domini*, de qua dictum est. *Mittamus Lignum in panem eius.* Vtque panis in diuisione, *frangitur vel scinditur*, sic adest fractio & dissectio carnis. Factus est Vir Dei symbolum præcautionis, panem emendicatum accipiens: *Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Et mysterium, abundantiam panis in manibus Francisci præfigurabat: nam triginta Fratres missurus in Galliam volens refocillare, cùm diceretur vnicum


Matt. 14. 17.

Luc. 11. 23

Ier. 11. 19.

Eccl. 34. 25.

Wad. T. 1. fol. 85.



vnicum tantum esse panem, misit ad Conuentum Sanctæ Claræ, rogare aliquot sibi mitti. illa ex tribus quos habebat misit duos, quos simul cum domestico tertio simul accipiens B. Pater, suis manibus fregit, deditq; vnicuique frustulum dicens: *est panis Charitatis, comedite Fratres.* mirum, comederunt ad satietatem, magnumque impleuerunt cophinum de fragmentis remanentibus. Mirificante Deo seruum suum: panis Ligni Crucis mysterium, referentem.

IV. Mensæ Conuiuales, onerantur phialis, pateris, ciathis. sine quibus siccum tractamen, imò cum siti certamen esset. Viri Dei vulnerata membra manuum, *cyathos & calices* præferunt. vt enim manus, cyathi vel poculi vices supplet, dum hausta aqua porrigitur ori, quod & Militibus Gedeonis, nil noui erat, *manu ad os proiiciente, lambuerunt aquas.* ita stigmatisatas manus, poculis comparare, nihil impedit, quibus *liquor sanguinis* contentus & conseruatus. [* CONCEP n. 364.] [Iud. 7. 6.]

V. Drepani, quædam inops Mater in Ecclesia orans, cùm filius eius paruulus plorans posceret panem, illa egestate pressa ostendit Crucifixum dicens, ito ad eum, ille dabit. tractus innocentia & simplicitate, abiit, petiit. o miraculum! reuulso à Cruce brachio, pulchram & suauem buccellam recentis panis porrexit, & reuulsum diu spectabatur brachium, Diæcesanus vero, annonam vlteriorem Matri & puero suppeditauit. Franciscus, humilitate puer paruulus est; Mater eius inopiâ affluens, est Minoritana Obseruantia Euangelii, Paupertatis cultrix, quam tenerrimè dilexit; Crucifixus imprimens stigmata, cibans pauperem, Dominus est. hic cibauit seruum suum & filium communicatione vulnerum Crucis, tanquam Pellicanus San- [* CONCEP n. 365.] [Lyr: de Chris. Pat L. 5. c.8.]

guine refocillans pullos ſuos. vt gloriari debeat cum Diuo Bernardo : *Hic paſcor à vulnere , hic lactor ab vbere.*

CAPVT XV.

De 71. Scibili Theatrico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Explicationem, Diuiſionem, Obiectum, conſiderataq Theatricæ, declarans.*

I. SCibile *Theatricum*, ſumitur pro peritia ludorum, ſpectaculorum, luctaminum, publicè honeſteq; in Theatris, cauſa recreationis exhibitorum.

II. Ludi, alii ſunt *Eutropelici* modeſti honeſti liciti indifferentes, ſolùm recreantes. alii *Ludicrales*, proprii hiſtrionibus, honeſtati contrarii.

III. Inter Theatrales ludos, celeberrimi fuere *Sæculares*. dicti ſic, quòd poſt annos centum fierent, & ſæculum in tot annos extendi, Antiqui exiſtimabant. finis illorum factus, in conſulatu Conſtantini Chriſtiani, quia Chriſtiani. mittebantur autem præcones per totam Italiam, quibus inſtantibus connouacatum ad Ludos, qui nec ſpectati, nec ſpectandi forent.

Val. Max. L. 2. c. 4.

IV. In Republica Chriſtiana, inſtar ſæcularium ludorum, inſtitutus eſt annus ſæcularis Iubilæi, à Bonifacio Pontifice maximo, anno Virginei partûs 1300. imperante Alberto Romanorum Imperatore. poſt hunc Clemens VI. Pontifex, rogatu populi Romani, ſæcularis Iubilæi celebritatem, ad 50 annum reuocauit, egitque anno 1350. denique Sixtus IV. Pontifex, eandem feſtiuitatem elapſis annis 25. ſingulis, obſeruari præcepit & celebrauit anno 1475.

V. Ludi

V. Ludi an postponendi, ex his collige:
Ludamus ingenui tamen, intra claustra pudoris.
Excedere hos: non ludere est, sed lædere.

INVENTIO. Conceptibus V. *Ludum Sagittarium, Citharæque, Ludos ignium, Stadii, ac recreationum: in Concrucifixione Christo repræsentans.*

I. *Theatra*, ait Rosinus: *non esse nisi spectaculorum ac ludorum palatia.* sed si in eis, visui delectabilia, usui utilia, non verò abusui deseruientia proponuntur. * CONCEP. n. 366. Lid. 2. de Amph.

Ludus enim genuit, trepidum certamen & iram:
Varios autem inter actus theatrales, non postremum esse, sagittâ præfixam petendi metam. Domitianus Imperator in expansam dextræ manus palmam, pro scopo pueri eam extendentis, tanta arte dirigebat, quod sagittæ per interualla digitorum, innocuè euaderent. Paris Troianus, Achillem toto corpore excepta planta inuulnerabilem, solo talo vulnerato interfecit. Cambysses vero Rex Persarum, quamuis temulentus Prexaspis filio, in vestibulo Regiæ constituto, cor transfixit sagittâ. Viri Seraphici corpus, *sagittarum Domini* meta factum. vt lætabundus Ieremiæ assertum proferre valeat: *posuit me quasi signum ad sagittam.* quid enim *claui*, infixi vulneratis manibus, perforatis pedibus? si non sagittæ arcus Crucis Christi. Vtque Eliseus, Ioas Regi Israel ob mortem suam flenti dixit: *Percute iaculo terram; & cum percussisset tribus vicibus & stetisset, iratus est contra eum vir Dei & ait: si*

Suet. in Dom.
Herod. L. 3.
Thr. 3. 12.
4. Reg. 13. 17.

percussisses quinquies aut sexies aut septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem. Ita Saluator Rex Crucifixus, terram corporis Francisci *Morti suæ condolentis*, percutiens *quinque sagittis* clauorum Crucis, victorem gloriosum Syriæ, idest carnis inimicæ spiritui, effecit. Panditque mysterium visio illa, quando S. Patri Dominico Romæ in Basilica Diui Petri orationi vacanti, apparuit Christus, tribus sagittis, incolas Orbis, superbos auaros & libidinosos, ab intolleranda flagitia tollere volens. & Virginum Princeps Deipara orans, asserebat, habere se per quos vitia emendari possent. simulque ostendebat B. Dominicum Prædicatorum; & Franciscum, Minorum; Institutores quibus conspectis Christus, paratam ad feriendum manum, & iacula compsuit. *sagittis ignitis iræ Dei, Regina Misericordiarum, pro Meta Franciscum obiiciente: cuius corpus sagittis Crucis consecrauit.*

Castil. L. 1. c. 18.

* CONCEP n. 367. Caus: de Inst; Mus:

II. In theatris vt exulare faciant tristitiam, Cytharâ ludunt. est autem dorica vox: Cythara, pectus significans. vel quòd humani pectoris, formam initio habuerit; vel quòd sicut à pectore ita ex ipsa sonitus, edatur. Et pectus & Corpus Concrucifixi, Cytharæ persimile. vt enim illa, plectro ferreo vel clauiculo, ad modulationem percutitur, ita percutientibus clauis ferro similibus, *sonitus* Passionis Christi, *harmoniaque* concordantiæ vulnerum insonuit. Iob sententiam attribuere sibi potest Vir Dei: *Cutis mea denigrata est, & ossa mea aruerunt præ caumate, versa est in luctum Cythara mea, & organum meum, in vocem flentium.* etenim signa, non ad vanum lætiæ fructum, sed ad vtilem Mortis Iesu luctum & sonitum flentium, *Caumata*, appellata sunt.

Iob. 30. 31

Vicit algorem caumata: Christi dum gestat stigmata.

Offic. Hym. Lau

Cum

Cum semel ægrotaret in Ciuitate Reatina, & ad recreandum spiritum, audire melos alicuius sonori instrumenti desideraret: idque honestatis decentiâ, humano ministerio fieri non poterat, repente Cythara quædam harmoniæ suauissimæ insonuit, & licet non videbatur aliquis, transitus tamen & reditus Cytharædi, ipsa hinc inde volubilitas, innuebat. tanta Melodiæ suauitate, *mysteriosæ Cytharæ typum præferentem*, perfundente: vt sæculum, in aliud commutasse existimaret, perfereque vlterius animi dulcedinem, non valeret. Mariano c. 26.

III. Complebantur quoque theatrorum ludi, *ignibus*. Vibrando faces aduersus ventum, rotando, proiiciendo, manibus occultando, accendendo, insperate, varie accelerate. In Concrucifixione, ille cuius in persona dictum: *Et delectabatur per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in Orbe terrarum, & delicie meæ, esse cum filiis hominum*, ludos Seraphicorum ignium instituit. Præfatione Missæ attestante: Mentemque ipsius, Sancti Spiritus operatione, amor ille Seraphicus ardentissime incendit interius, suum corpus sacris stigmatibus insigniuit exterius, signo Crucifixi Iesu Christi Domini nostri. Vibrabat hunc ignem, aduersus flatum aduersitatum, patienter improspera tolerans; *Charitas patiens est omnia sustinet*; occultabat manibus, humilitatem sectando, *Charitas non est ambitiosa*; accendebat, alios feruore prædicationis inflammando, *Charitas non quærit quæ sua sunt*. Propter huiusmodi pergratum Deo ludum, gratia promissa Israeli, Francisco collata: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans, rursumque ædificabo te, & ædificaberis virgo Israel. adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium.* Et qui ludos ignium, mysteriose efforma-

* CONCEP n. 368.

Prou. 8. 30.

1. Cor. 13. 4.

Ier. 31. 3.

formauit, pudorem flocci pendens mundanum, in lo-
co ludorum, ad cultum Christi, fomentum lampadum
postulauit. primo enim Conuersionis suæ anno, cu-
Wad. App rabat vt coram effigie Crucifixi Domini, quæ eum al-
An. ¶ 5. loquio suo, ad restaurandam Ecclesiam S. Damiani
incitauit, duæ arderent lampades semper. cumque ole-
um mendicaret, euenit quòd quandam ingrederetur
domum vbi multi conuenerant ad ludendum : & su-
bitâ perculsus verecundia, ad tot Conciuium conspe-
ctum, pedem retraxit ; deinde carpens se vehementer,
regressus ad publicam ludi aulam, suæ mentis infirmi-
tatem detexit, & gallico idiomate ad maiorem sui
contemptum, eleemosynam pro fouendis luminari-
bus Ecclesiæ expostulauit. Deo *igni consumenti*, propi-
us apponi affectu, satagens.

* CONCEP IV. Stadiodromi, in theatris, cursu decertando
n. 369. ludunt. inducit & suos D. Paulus : *sic currite vt com-*
1. Cor. 9. *prehendatis, omnis autem qui in agone contendit, ab omni-*
25. *bus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam ac-*
Matt. 16. *cipiant, nos autem incorruptam.* Non quoque hic sine
24. cursu, & quidem vario. repræsentatur *Cursus sequelæ*
Christi, Crucisque eius baiulationis ; *Cursus euntis è vul-*
neribus sanguinis, atque patientiæ, *per patientiam curra-*
Hebr. 12. 1 *mus ad propositum nobis certamen.* Perfectionisque cursus,
per gradus virtutum. *Digne ambuletis vocatione vestra,*
Eph. 4. 1. *quâ vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine,*
cum patientia supportantes inuicem in charitate. Et perfe-
ctum *in Ludis* declarauit se Stadiodromum, nam cum
Leg. 3. soc valedicturum mundo, visitarent Adolescentuli præte-
ritæ vanitatis socii, in ludis quos præbarabant, pri-
mas ei deferentes, admisit officiose ne contristaret
amicos, comitabaturque abeuntes : sed dum vanita-
tum terrenarum meditatio præoccupauit, & in extasim
seu ex-

seu extra se raptum, deduxit, horruerunt ad viri stuporem primò, demum ad se reuersum interrogarunt: quid tam altè secum cogitauerit? respondit, *Fugam Mundi sequellam Christi*, fecitque.

V. Sed & recreatio indifferentis Ludi, exprimitur: vtque Prælatus quidam, montem arboribus coronatum, proceritate & fonte gratum habens, talem instituebat ludum: qualibet feria sexta, quâ memoria Passionis Dominicæ colitur, ascendebat summo mane, positâ conditione, vt quisque portaret aliquot in modum Crucis compositâ ligna, si prandium ibidem lignis combustis paratum, habere vellet. animabanturque Amicorum & seruorum multi, ad pie excogitatum, animæ & corpori proficuum recreatiuum Ludum. Ita Francisci recreatio & deliciæ, Crux Iesu. hâc in monte Aluernæ gratiosè pressus: dum honor Crucis, stigmatibus in ipso expressus. præ hâc, omnes Mundi ludos & recreationes, putabat à cælestibus gaudiis recrastinationes. Potens cum Apostolo vsurpare: *Spectaculum facti sumus Mundo & Angelis & hominibus.*

* CONCEP n. 370.

1. Cor. 4. 9.

CAPVT XVI.

De 75. Scibili Cynegetico.

INFORMATIO, Prænotandis V. *Explicationem, Diuisionem, Obiectum, consideratataque Cynegeticæ, declarans.*

I. CYnegetica, seu Ars venatoria. connotat praxim & actum, capiendi acquirendique fera animalia, in syluis, campis, montibus. *Aucupium*, aut captura auium, pars eius est. & ex græco, *Ixeutica* dicitur.

 II. Fi-

II. Finis venatoriæ : *Recreatio & Exercitatio virium corporis* statuitur, sed impropriè. cùm potius capiendæ feræ, vt mensæ vestituique inseruiant ; ac ne damnum faciant.

III. Ad *licitam venationem* requiruntur : *Ratio publicæ vtilitatis*, ne fiat cùm feræ grauidæ. ob sobolem extinguendam. *Ratio Temporis*. ne diebus festis & ieiuniorum. *Ratio Confiniorum*, ne extra terminos proprii dominii ; aut cum terrâ fruibus grauida. *Ratio Modi*, ne cum periculo vitæ ; & cum moderamine exerceatur.

IV. Venatio dici potest : *vana actio*. si nimia, periculosa, sumptuosa, tempus & vitam atterens, substantiamque.

V. Non damnanda. & expedit incumbere ei, aliquando non semper ; moderate & prudenter, non excessiuè ; voluptuosè non periculosè ; recreationis non truculentiæ motiuo ; vtilitatisq; causâ.

INVENTIO. Conceptibus V. *Loca Venationum, Requisita Venatorum, Obiectaque Animalium : in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP. n. 371.

I. REfugium, vbi Feræ cupiunt esse Saluæ, licet eas ibidem capiunt, sunt syluæ. harum inter arbores, debet venator insilire, si laboris sui velit carpere fructus. Omnipotentis dextera, dum stigmata exarauit : loca cælestis venationis, syluam & nemora efformauit. Vt enim in syluis : præruptiones terræ, profundæque voragines ; scaturigines fontium ; & ar-

bores

bores frondosæ reperiuntur: sic in his, vulnerũ prærruptio; fontes sanguinis; vmbræque Crucifixi Iesu, de quo sacra ait sponsa: *sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios; sub vmbra illius quem desideraueram sedi.* Et obedierunt seruo Dei, arbores syluarum, loca venationis mysteriose aduinbranti. cum enim appropinquanti Senas, auceps quadam vice offerret Turtures viuos, dixit: sororculæ simplices, vt quid venatoris manibus permisistis vos? postea portauit secum ad locum Fratrum, & ante cænobium fixit baculum quem gestabat. in hoc, sequenti die in frondosam arborem miraculose excrescenti, præcepit auibus nidificare. à Venatorum remotioribus periculo. Cant. 2. 3. Spec. S. Fran. 1. p. c. 77.

II. Instrumenta quoque venationis, videamus in Concrucifixione. etenim rete expansum, quod circũductum ritè, capit feras rectè, Saluator Mundi, ad bestias peccatorum, feras vitiosorum, è syluis vanitatum educendas, efformauit. Quando vt retia perspicua foramina habent; funiculorumque nexus, *in modum Crucis* ligatos: ita stigmatibus, adnexa foramina vulnerũ; adnexi funiculi chordæ; adnexum mysterium Crucis Domini. Proferre valet: *De excelso misit ignem in ossibus meis*, Charitatis. *& erudiuit me* sapientia Crucis. *expandit rete pedibus meis*, expressione. *conuertit me retrorsum*, à Mundo. *posuit me desolatam tota die, merore confectam*, animam meam, compatientem Christo Crucifixo. * CONCEP n. 372. Thr. 1. 13.

III. Sed & Ceruum, gratum venationis obiectum, plagæ Seraphicæ signant. ille, velox pede cursuque promptus; vtque diuisam vngulam; & acuta cornua gerit; ita Franciscus, in via sequellæ Christi festinanter currens; diuisosque vulnere pedes, vt vngulas habens; ac acuta cornua clauorum gerens: *& exaltabũtur cor-* * CONCEP n. 373. Ps. 74. 11.

Ps.103.18 *tur cornua iusti.* dicente Propheta. Vtq; grati *excelsi montes Ceruis*: ita illi Mons Caluariæ peramænus, vbi Dominus eius Crucifixus; Mons Aluernæ iucundus, vbi
Ps. 41. Seruus Domino Concrucifixus. Dicere potest: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* quia vt ceruus, sagittis clauorum
Ioan.19.3. rum læsus currebat ad medicaminum fontes, vulnera
Is.12.3. Iesu. de quo exiuit *Sanguis & Aqua.* ad hauriendum *aquas de fontibus Saluatoris.*

IV. Nec solum robore, bestias venatores faciunt
* CONCEP n. 374. suas, sed & astutia sine rubore. Lupus vt lepide cadat, effodiunt caueam in terra, palum acutum in medio erigunt, carnem desuper imponunt, & stramine cooperiunt. vt dum insilierit bestia rapax, ipsamet
Ezech.22.27. rapiatur. Per lupos rapaces: auaritiæ & iracundiæ deditos, intelligit Propheta: *Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auare sectanda lucra.* Franciscus postulans ab auaris eleemosynam, extendebat manum: in quâ cauea vulneris; palus acutus claui; caroque transfixa *quasi ad inescandum*: referebant quoddam venabulum luporum rapacium. seu *occasio porrigebatur auaris, lucrandi cælum, redimendi peccata, proximo benefaciendi, bene possessa* distribuendi. Vir Apo-
2.Cor.12.16. stolicus cum Apostolo dicere valet: *Cum essem astutus, dolo vos cæpi.* Successitque, multis peccatoribus: verbo exemplo, oratione, miraculo, conuersis erectis. Sed res ipsa effectum monstrauit. etenim Eugubii, faciebat damna populo lupusci vltra quàm dicit potest: hunc aduocatum ad se blandientemque, Vir Dei, curauit, inito
Spec. S. Fran. p.1. c. 26. pacto, quòd ille nullum læderet viuens, ciues autem quoad vixerit alere tenerentur. ita conuentum inter vtrosque in publico foro, post Concionem. Vixit inter il-

ter illos egrediens & ingrediens per biennium, contentus suâ portione, ad cuius conspectum excitabatur populus in laudem Creatoris, & serui eius admirationem, cuius vulnera: *spiritualia venabula, Luporum Moralium,* expresserunt.

V. Eustachius militari gloria inter Romanos insignis, sub Traiano Imperatore exercens se venatione & exhilarans: cum miræ magnitudinis insequeretur ceruum, vidit inter cornua consistentis feræ, fulgentem Christi è Cruce pendentis imaginem, voce illum suâ ad immortalis vitæ prædam inuitantem. qui paruit, & martyrium subire pro amore Crucifixi non recusauit. In commodo Venationi loco Montis Aluernæ, in solitudine Syluisque eius, Seraphicus Vir, venatione affectuosâ quærebat illum de quo Sacra sponsa: *Reuertere similis esto Dilecte mi capreæ hinnuloque ceruorum, super montes Bethel.* Quid ergo? ecce reuersus est de cælo Christus, hinnulo ceruorum assimilatus: non solum alloquens illum apparendo in figura Crucifixi Seraph, sed & vulnera sua imprimens corpori. *O felix certe venatio, quâ Deus ipse possidetur, anima recreatur, Mundus vilescit & resignatur.*

* CONCEP. n. 375.

Vit. Sanct. die 20. Sept.

Cát. 2, 17.

CAPVT XVII.

De 76. Scibili Emphorico.

INFORMATIO. Prænotandis V. *Descriptionem, Partitionem, Obiectum, Considerataq; Emphorica, declarans.*

I. MErcatura, *Eumphoricè* dicitur. eius commercia sunt Negotiationes, quas ciues inter se, aut cum

Pere-

Peregrinis exercent, mercium commutandarum gratia. Communitati necessariarum.

II. *Minutariam & summariam* Mercaturam, statuit Cicero. tractans, an liberali homine sit digna? estque alia *Liberalior*, quæ magnis summis exercetur, mercesque summarie vendit; & non per minutas mensuras; & tales tractat, quibus corpus non coinquinatur. alia *Illiberalior*, merces minutis mensuris distrahens; venditorem coinquinantes, & illa: huic præferenda.

Lib. 1. Off.

III. Negotiationem interdictam esse: Sacerdotibus, Militibus, Principibus, *honestas & equitas* narrant. illi, emant & vendant Regnum cælorum, thesauro abscõdito; hi, ferreis mercibus, salutem Patriæ lucrentur; Principes autem non decet quæstuosam exercere mercaturam, nisi supplendum sit vices subditorum, imparium Mercaturæ, ob magnitudinem sumptuum, ob hostium pericula, & inde emergentem insufficientiam rerum, in Republica.

IV. Monopolia mercium, ac præcipue rerum ad vitam necessariarum, arbitrio vnius vel paucorum, in Republica, non esse concedenda. introducitur enim omnium rerum caritas; viæ comparandi necessaria vitæ, aliis ciuibus intercluduntur; causaturque vt pauci ditescant, multi ad inopiam redigantur, & delitescant.

V. Mercatura, laude omni digna. *nisi Iniustitia & Auaritia obstent, communia Mercatorum vitia.* per ipsam enim cum Barbaris consuetudo, cum extraneis amicitia, magnâ vtilitate Communitatum acquiritur, & conseruatur.

INVEN-

INVENTIO. Conceptibus V. *Lucra Mercaturæ, Auri pretium, Symbolumque optimi Mercatoris, in Concrucifixione Christo repræsentans.*

I. NEmo putaret aut affirmaret, Cæli & Terræ Dominum comprobasse: *Mercatorum lucra, non esse ludicra.* præcepit enim seruo bono, *Negotiamini dum venio.* at rationem negotiationis recepit, *Domine, mna tua, fecit quinq; mnas.* De Seraphico Viro canitur: * CONCEP n. 376. Luc: 19. 14.

Franciscus vt im publicum, cessat negotiari. Resp: 1. Noct: Off.
In agrum mox Dominicum, secedit meditari.
Inuentum Euangelicum thesaurum, vult mercari.

Illeque, *Seruus Fidelis & Bonus* extitit, qui promeruit quinque Mnas vulnerum Iesu, iuxta: *Domine quinque talenta, tradidisti mihi, ecce alia quinque super lucratus sum.* Matt. 25. 20. prima nimirum quinque, *participatione* Redemptionis à Cruce. alia, *communicatione* Concrucifixionis, quinque plagis Crucis. Pulchre completa Prophetia: *Erunt negotiationes eius, & mercedes eius Sanctificatæ Domino, non condentur neque reponentur, quia his qui habitauerint coram Domino, erit negotiatio eius, vt manducent ad saturitatem, & vestiantur vsq; ad vetustatem.* nam Filii, Ordinis Diui Francisci: Cibo eleemosynæ *saturantur*; & vestimentis vilibus, veteribusq; *vestiuntur.* Is. 23. 18.

II. Aurum dicitur, quasi *Auarum.* vt eius gratiâ, labores & casus, sumptum & pericula vitæ, non timeat Mercator. CONCE. Num: 377.

Impiger extremos, currit mercator ad Indos.
Per mare. pauperiem fugiens, per ſaxa per ignes.

At & Seraphica vulnera, pretioſa ſunt. vtque aurum, ſumptuoſum eſt *emptionis & redemptionis* pretium : ita ſimilitudinem extrinſecam refert vulnerum Ieſu, *Orbem redimentium*, ſeu memoriam Redemptionis. di-
Pſ. 110. 9. cente Propheta : *Redemptionem miſit populo ſuo*, & A-
1. C. 6. 20. poſtolo proclamante : *Empti enim eſtis pretio magno.* Et quemadmodum ineſt *pallor auro*, de quo facer tex-
Pſ. 67. 14. tus : *Poſteriora dorſi eius, in pallore auri.* ita Concrucifixio pallida, & facies præ eis. quemadmodumque auream fibulam, aiunt *perforare manus*. vel vt Horatius:
L. 3. Od. 6. *Aurum per medios ire ſatellites,*
Et perrumpere amat, ſaxa potentius
Ictu fulmineo.

Similiter in ſtigmatibus : auro amoris, ignitique fulminis eius ictu, clara eſt, & âdmiratione digna, perforatio.

* CONCEP n. 378. III. Vniones Orientis, ſiue Margaritæ, fructuoſo mercatu diſtrahuntur. *Simile eſt Regnum cælorum, homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna*
Ma. 13. 45 *pretioſa margarita, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Has pretioſas merces, in myſterio ſtigmatum videre eſt. vt enim vniones, in cellula cruſtarum conchæ marinæ naſcuntur ; vt in orbem formantur ; vt in littore maris reperiuntur ; ad ornamentumque hominum, per medium transforaminantur : pariter illa, corpori *in concha clauſtri cellæ* ſegregato, & ſæpius in concha foraminatarum rupium, ad exercitia pia ſe recludenti, impreſſa. Rotunditatemque Margaritarum, orbicularibus cicatricibus ; & perforationem mediam, transfixione vulneroſâ, demonſtrant. Talibus vnionibus, in patientia ſua negotiabatur Franciſcus,

scus, vt in infirmitate quadam, dum deprecaretur Deum: Domine Deus meus in auxilium respice, da gratiam infirmitates patienter tolerandi. responsum ei fuerit: scias estimabiliores tuos dolores, vniuersis mundi opibus, neque vendendos pro Orbe vniuerso, etiamsi partes eius, transformarentur in montes aureos, & lapides omnes eius euaderet pretiosi, & vasti maris aquæ, conuerterentur in balsamum, hac semita ibis ad cælum. Felices profectò tales, & nimis pretiosæ: quæ liberant à gemitu gehennæ, & sunt æternæ semita vitæ. Wad. T. I. fol. 322.

IV. Sed diuersa alia, quæramus mercimonia. & inprimis expositam Purpuram, comparemus? hæc, quia pretiosa, digna solutione; quia gratiosa, facilis venditione. *Syrus negotiator tuus, propter multitudinem operum tuorum, gemmam & purpuram.* Passionem Domini nostri Iesu Christi, neminem latet purpuream esse. tum præ Sanctissimo cruore purpureo; tum præ vestimento regio. *Et induunt eum purpurâ.* * CONCEP n. 379. Ezech. 27. 16. M. 16. 17.

Purpureamq; illi tunicam, chlamidemq; rubentem.
Inducunt. Spinisque caput, cinxere Cruentis.

Hanc Franciscus emit, comparauitque, quando passi Domini purpureis vulneribus, caro eius purpurata. Vtque purpuram tingit sanguis vermiculi muricis, roseoque colore rubefacit. Unde verba hæc: *Purpura coccoq; bis tincto*, originale legit: Vermiculo & cocco. Purpuram etiam Stigmatum, tinxit *Vermiculus*, Saluator JESUS. de quo scriptura: *Ego autem sum vermis & non homo.* tam mirificè in passione sua humiliatus. Sed sacræ mysteria Mercaturæ Francisci, signa futura ex his colligantur. Opulentus diuesque Parens eius, mercaturæ liberaliori, in partibus Galliæ & Italiæ vacabat, filium quoque mercationum negotiis adaptans. de quo S. Bonauentura: *nec inter* Iuu. in L. Hist. Eua. Ps. 21. 7. Wad. ap. Ann. 8. 3.

cupi-

Lect. a. Of. prp. *cupidos Mercatores, speravit in pecunia & thesauris.* postquam igitur illum figura Christi de Cruce allocuta est, inuitando ad reparationem labentis Ecclesiæ Sancti Damiani, Assisii: Pannos assumpsit venales, ad ciuitatem Fulgini perrexit, vendiditque. & pecuniam pro restauratione Sacerdoti reddidit. quam cum nollet timens patrem eius recipere, *abiectam vilipendit.* Extuncque Mundo & Negotiationi valedixit. Libenter pro amore Crucifixi vendens pannos offerensque pretium: cui Crucifixus Dominus, purpuram vulnerum suorum communicauit.

* CONCEP n. 380. V. Mercator quidam opulentissimus, mortua vxore & filia parua sua, dolore mortuorum ac timore mortis, vehementer angustiatus: dum coram Crucifixi effigie oraret, amore eius, commori ipsi & mori mundo statuit, fecitq;. religiosus existens, dum sæpiùs cor eius amore mortui JESU æstuaret, dignus amplexu eiusdem, suauiter obdormiuit dicens: Exemp. de C. Mun. 6. *Crux Domini mei, thesauri incomparabiles, merces nimis magnæ, hàc me redemit, & cælum mihi emit.* Franciscus mortuus mundo, spretâ mercaturâ sæculi, amantissimus Crucifixi Redemptoris sui fuit, *in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei.* Et cum re & verbo Phil. 3. 7. palam profitebatur: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.* mysteria mortis JESU, *signa emptionis vitæ æternæ*, & redemptionis hominis, consecutus est. Ad maiorem Omnipotentis honorem, infernique horrorem.



LIBER IV.

LIBER IIII.

Scibilium Domesticorum.

Præcipua Objecta, Considerata, Reductaq; Scientifica.

In Concrucifixione Christo, REPRÆSENTANS.

Aditus Scibilium.



Isitatâ *Ecclesia*, trangressa *Scholâ*, adito *Foro publico:* redimus *Domum*, aut Domesticorum & Æconomialium Scibilium, *Porticum*. Et ejus *(more superiori)* quinque Columnæ, Generalium Doctrinarum: quoàd *Domum Patris Familas*; quoad *Cultum terræ*; quoàd *Animalium conservationem*; quoàd *Fructus Hortorum*; & *Aquarum Munera*. Cùm his Æconomia, constituatur & absolvatur. Conceptus verò, à prioribus, non absimili partu excrescunt: nec *domi* in consideratis domesticis, otiosi manent.

CAPUT I.

De 77. Scibili Æconomico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Differentiam, Divisionem, Objectum, considerataq; Æconomicæ, declarans.*

I. ÆConomia, est *Ars Modum tradens, bene constituendi & administrandi domum.* Prudentia tamen administrandæ Domesticæ Familiæ, non est dicenda. Cùm non consideretur ut Habitus, prout certis præceptis traditur & constat. Sed ut *Ars sistematica*, nisi velis, pro Experimentali longo tempore regimine rerum, accipere.

II. Ethicæ Specialis, docentis probe honesteq; vivere, in determinata specie aliqua societatis humanæ, esse *Partem, à Politica omnino distinctam*, prioremq;. Cùm *Domus* absolutè considerata, naturâ prior sit Civitate, eique prima principia & fundamenta suppeditet. Atq; multitudinis familiarum regimine, *Societas Politica* constituatur. *Æconomica* verò, unius Domus & Reifamiliaris, directione.

III. Objectum Æconomicæ, *Domus*. non propriè sumpta ut ædificium significat, in quo Paterfamilias cum suis degit, sed pro eo, quod ex *Familia* & *Refamiliari*, tanquam partibus integrantibus, & componentibus constat. *Estq; societas privata hominum & rerum domesticarum, unius Patris familias, imperio subjecta.*

IV Causæ Materiales Constitutivæ *Familiæ* seu *Domûs*: est Vir & Uxor; ille *Paterfamilias*, hæc *Materfamilias* dicitur. Sunt Liberi & Propinqui; Sunt Servi & Ancillæ. Ex quibus Domestica Societas, triplex coalescit. *Conjugalis*, *Paterna*, *Herilis*. Quantùm ad *Rem Familiarem*: hæc est multitudo bonorum externorum, ad Familiam bene sustendandam & conservandam, aliosq; vitæ domesticæ usus, apposita. Partes ejus constituunt: *Possessio Bonorum Naturalium*. Ut sunt quævis *Animata*, & primò, *animal Rationale*, Servus, inter possessiones domesticas primum. Animal *Terrestre*, ad Victum vel ad laborem domesticum aptum: Ut feræ, pecora, gallinæ columbæ, &c. Ut Bestiæ cicuratæ, Elephantes, Cameli, Cervi, armenta &c. *Animal aquatile*, ut pisces, &c.

Item *Inanimata* bona Naturalia: *nutritioni* humanæ inservientia, sunt esculenta & poculenta quævis, *non nutritioni* sed usibus Æconomicis inservientia, sunt Ligna, stramen, fænum, lapides, metalla & alia. Item *animata Sensu carentia*, ut plantæ Herbæ frutices.

Atq; Possessio *Artificialium Bonorum*, idq; aut *primaria*, ut

ut Domus ipsa, pecunia, Suppellex, ad necessaria Vitæ, Sustentationis conservationisq; subsidia spectans, aut *Secundaria*, ut *Materiæ Artificiales*, atq; *Instrumentariæ*: Ligneæ, Lapideæ, argillaceæ, Laneæ, Sericæ, plumeæ, cellariæ, &c.

V. Dolendum, hanc utilissimam artem, in Scholis, aplerisq; neglectam, à paucis excultam esse. Quanta autem malorum seges ex neglectu ejus pullulaverit, *narrant*: perversæ domus constitutiones & animadversiones; infausta connubia; liberorum prava procreatio & educatio; servorum infidelitas & improbitas. *monstrant*: injustæ bonorum domesticorum acquisitiones; profusiones, & dissipationes; calamitates quoq; & infelicitates Rerumpublicarum; ex neglectu præfatæ Æconomicæ Scientiæ.

INVENTIO. Conceptibus V: *Oratoria Privata, Domûs requisita primaria Reifamiliaris, atq; Depositum Domesticum: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. VNiversi Paterfamilias Optimus, Deus. Cœlum cœli Domino assignavit, terram autem filiis hominum, instar domûs & Habitaculi dans: quamvis immensus sit, atq; ubivis locorum præsens, singularem tamen, *Adorationis* suæ excepit & requisivit locum. Decetq; & esse necessarium, ut inter Domesticos lares, Paterfamilias prudens, eligat Oratorii aliquod spatium. (Scriptura dicente: *Judith ingressa est Oratorium suum*, & Christo: *Cum oraveris, intra in cubiculum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.*) ad Habitaculum Animæ.

* *CONCEP. Num. 381.*

Jud: 9, 1.

Matt. 6, 6.

Corpus Francisci, dum adornavit Christus Vulneribus suis: *Oratoria parva* in illis, locosq; privatos pietatis extruxit. Exponens etiam, *ut moris est in Capellis Sacris*, imaginem Crucifixionis suæ. *Templum est DEI, anima Justi, communi Christi*: Sâct. Sermanorum Quadr. 3.

anorum pietate, eximiæ tamen Sanctitatis Viri, Specialia in anima sua, Creatori & Redemptori, extruunt Sacraria, ut cum Summo Bono suaviùs in obscondito conversentur.

* II. Demens est, cui non est mens, ut sit domi mensa.
CONCEP. Num 382. *Sapientia ædificavit sibi Domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* Caro
Prov. 9, 1. Francisci, facta Domus *inhabitationis Jesu Vulnerati:* Mensâ non caret, utq; olim ex ligno, apud Romanos conficiebatur.

Juven: sat: 1 *Illa domi natas, nostraq; ex arbore Mensas Tempora viderunt.*

Lib. 13, 15. Ita ex *Arbore Crucis*, & quidem, ut Plinius vocat *Mensâ Undulatâ*, ob venas ligni errantes & quasi fluentes. Etenim, non sine variatione, fluidarum sagvinis undarum. Ut in tabulis Bruſceis, molluceisq; cernitur. Præstitum Viro DEI: *Re-*
Job. 36, 16. *quies autem mensæ tuæ, erit plena pinguedine.* Plena *Chrismatis pinguedine*, idest Christi, à Chrismate unctioneq; cælesti dicti.
Psal. 44, 8. *Unxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.* Plena item *pinguedine*, nempe mysterio vulnerum Jesu: quæ aromatibus à Nicodemo & Josepho, cùm Sepulturæ darentur, *perunctà*, sunt.
Joa. 19, 40. Sanctus qui efformavit *mensam DEI*, Mensam Principum decoravit. Invitatus enim, ad prandium à Cardinali Ostiensi, more suo, prius ostiatim abiit petere aëlemosynam, collectisq; frustulis panis, cum assedisset mensæ, exposuit ea invitans ad manducandum, moleste autem id ferente
Chron. Ord. pag. 1. L. 1. 35. Prælato, & dicente: patet mensa mea tibi tuisq;, cur alios adiisti, respondit: DEI mensa hæc obtulit, ut honorarem hanc, apportavi. Hospites emendicatis esculentis delectati, quædam sumpserunt quædam servarunt, grate habente & exhilarato Patrefamilias.

* III. In Registro Reifamiliariæ, non ultimò etiam
CONCEP: Num. 383. legitur *Lectulus*. De Eliseo dictum: *Faciamus ergo ei Cœnaculum*
4 Reg. 4, 10

lum parvum, & ponamus in eo Lectulum & mensam & sellam & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. Concrucifixio, ut Anima Francisci, Jesu amore languens, *requiesceret*, in formam Lectuli adaptata. Nam ad intexendos funes, juxta: *Intexui funibus lectulum meum*, foramina *clavis transfigentibus* Prov. 7, 16. præparata sunt. Et si Materia Lectuli, sit ex ossibus eburneis. *Dormitis in lectis eburneis.* Sanctus dici potest, è numero ser- Amos 6, 4. vorum Dei, de quibus: *Rubicundiores ebore antiquo, sapphiro* Thr. 4, 7. *pulchriores.*

Pulchre ipse Christus, ejus lectulum, sanctæ Brigittæ, Revel. S. oranti in æde Portiunculæ, commendavit dicens: *Franciscus* Brigit. ex- *descendit de monte deliciarum in Speluncam. Ubi panis suus erat,* trav. c. 90. *Divina Charitas, potus ejus continuæ Lachrymæ, & Lectus ejus Meditatio Operum & mandatorum meorum.*

IV. At quæris de pulvinaribus castis, inter requisita * domestica? licet *materialia*, mortificatio Francisci respuit, CONCEP: sed non *Moralia*. Utq; Christus, *erat in puppi super cervical* Num. 384. *dormiens.* Ita in Corpore stigmatibus decorato, *quasi in cervi-* Mar. 4, 38. *cali*, reposita est Passio Domini Nostri Jesu Christi, & requievit. Quemadmodumq; Joanni, inter Apostolos ætate minori, Dominus corpus suum in pulvinar adaptavit. *Recubuit* Joan. 21, 2. *in cæna, super pectus ejus.* Ita in viro Apostolico, humilitate *Minori*: ipsemet, vulneratum latus suum, manuum & pedum vulnera, reposuit & requiescere fecit.

Sed effectum *mollis cervicalis*, meritis ejus, videamus: Apud quendam nobilem Rudolphum, custos nocte in summitate turris dormiens, solutâ lignorum struè, in crepidine muri positorum, corruit. Intellecto casu, accurrebat quisq; Wad: T. I. juvare & spectare, dumque impelleretur manu, absque signo fol. 380. vitæ jacens, tandem excitatus, conquæri cæpit, quòd dulci privaretur somno, inter B. Francisci Brachia suaviter recumbendo, sed edoctus ab aliis, stupens factum, quod fieri non perceperat, gratias reddidit Deo. V. Vale-

* CONCEP: Num.385. V. Valedicens viæ Vitæ, Philippus II, Rex Hispaniarum, cistulam eburneam auro vestitam, mandavit producere de thesauris suis, inqua servabatur Crucifixi figura, & flagellum. Hanc Philippo III. Regi juveni, in donum obrulit, dicens: Crucifixum in cujus complexu, Avus tuus & ego peregrinationis dies termino; flagellum in cujus nexu, non purpuram Regum, sed Sanguinem dorsi Regum rubere cernis; serva observa.

Petr. de Henr. Lib. I. narr.

Arca arcanorum Crucifixionis JESU: Francisco, à Rege Regum Salvatore, impressione Vulnerum donata est, ut in corporis ejus cistula, reconditorium fieret Crucis, in cujus amplexu ipse extensis manibus, formâ Crucis transpositis, obdormivit. Atq; *Purpuræ Sanguinis:* in cujus effluxu de Vulneribus, expiravit *Rex Nazarenus JESUS CHRISTUS.*

CAPUT II.

De 78. Scibili Georgico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Principia, Observationem, Objectum, Considerataq; Georgicæ, declarans.*

I. GEorgica, ut Virgilii Librorum nomen est, sumitur pro *cultu Agri*, Æconomiæq; circa terram operibus, immediate naturam accedentibus. Et est ars omnium innocentissima juxta S. Augustinum *contra Manichæos.*

II. Cæpit cum homine & Mundo, *antiquitate notâ*, culta ab Abel, Seth, Noe, Abraham, Jacob, Viris nobilibus, inter omnia media, acquirendæ reifamiliaris, maxime naturalis & necessaria. Magis etenim secundùm naturam perfectius: ex terra, quæ mater & nutrix nostra, quàm aliunde nutriri.

III. In exercenda Agricultura vel hæc Patrisfamilias observanda: *Cæli sub quo vivit & terræ colendæ natura, ac Tempus bonum & aptum.* Non enim omnia fert, omnibus tellus. Sciendum

endum quoq; tempus idoneum: arationis, seminationis, collectionis, ac impinguationis.

IV. Ager, Objectum Agriculturæ, denominari potest ab *Ago*, multa enim circa arua agenda sunt, vel ab *aggregatione*. Ut in Evangelio: *Hominis cujusdam divitis, uberes fructus ager adtulit, & cogitabat intra se dicens, quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos.* Luc: 12, 16.

V. Nec laus agriculturæ Modica est:

O fortunatos nimium sua si bona norint,
Agricolas: quibus ipsa procul, discordibus armis,
Fundit humo facilem victum, justissima tellus.

INVENTIO. Conceptibus V: *Arva Exculta; Aratri specimen, seminis naturam; Mysteriumq; in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. FUndum agrorum, nisi laceratione ferrei vomeris fuerit confusum; collectam in spicis affluentiam seminum, non effundet. * CONCEP: Num. 386.

Fossa parit tellus, optato tempore fructus:

Francisci caro: non solũ *naturâ*, terra est. *Omnes homines terra & cinis*, sed & Humilitate: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.* Instar agri autem facta, cum sacris scissuris exculta, dicendaq; *Terra Ager*, idest ægrâ vulnerum fossione attrita. *Terra* enim, anagrammaticè dicitur: *Terar.* Eccl: 17, 31. Gen: 18, 27.

Errantum pedibus, calcabor humillima tellus,
Vomere proscindar, dumq; ero terra, terar.

Etsi agri terra illa proficua, quæ declivia *in Convallibus* explicat Arva, *valles abundabunt frumento*, innuente etiam Job: *Nunquid alligabis rhynocerota, ad arrandum loro tuo, aut confringet glebas Vallium post te.* Ita præ Convallibus Vulnerum Christi, transiit in terram seminis capacem, fructûs feracem. Ps: 64, 14. Job: 39, 10. Matt. 13, 8.

Alia

Iſ: 17, 2. *Alia autem ceciderunt in bonam terram, & dabunt fructum aliud cen-*
teſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum. Quadrat Vallibus
ſtigmatum, illud Prophetæ: *Et erit ſicut congregans in meſſe,*
quod reſtiterit & brachium ejus ſpicas leget, & erit ſicut quærens ſpi-
cas in valle Raphaim. Cùm mendicantium Ordinis Inſtitutor:
eclemoſynarum Panis, erat collector.

* II. Quòd olim Sioni in ſignum Furoris Dei, per Je-
CONCEP: remiam & Micheam comminatum: *Sion quaſi ager arabitur,*
Num.387. id Franciſco, dum Cruce, quaſi aratro, in carne ejus exarata
Jer.26,18. Mich.3,12. Vulnera Chriſti, ceſſit in amoris teſſeram, juxta: *Ecce ego ad*
Ezech.36,9 *vos & convertor ad vos, & arabimini, & accipietis ſementem.* Inſtru-
mentum Crucis, aratro aſſimilante Verbo Dei: *Nemo mit-*
Luc.9,62. *tens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.*
Et cum poſſedit Vir Dei, ſemen perfectionis Virtutum:
Jacob.3,18. *Fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur,* aſſerendum eſt, invigi-
1.Cor.9,10. laſſe illum araturæ Spirituali. *Debet in ſpe qui arat arare, & qui*
triturat, in ſpe percipiendi fructus.

Et colligerem ipſam, viſitans ad Apennini Montis ra-
Wad:T.I. dices, in valle ſaxi, ſacellum Deiparæ deſertum, petiit agri-
fol. 156. colam proximum agellum arantem, ad devitandum errone-
um iter ut præiret; & in ſylva optatum monſtraret termi-
num, reſpondit ille: *Propter vos non aratrum deſeram,* blan-
do tamen & pio Sermone humanior redditus, duxit & per-
duxit, acceptaq; benedictione rediens, agrum aratum, & ara-
turam completam, invenit.

* III. Prout Semen concreditum terræ, in ſpe reſtitu-
CONCEP: tionis, mortis ſepulturæq; ſpecimen præfert. *Niſi granum*
Num.388. *frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit,* nullum fructum ad-
Joan.12,25 fert: *ſi autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Ita Con-
crucifixio, reddit Mortis & Sepulturæ Domini Specimina, re-
fert exemplaria. Factus Franciſcus: *Frumentum Chriſti,* juxta:
Zach.9,17. *Quid enim bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum ele-*
ctorum.

In ipſo

In ipso verificari videtur illud: *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient, cum exultatione, portantes manipulos suos.* Currebat enim, in via imitationis Christi, flendo compatiendoq; morti ejus, *seminans fructus Pœnitentiæ.* Axioma Evangelicum: *Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus & rapit, quod seminatum est in corde ejus,* ne verificaretur in illo custodiens, quòd tandem in exultatione reportaverit, *Manipulum Vulnerum JESU,* in corpore suo cingulo Chordæ ligato, collectorum. Ps: 125, 6. Matt: 13, 19.

Carnis spicam contemptûs areâ, Franciscus frangens, terens terrea. Off: Noct: 3

Granum purum excussa paleâ, summi Regis intrat in horrea.

IV. Homo dat semen *terræ excultæ.* Simile *factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.* Observatq; seminandi *tempus Matutinum,* ut vulgò dicitur: *Exorto mane, in agro non domi mane.* Et, *mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua, quia quid magis oriatur, hoc aut illud, & si utrumq; simul, melius erit.* Optat sititq; semini, roridi imbris potum. *Quomodo descendit imber & nix de Cælo, & illuc ultra non revertitur sed inebriat terram, & infundit eam & seminare eam facit, & dat semen serenti.* * CONCEP: *n. 389.* Matt: 13, 14. Eccl: 11, 6. Is: 55, 10.

Similiter stigmata, Seminata sunt ab illo, de quo Pilatus: *Ecce homo,* qui *habitu inventus ut Homo.* Et prout extenditur in disiiciendis seminibus manus, ad instar Crucifigendi, ita extensis manibus in Cruce apparens, impressit. Et quidem apto seminationi, matutino tempore. *Quodam mane circa festum Exaltationis S. Crucis.* Nec sine imbre fæcundante Terram: catarrhactis Vulnerum, pluviam Sanguinis fundentibus. Cum illud contigit Beato Patri, *si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua.* Joan: 19, 5. Philip: 2, 7. Off: Stigm: 2. Lect. Prov. 6, 11.

V. Jonas & Barachias Persæ, Fratres Uterini, Martyres, cum Sapori Tyranno, sapore Sapientiæ de cultu unius * CONCEP: *n. 390.*

Dei carenti, restitissent. Jonæ ante tribunal narranti: *Vitam*
Lipom. T. 7. *& omnia nostra seminamus, propter amorem Domini nostri JEsu Christi libenter, sicut arator committit semen terræ, memores in messe gloriæ æternæ, omnia nobis redditurum copiosius*, mandavit secare extrema digitorum manuum & pedum, insultans: En seminavimus membra tua, expecta collecturam eorũ in messe.

Franciscus affectu & effectu mystico Martyr, Vulneribus Regis Martyrum Christi, insignitus: membra dissecta manuum & pedum, instar seminationis prædictæ, præfert &
1. Cor: 3, 9. monstrat. Ut de ejus membris, verificetur; *Dei Agricultura estis.*

CAPUT III.

De 79. Scibili Vindemiatico.

INFORMATIO. Prænotandis V: ***Explicationem, Divisionem, Objectum, Considerata, Inventionemq; Vindemiaticæ, declarans.***

I. PEritia Vindemiæ seu *Vini demptionis*, complet praxim Æconomicam, estq; *Georgicæ*, seu Artis cultûs Agri,
Aphor: Æcon: Sect: 7. pars, simili terræ cultu adæquata, sed fructus collecturâ, distincta. Cato & Varro, subnectunt eam *Rusticæ rerum peritiæ*,
In Caton: & Cicero, de ea perorat: *Quid ego vitium satus, ortus, commemorem? Satiari delectatione non possum.*

II. Vineæ aliæ sunt *Sylvestres*, quæ solius naturæ adjutorio botros imperfectæ qualitatis proferunt, aliæ *Domesticæ*, quæ hominum operâ excolente naturam, vuis perfectioribus tumescunt, & feraces gustuq; non tam feroces sunt.

III. Ad Vineam excolendam, ad Vindemiam colligendam, requiruntur: *Stercoratio, Aratio, Fossio, Satio, Insitio, Translatio, Propagatio, Putatio, Nutricatio, Maritatio, Deligatio, Nodatio, Ablaqueatio, Pampinatio, Runcatio, Purgatio*, atq; post hæc officia, finis laboris: *Vindemiatio*. Et hæc dicitur:

à Vini Datione Dominis, pro expoſito in Vineam ſumptu. *Dicit Domino Vineæ, procuratori ſuo, voca operarios & redde illis mercedem.* Matt: 20, 8.

IV. Inventum propagationemq; Vini: Noë Patriarchæ, ſcriptura tribuit, qui transfuſo dilluvio, radices repullulantes vitis Sylveſtris effodit, terræ cultæ inſervit, fovit ac convenienti culturâ labruſcas ſuſtulit. *Cæpitq; Noë, vir agricola exercere terram, & plantavit vineam.* Gen: 9, 20.

V. Doctores tam animæ, quàm corporis, modicum non damnant Vini uſum, ait Apoſtolus: *Modico utere Vino, propter Stomachum*, & Galenus: Vinum tum roborat, tum nutrit celerrime, quod ut aſſimiletur, mutationem requirit minimam. Et Poëta non vituperat: 1. Tim: 5, 3. Lib: 3. de Temp:

Vina parant animos faciuntq; coloribus aptos,
Cura fugit multo, diluiturq; Vino,
Tunc aperit mentes ævo rarisſima noſtro
Simplicitas, artes excutiente DEO.

INVENTIO. Conceptus V. *Vitis Curam, Botri Specimen Torcularia & Cellas Vinanas, Myſticumq; Vinum, in Concrucifixione Chriſto, repræſentans.*

I. NEmo putaret: *Vitem*, inter Vulnera vivere, ejusq; ſectionem, læſionem, amputationem, fructum amputatori, non dolorem amputato ramo, adferre. *Sex annis putabis Vineam tuam, colligesq; fructus ejus.* Ejus archetypum inſe aſſumpſit Dominus, palmitum figuram relinquens diſcipulis ſuis: *Ego ſum vitis, vos palmites.* * CONCEP: n. 391. Levit: 25, 3. Joan: 15, 3.

A vita vitem, quidam deducit, & alter,
Vitem à vitando, nec male uterq; docet,
A vita eſt vitis, quam Chriſti menſa propinat,
Vitis vitanda eſt, improbe Bache tua.

Inhac Vite, JEſu Chriſto, permanſit Vir DEI, floruitq;

Offic: Veſp: 2. *Decus Morum, Dux Minorum, Franciſcus tenens, bravium, Iute Vite, datur Vitæ, Chriſte Redemptor omnium.*

Vinea itaq; *Chriſti*, Eccleſia, cùm Vitis Seraphica mature excrevit; cùm palmites Vineæ Ordinis Minorum effloruiſſent; cæleſti Sponſo ſuo, Plantatori Divino, *tempus præciſionis* ſignificavit, annunciavit: *Tempus advenit, vox turturis audita eſt in* Cant: 2, 12. *terra noſtra, ficus, protulit groſſos ſuos, Vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* Promeruitq; ad conſolationem Fidelium, ut ſicut Salvator *vitis vera*, Vulneribus Crucis, præciſionem, puta- Oſe: 1, 1. tionem, ſuſtinuit. ita Franciſcus in Vite ejus permanens, *Vulneribus impreſſis Crucis*, quaſi Vitis, præciſus & putatus eſt. *Factus quaſi Vitis frondoſa Iſrael.*

Nec abſq myſterio, quòd poſtquam in Monte Alvernæ, celebrata eſt Stigmatiſatio, ingens tempeſtas grandinis, Piſanus. quæ annis ſingulis, vicinas Monti, & circum circa adjacentes Confor: Vineas vaſtabat, ceſſaverit, & hucusq; non infeſtat. Servo L. 3. fr. 3. Dei, figuram Vitis fructiferæ aſſumente, in vitemq; veram, Wad: T. 1. concrucifixione Chriſto, transmutato. *Adde*, quòd prope fol: 181. Reatinam Civitatem, in Vinea Parochi, ab innumero populo viſitante Eccleſiam devaſtata, ex paucis vitium racemis relictis, tantum Vini effluere fecit, quantum nunquam Vinea ſuppeditavit, Cælum ſubmiſſis fatigando precibus.

* CONCEP: n. 392. II. Ex vite vis forſan Botrum? ex quo vis & virtus Vini. Et hujus ſpecimen Vivum. Ut enim *Botrus*, humido abundat liquore; Ut rubei ſæpe eſt coloris; ut vuarum rotunditate gaudet; ut infixos, *quaſi claviculos*, racemos Vuis habet; ut granula *inſtar Cordis*, in medio vuæ continet. Ita Stigmata, ſudant liquido Sanguinis humore; plagas orbiculatas, & impactos clavos acſi racemos habent; atq; cor in medio

medio læſi lateris, (ſicut granum in medio eſt uvæ) continent. Juxta: *Quomodo ſi inveniatur granum in Botro, & dicatur ne diſſipes illud, quoniam Benedictio eſt. Sic faciam propter Servos meos, ut non diſperdam totum.* Iſ: 65, 8.

Nec Botrum Franciſci, ſine dulcedine eſſe. Cum enim Frater Sylveſter, è primis Sociis ejus, diuturnâ infirmitate fatigaretur, ejus deſiderium de comedendis vuis præſentiens B. Pater, ad proximam Amici vineam duxit, ſub delectaq; à ſe vite conſedit, benedictoq; ſigno Crucis Botro, dum eundem tractavit: ſanavit, infirmumq; exultare, & exaltare Deum fecit. Wad: T. 1. fol: 74.

III. Vinum lætitia replens cor Mortalium, violentiam torcularis patitur. *Vino torcularia tua redundabunt*, & *redundabunt torcularia vino & oleo*. Atq; in tormentis preſſuræ, licet exhilaret animos, ſudat & illachrymat, & quidem humore pro diverſitate locorum diverſo, Græca enim & Hiſpanica Vina, *luteum ſeu ſubnigrum* colorem retinent. Ungarica pura, *aureum & viridem*. Lesbia, Setina, Cæcubana, *album* Germanica, Italica, *Rubeum*. Et de *rubella Vini* Sanguinea, narrat ſcriptura: *porrexit manum ſuam in libatione, & libavit de ſanguine vuæ*. Item, *Elephantibus oſtenderunt ſanguinem vuæ & mori.* * CONCEP: n. 393. Pſ: 103, 15. Joel: 2, 24. Eccl: 50, 16. 1. Mach: 6, 34.

Vinum Concrucifixionis Chriſto, premente myſterioſo Torculari Crucis, rubellam purpuream ſanguinis ſpargit. De quo colore vini, clavis punctoriis ellicito, Franciſco proferendum cum David: *Deus potaſti nos, Vino compunctionis.* Qui imitator Crucifixi Domini factus, *quaſi Pellicanus*, ſanguinis vino potans filios Ordinis ſui, eſt effectus. Ut de Congregatione Minoritanæ vineæ, plantatæ ſecus *aquas pænitentiæ*, dicere quisq; poſſit: *Mater tua quaſi Vinea, in Sanguine tuo, ſuper aquas plantata eſt.* Pſ: 59, 5. Ezech: 19, 10.

Et qui vini expreſſionem edidit, miraculoſe vinum dedit, nam cum quandam extrueret Eccleſiam, & operarii æ-

Pis: L. 2. stivo tempore siti laboreq; conficerentur, Vinum autem ad
Confor: refocillandum non adesset, misit ad vicinum *castrum Jovis*, in
10. provincia Anconitana, Fratres suos conquirere, citoq; deferre, at tardantibus, urgentibus verò siti pressis, perrexit ad fontem proximum, oransq; & Cruce signans aquam, Optimum Vinum effecit, & durante transmutatione una horâ, quibus erat sitis, factum satis.

* CONCEP: n. 394. IV. Reconditorium asservativum Vini, describitur à Vitruvio. *Cella Vinaria, habeat à septemtrione lumina fenestrarum,*
De Ædific: *cum enim alia parte habuerit, quam Sol calefacere possit, Vinum quod*
Cell: p. 1. *erit in illa cella, calore confusum, efficietur imbecillum.*

Franciscus, lætari & gloriari cum Sacra Sponsa potest:
Cant: 2, 4. *Introduxit me in cellam Vinariam, ordinavit in me charitatem.* Quando Vinum calicis mortis Domini; *Vinum Charitatis*, ponentis in Cruce animam pro amicis suis; in Corpus ejus introductum est: *instar Cellæ Vinariæ*, fenestris & foribus vulnerum excisis, & ferramentis clavorum obserantibus, efformatum. Profectò Vinum Passionis Dominicæ in carnem Viri Dei, impressione reali vulnerum introductum, ad intra ex-
Eccl: 40, 10 hilaravit cor ejus. *Vinum & Musica lætificant cor*, & tanquam
Luc: 5, 38. in utrem novum, infusum, *Vinum novum, in utres novos, mittendum est.*

* CONCEP: n. 395. V. Salutari ligno Crucis, sub Cosroa Rege, in captivitate Persica existente, Athanasius Vir gentis illius nobilis, audiens mortem JESU, factus Christianus, mox Religiosus. Huic in quadam Visione, stanti in excelso monte, Vir staturâ & Authoritate gravis, obtulit vas Vini, lapidibus pretiosis
Ex Vit: Sanct: ornatum, dicens: sume, bibe. fecit ille, & mox Martyrii amore, & fundendi pro Christo Sanguinem desiderió incaluit. Quare exnunc, media nocte surgens, ad infideles abiit, cumq; Christum Crucifixum prædicaret, post tormenta, amputato capite, gloriosè finivit.

Viro

Viro Seraphico, non per visionem, sed in apparitione reali, Salvator Mundi apparuit, *Vinumq; Martyrii Mortis & Crucis suæ*, propinavit. Ac sicut Calvariense Vinum, *mistum felle*, amarum Domino fuit, ita impressio Stigmatum, non sine amaro dolore. Proferendum cum Sancto Propheta, Viro Dei: *Contritum est Cor in medio mei.* Lateris vulnere, *contremuerunt omnia ossa mea*, dolore, *factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus à Vino, à facie Domini & à facie Sanctorum Verborum ejus*, à facie Christi imprimentis, sanctum *Verbum* Crucis.

Matt: 27, 34.

Jer: 23, 9.

CAPUT IV.

De 80. Scibili Pithologico.

INFORMATIO. Prænotandis V: ***Explicationem, Divisionem, Species, Objectum, Considerataq; declarans.***

I. SUmitur hîc *Pithologia*: pro cognitione Æconomica, Naturæ & accidentium, tam Plantarum, quàm ex eis Arborum. Et illarum perprius, à quibus & nomen sumit, istarum, per posteriùs.

II. Plantarum seu Stirpium, quæ sine sensu, anima vegetatrice vivunt, Partes sunt: aliæ *similares*, & hæ, aut *siccæ*, ut Nervi, Venæ, caro, aut *Liquidæ*: ut liquores, Succi, Lachrymæ, aliæ *Dissimilares*, & hæ, aut *annuæ*: ut folia, flores, pediculi ex quibus dependent folia, fructus, floresq;, ac semina, aut *perennes*. Ut radices, Caules, rami, surculi, item, Matrix, Lignum, Cortex quæ sunt *partes integrales*.

III. Quantum ad *Species Plantarum*, diversæ sunt: aliæ *Marinæ*, ut corallus, quæ arbusti instar, in imo maris, inter lapides & saxa oritur, concrescit, & duratur postquam è mari extracta fuerit, aliæ *Terrestres*, & quidem aut *peregrinæ* aut *Domesticæ*, quæ partim fructiferæ sunt, partim Steriles. Subnectitur his: *Frutex, Arbustum, Suffrutex, & Herba*, sub qua & Fruges comprænhenduntur. IV. Ma-

IV. Materiale particulare Objectum, esse Fructum; idq; *aut poma aut nuces.* Poma, pulpâ tota molli, & ad esum idonea constant. *Ut mala, pyra, pruna.* Nuces verò, duro foris putamine teguntur, intus habent, quod esui est. *Ut juglandes, avellana, castanea.* Fructus autē, vel totū dicitur, quod pulpa nucleo & semine constat, vel *proprie* in arborum fructibus, minutum illud, nucleo inclusum, quod cum maturuit, terræ insitum, plantulam arbori suæ similem, procreare potest.

V. Dicitur autem *Fructus, quasi Fractus,* disrupto enim pampino nascitur; fracturamq; in medio sui naturaliter continet, vel à *fruditione,* fruuntur enim fructibus libenter, quorum ad hæc venter, in æstate præcipuè, & semper juniorum in ætate.

INVENTIO. Conceptibus V: *Arborem fructiferam, Poma delicata, Cerasorum & ficuum fructus, in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: n. 396. I. Regis cælestis, in horto Voluptatis, *erat omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in*
Gen: 2, 7. *medio paradisi.* Sed & terrestris Regis Asveri, legimus: *Hor-*
Hest: 7, 7. *tum arboribus consitum.* De arbore vitæ in paradiso, ait Joan-
Lib: 4. Ort: fid: c. 12. nes Damascenus: *Pretiosam Crucem præfiguravit vitæ lignum, quod in paradiso, plantatum est à Deo.*

Cant: 24, 23. Animam Francisci, dicere hortum nil novi: *Hortus conclusus,* itaq; dextera *primi satoris plantationum,* ut arboribus fructiferis consitum, & frondiferis adumbratum constitueret, plantavit in fundo carnis, mysterium arboris Crucis sanctæ, cui ob confixionem, potest vir Dei dicere; *Ego quasi tere-*
Eccl: 24, 23. *binthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ,* honoris à Cruce, gratiæ à Crucifixo. Et ne sicca & arida arbor, Mun-
Casan: Cathol: glor: Mundi 99. do videretur. Ut in *Portu Veruth* mediterranei maris, nascitur fructus nomine Musa, qui per medium divisus, singulis partibus,

partibus, Crucis signum exactè monstrat, ita Seraphicus Pater, observator hujus: *Fratres mei & vos mortificati estis Legi, per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus DEO*, similis fructui factus, exprimendo pendulum in Crucis arbore, vulneribusq; *fractum & discerptum fructum*, juxta: *Fructus Justi Lignum vitæ, & qui suscipit animas Sapiens est.* Rom. 7, 4. Eccl. 11, 4.

Sed & Actus Devotionis ejus, mysticos fructus Arboris Crucis obtinendos, præfigurabant, nam in Hebdomada majori æstuans amoris incendiis, nudum sese arbori, corona cum Spinea in capite, tensis in Crucis effigiem brachiis, diutius adaptabat, ejulatu & singultu, compatiendo Crucifixo Redemptori suo. Item, extabat annosa & procera arbor fagi, eomet in loco, ubi olim impressio, nunc Sacrorum Stigmatum altare. Sub cujus patulo tegmine, Crucis erat figura, cum omnibus passionis ligneis instrumentis, fixa. Ad quam frequenter deveniebat, orabat, imò & Oratorium extruxit, ipsemet Arboris fructiferæ salutiferæq; fructu, beandus. Montiss. Seraph. Chron. f. 72 Rudolp. Histor. Seraph. c. 2.

* CONCEP. Num. 397.

II. Poma, amoris esse dona, voluit Sponsa: *In portis nostris, omnia poma nova & vetera, dilecte mi servavi tibi.* Franciscus Pauper, (qui gratificans alicui parvis, dicere solet: *Dat poma, dat pyra qui non habet alia dona*) Dilecto suo Jesu, in *portis patentium vulnerum*, ad gustum & memoriam renovandam Mortis ejus, poma recentia servavit stigmatum. *Per omnia enim pomifero partui similia*, rotunda poma esse; rubea; carnosa: illa, in manuum & pedum cicatricibus rotunda; Sangvine rubentia. *Poma suspensa hærent in arboribus*, Franciscus inquit: *Christo confixus sum Cruci.* Quantum ad pomorum foramina, quæ accidunt sæpius vermiculi operâ: non obscura sunt in perforationibus vulnerum, efformatis à Christo, vermiculo in passione comparato. *Ego autem sum vermis & non homo*, & de quo in Specie David prolatum: *Sedens in Cathedra Sapientissimus inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Cant. 7, 13. Gal. 2, 19. Psal. 21, 7. 2. Reg. 23, 8.

Nec mortis esse poma ejus, ut in Paradiso. nam recedens à *Cajeta*, cum declinaret ad cujusdam nobilis ædes, & mane ad concionem ipsius in foro, secuti sunt patres familias, relictis domi infantulo & ancilla, (quæ allecta exemplo
Wad: T.I. aliorum, abiit etiam) puer solus manens domi, cecidit in ca-
fol. 277. cabum ferventi aquâ plenum, & semicoctus mortuus est. Rediens domum, non inscius doloris parentum dissimulantium, finxit pomorum appetitum, & allegantibus *nulla se* tunc habere domi, præcepit aperire arcam, in qua corpusculum exanime servabatur. Et ecce in manibus filioli viventis, poma reperta & porrecta, magna cum lætitia adstantium.

* CONCEP: Num: 398. III. At extendamus manum ad *Cerasa*, fructum arboris, à *Cerasunte* Ponti civitate dictæ, faciliter enim, porrigit repræsentatio. Uvæ eorum *orbiculatæ*; infixos à parte inferiori *paxillos* habentes; qui vellicati, sangvini similem humorem mittunt; esseq; intus in illis osficulum seu nucleum; crescunt vero juncto bino pari, sæpe insimul quinque. Vulnera Crucis itidem quinque; in manibus & pedibus *orbiculata*; inter ossa impressa; ac præ clavis infixis, sangvinem fundentia.

Wad: T.I. Digne, *Arbor cerasorum*, in Conventu Sirolensi, qui ma-
fol. 158. ritimis Anconitanis fluctibus alluitur, plantata à Viro DEI, hucusq; proferens fructus convicinis populis mirabiles & appetibiles, ac virentibus foliis perseverans è vestigio Ecclesiæ crescendo, ab omnibus illinc appellatur: *Arbor Sancti Francisci.*

* CONCEP: Num. 399. Matt: 24, 32. IV. Discamus quoq; Charitatis *æstatem, ab Arbore fici,* in Seraphicis signis, *Cum jam ramus ejus tener fuerit & folia nata, scitis quia prope est æstas.* Habet autem delicatus ficuum fructus dissectus, *rubicundam* Substantiam, & *formam cordis* evidenter præfert; ac *calorem amat*, ut nec grossos proferat, nisi imminente æstate. Stigmate decoratus Vir DEI, *igne amoris*

Divin

Divini; calore Spiritus Sancti; fervore Zeli & pietatis; totus ardens, totus æstuans, effloruit, cujus vulnus Laterale, nonne rem Cordis, & non formam continet? nonne in dissectione vulnerum, rubescentem ejus sangvine carnem cernimus? Ac prout ficus, sunt *medicativæ*, jussit *ut tollerent massam de ficis & cataplasmarent super vulnus, Ezechiæ ægrotantis.* Ita miraculosa Stigmata, multos ab infirmitate, liberarunt gratiâ DEI. Ut referunt *Sanitatum munera:* Inquisitiones, & Processus Canonisationis. Is. 38, 21.

Et non solum *Ficuum Specimen*, sed & mysterium considerandum in actibus Francisci, cùm enim ad commorantem in cella, deducti essent tres pueri Florentini visendi desiderio, pulsato ostiolo nunciatum est. descendit igitur prius in hortulum, & avulsis quinque ficubus, innocuos sui Spectatores aggressus, primo unam; secundo alteram; tertio tres porrexit, adjiciens: Eris adhuc filius meus charissimus, factumq; Sancto, in *quinque ficubus*, qui quinque plagas Christi pertulit, mirabilem & utilem parvulis se exhibente. Wad: T. I. fol. 85.

V. Carolus Rex Galliarum, in cæna frustrum mali punici, aciei cultri impositum, ori filii natu maximi admovit, dicens: hunc fructum fili mi parentis manu accipe, officiose renitente, secundo natu porrexit, qui momordit, & Pater eum Regem Galliarũ declaravit, natu minimus edoctus, reliquum totum pomum, avidè sumpsit, & Rex Lotharingiæ factus est. Rex noster, Rex Judæorum crucifixus, mali punici fructui assimilatur: *sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus, inter filios, sub umbra illius, quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Hic, fructûs Corporis sui in Cruce dissectionem factam, *in acie cultri*, idest clavorum: Francisco filio suo, *natu Minori* atq; Minoritæ, *imprimendo Stigmata*, contulit. Simulq; & dona regni, licetsi non de hoc mundo. *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* * *CONCEP: Num. 400.* In Spudopeia Theat. Vit: Hum: Cant. 2, 3. Matt. 5, 3.

CAPUT V.
De 81. Scibili Botanologico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Divisionem, Objectum, Considerata, Laudemq; Botanologiæ, declarans.*

I. B*Otanologica*, significat notitiam cultûs terræ, quoad effectus naturales florum, & Olerum. *Hortensis Georgia*, aliter vocanda.

II. Dividitur: in Hortum *Odoriferum*, & *Oleriferum*, quibus addendum, *Pomarium*.

III. Ad *Curam Botanologicas*, spectat satio: Florum, Herbarum, Graminum, Olerum, Seminum, arbuscularum bacciferarum, aromaticarumq;, fruticum frondescentium, & virescentium, eorumq; conservatio. Ut crescant, augeantur, multiplicentur, à calore nimio & frigore defendantur, diutiusq; persistant.

Isid: Lib: 7. cap. 10. IV. Objectum Materiale, prædicta omnia continens: *Hortus*: dicitur, elisa aspirationis prima litera, quasi *Ortus*, quòd in ipso varia oriantur, vel ab *Hortatione*, adhortatur enim jucunditate sua, ad amorem gratuitorum florentis naturæ donorum.

V. Longam ejus commendationem, breviter texuit Poeta.

Vovin: de Herb: c. 5.

Oblectat hortus, advocat, pascit, tenet,
Animoq; mæsto, demit angores graves,
Membris vigorem reddit, & visum capit,
Refert labori pleniorem gratiam.

INVENTIO. Conceptibus V: *Florigerum Hortum, Flores exoticos, rosarum gratiam, fontes hortorum: in Concrucifixione* CHRISTI, *repræsentans.*

I. Gratio-

I. GRatiosum opus Naturæ Hortus, inter solatia humana purissimum est, maximeq; reficiens, quo sine, ædificia & palatia, manus tantùm sunt opera, nec sapiunt naturam. Congruè ad eundem, cœlestis Sponsi invitatio facta: *Dilectus meus descendat in hortum suum, ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.* Simili affectu invitare potuit Franciscus, Redemptorem suum, ad *Hortum Voluptatis*, per Concrucifixionem, satum & plantatum. Ut enim sunt in Horto, areolæ lusu venusto nec simplici, formas floridas continentes: in quarum medio, nunc rotas annulorum; nunc piramidum triangulos; nunc mensæ quadraturas, Buxo arte topiaria afformatas; spectare licet; in cavitatibus verò & pergulis: inserta purpurea & eburnea lilia, cælestibus hyacinthis, cariophilis aureis, amaracis crinitis, albis cythisis odoriferisq;, intermixa. Ita in Corpore Stigmatisato, adsunt areolæ, vario situ Signorum dispositæ: nunc orbiculatâ vulnerum, in plantis & volis figurâ; nunc Semicirculari, in scissura lateris formâ; in quarum cavitate, clavi inserti instar florum reperiuntur. Quod prolatum est de anima Justi & Ecclesia *Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ à pigmentariis*, id de illo proferendum, factus enim *Quasi hortus voluptatis.*

* CONCEP: Num: 401.

Cant. 6, 7.

Cant: 5, 13.
Joel: 2, 3.

Viditq; B. Leo Socius ejus, in Spiritûs Virtute, Stantem, in monte alto, circumdatum pulcherrimis liliis & vernantibus rosis, ipsumq; gestasse dextera, floridissimum lilium sinistrâ verò, rosarum fasciculum. Mysterio designante: Francisci purissimam fuisse virginitatem, castissimamque mentem.

Pisan: Confor: 25. ad finem.

II. Satore omnium DEO:

Qui picturatos intexuit floribus hortos,
Quiq; jubet rutilis, albescere lilia campis.

in Americæ montibus Pervanarum Insularum, nascitur *Granadilla*, instar hederæ, florem habens albæ rosæ similem. in medio

* CONCEP: Num: 402.

Euseb: de Mirac: Naturæ L. 14. cap. 10.

medio ejus ſtat columna, quinque granis rubeis circum data. In vertice adeſt Spinoſa corona, cum clavis tribus, & reſperſus rubedinis cruor, pingit ubiq; florem, lancea autem in foliis apparet.

Pulcher in America, moſcho redolentior eſt flos,
Qui fert occiſi, nobile Stemma DEI.

Concrucifixus Chriſto, albæ inſtar roſæ, præ virginitate carnem habens; ac quinque grana Vulnerum; clavos item & purpuram cruoris: Granadillæ non abſimilis eſt. Quemadmodumq; Poëta morientem Eurialum, flori flacceſcenti comparat:

J. Æneid. *Purpureus veluti cum flos, ſucciſus aratro*
Langueſcit moriens, laſſovè popavera colo
Demiſere caput, pluvia dum forte gravantur.

Sic flori, Stemma occiſi DEI ferenti, Franciſcum Chriſto
Pſ: 91, 14. commortuum aſſimilare convenit. Sancti enim: *Plantati in domo Domini, in atriis domus DEI noſtri florebunt*, proferre va-
Pſ: 27, 7. let: *Et refloruit caro mea.* Nec ſine myſterio, quod in monte
Hiſt Alver. Alvernæ, loco impreſſionis ſtigmatum, creſcant lilia ſan-
fol. 229. gvinei coloris, crucem gerentia, frondium quinq;, alioquin *vulnerum monumentum.*

*
CONCEP: III. Horti, non horridi, ſed regales dicendi: præ foli-
Num; 403. orum roſæ purpura, & cari, ſi non carent roſâ regina florum, illa viridariorum clenodium, ſaphirus odorum, pratorum unio, veris phœnix, naturæ pompa.

Impreſſæ Seraphicæ, ut roſæ ſunt rotundæ, rubeæ, ſpinis acutis ſeptæ: ita orbiculatæ; purpureæ; & ſpinis clavorum armatæ. De ipſis Vates Minoritanus:

Fra: Maur. *Mox quinæ effulgent plagæ, radiiſq; corruſcant,*
L. 12. Franc: *Quales mane roſæ, primo ſole rubeſcunt*

Utque roſis rubor ſangvineus ineſt; ac è ſangvine natas, tradunt Poetæ:

Scire cupis rosei, flos exeat unde pudoris,
Sola rosas potuit: gignere puncta venus.

Sic stigmata, tincturâ nitescunt purpureâ. Refert Doctor Saraphicus: *Vulnus autem lateris rubeum, & ad orbicularitatem quandam carnis contractione reductum, rosa quædam pulcherrima videbatur.* Non absimilis Vir DEI, Oniæ Sacerdotis filio, de quo extat: *Quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ.* S.Bon:c.15. Eccl: 50, 8.

Et intactam rosam ut se præstaret, tentatione quadam stimulatus, in proximum cellæ Spinetum insiliit, & nudus volutabatur, mirum! Spinæ, albas & rubeas dederunt Rosas, quas postea, jussu Christi petens Confirmationem Indulgentiæ Portiunculæ, Honorio Tertio, hyemali tempore venuste vernantes, detulit & obtulit. Rosæ ipse similis, è Spinis Concrucifixionis enatæ. Wad. T. I. fol. 290.

IV. Hortorum virorem, ne flavum reddat adurentis siccitatis virus. Aquæ ductus in medio extruuntur, spargentes & propinantes roris liquorem. Sapientia inquit: *Rigabo Hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum,* minaturq; DEUS: *Erubescetis super hortis quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus absq; aqua.* Seraphica vulnera, non esse *arida sed rorida,* sangvine rigante & irrorante, totum casti corporis hortum, juxta: *Implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus.* * CONCEP: Num: 404. Eccl:24,42 Is. 1, 29. Is. 58, 11.

V. Cælitus determinata inventione Sacrarum reliquiarum Divi Stephani protomartyris. Luciano præsbytero apparuit Gamaliel Senex, præceptor S. Pauli, mandans ut Joanni Hierosolymitano Patriarchæ, diceret necessariam è terra sublevationem, ostenditq; quatuor Colathos aureos, unum plenum *rosis rubeis*, significantibus corpus coronati Athletæ Stephani, duos *rosis plenos albis*, denotantibus corpus * CONCEP: Num: 405. Pet: de Natal: L. 7. f. 151.

pus Gamalielis Nicodemiq;, quartum *croco flavo* impletum, figurante corpus Abibon:s, Filii Gamalielis. Vulnera Seraphica, similiter dici possunt: *Cophini florigeri*, rosis & croco repleti. adsunt enim rubeæ rosæ: *affectûs Martyrii, & actûs Patientiæ exerciti*; niveæ rosæ, *Pudicitiæ & Sinceritatis*; croceæ flavæ, *ignitæ charitatis*. Francisci anima, manens in carne con-
Cant: 2, 12. crucifixa Christo, extitit *Hortus conclusus soror sponsa, fons signatus*, Signis Crucis. & ut alloquitur Spiritus Sanctus devotam animam: *emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus Cypri, cum nardo, nardus & crocus fistula & cinamomum, cum universis lignis libani.*

CAPUT VI.

De 82. Scibili Bucolico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Descriptionem, Divisionem, Objectum, Laudemq; Bucolicæ, declarans.*

I. PEr *Bucolicam*, intelligitur *Ars Rustica*, pars Æconomicæ peritiæ non postrema, vulgo *Pastoritia.*

II. Varro, definit eam: Esse notitiam pecoris parandi & pascendi, ut fructus quàm maximi possunt, percipiantur.

In aphor: Metho: Æcon; III. Consistit res *Pecuaria*, seu Pastio pecudum: in *Cura Pabuli & Stabuli*, illud bona & sufficientia eligit pascua; hoc, reclinatoria & latibula opportuna deligit. Item in *Defensione* à Lupis, & *defensione* à Morbis, ac in Cicuratione, Propagatione, visitationeq; gregis, ad conservandum, commodaq; referendum.

IV. Objectum Pastorum materiale: *Pecora*, denominari possunt, *a pede & ore*, nam herbas carpunt ore, de loco in locum pergendo, vel Pecora dicuntur: quasi *Pastorum pectora*, toto enim pectore, custodire defendere amare pastores tenentur, commissum sibi gregem,

V. Nec

V. Nec officium, aut negotium Pastoris, postremum est. Salvatore Mundi, nomen remq; Pastoris usurpante: *Ego sum Pastor bonus.* Filiisq; Patriarcharum, coram Pharaone Joan: 11, 14. profitentibus: *Pastores ovium sumus Servi tui, nos & patres nostri.* Gen: 38, 3.

INVENTIO. Conceptibus V: *Agni Ovisq Specimen, gramina pascuæ, tutellam gregis, Ovile Pastorum, & Visitationem, in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. PAstoritii laboris, industriæq; Objectum: *Agni & Oves.* * CONCEP: grex tener & delicatus, fructuosusq; præ aliis, singu- *Num. 406.* larem exposcit curam, sedulitatem, Vigilantiam. diligenter id recommendante Principi Apostolorum summo pastore: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Franciscum, quis agnum, quis Joan: 21, 16. ovem non appellabit? Cùm vulneribus Crucis, præferat figuram occisionis Agni tollentis peccata Mundi. *Et ego quasi* Jer: 11, 19. *agnus mansvetus qui portatur ad victimam.* Cùm præferat specimen mansvetissimæ Ovis, Crucifixi JESU. qui *tanquam ovis,* Actor: 8, 32. *ad occisionem ductus est.* Utq; Agni, *Obedientiæ* sunt Symbolum. Agnoscunt enim *vocem Pastoris* sui, *Oves vocem ejus audiunt.* & Joan: 10, 4. sequuntur eundem, *cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur.* Ita Vir DEI, defert Signa Obedientiæ Phil: 2, 8. Christi, usq; ad *Mortem Crucis.* Vocemq; Evangelicam, de portatione Crucis: *tollat Crucem suam & sequatur me,* audivit Mat: 16, 24. explevitq;. Erat de numero horum, qui: *tanquam Agni exul-* Sap: 19, 9. *taverunt, magnificantes te Domine.*

Prope Civitatem Senarum iter agens, cùm in pascuis magnum gregem ovium, benigne ut erat solitus salutasset, Wad: T. I. relicto pastu accurrit ad eum. Levantesq; agni capita sua, fol. 281. erectis in eum luminibus intendebant, tantumq; fecerunt applausum ut Pastores mirarentur, & Fratres cernentes circa ipsum, tam agnos quam arietes exultantes, lætarentur. Agno-

 scentibus

scentibus dulcedinem societatis, agnis cum eo: qui formam
illorum, Stigmatibus demonstravit.

* II. Sed lustremus quoq; pascua: præstat illa, herba
CONCEP: viridis, intermixta vernis variis floribus, præstant & vi-
Num. 407. rentes rami, plantulæq; recentes- Caro Vulneribus JESU
insignita, *naturâ* quidem Herbæ cito pereunti similis est. *Mane*
Psal: 89, 6. *sicut herba transeat, mane floreat & transeat, vespere decidat induret*
Is: 40, 6. *& arescat.* Similis & gramini, jejuniis desiccato. *Omnis caro*
fœnum. Sed abundantius *Gratiâ DEI*, floridæ salubri & suavi
Is: 66, 14. Herbæ persimilis, ut expletum sit in *viro virente virtutum viribus*
illud: *Gaudebit cor vestrum, & ossa vestra, quasi Herba germinabunt.*
Prov: 27, 25 Profecto in Monte Alvernæ: *aperta sunt prata, & apparuerunt*
Herbæ virentes, & collecta sunt fœna de Montibus.

* III. Satagendum Pastoribus: ne Gregem invadant
CONCEP: lupi rapaces, ne dilacerent bestiæ voraces. David Rex Pa-
Num. 408. storum ajebat: *Pascebat Servus tuus patris sui gregem, & venie-*
1. Reg: 17, 34 *bat Leo vel Ursus, & tollebat arietem de medio Gregis, & persequebar*
eos & percutiebam, eruebamq; de ore eorum. Animas fideles, esse
Psal: 78, 13. oves Christi. *Nos autem Populus tuus, & oves pascuæ tuæ, confite-*
bimur tibi in Sæculum. Has Servus Domini Crucifixi, è fauci-
1. Pet: 5, 8. bus infernalis Leonis, & inferni facibus, *Adversarius vester Dia-*
bolus, tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret, sæpius
liberavit: dum pro peccatoribus oravit, prædicavit, exem-
plo bono ædificavit, ad Ordinem suum avocavit, totaq; vita,
in vinea Sabaoth laboravit. Et certe in vulneribus ejus *loca-*
ti clavi. nihil aliud denotant? nisi devotorum sibi tutellam,
juvamen & patrocinium.

Patuitq; in materialibus: nam in Monasterio S. Verecun-
Wad: T. I. di, cum nasceretur agniculus, hac ipsa nocte qua B. Pater ad-
fol. 281. venit hospes, & sus ferocissima morsu necaret, indoluit, re-
cordatusq; Agni sine macula, innocenter occisi, adstantibus
dixit: maledicta sit Bestia interficiens, nullumq; de ea co-
medat

medat animal. mirum! tribus diebus cruciata, ultricem tandem pertulit necem, projectaq; in vallem monasterii, nulli famelico esca fuit. Vindicante Agniculum Francisco: qui defensionem pastoralem gregis, Concrucifixione expressit.

IV. Incumbit Pastori Bono, ut antequam decumbat: pecora congreget in Ovile, clausurâq; ab adversis, præservet. Domino ostium Ovilis commemorante: *Qui non intrat per ostium, in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* In Ovile Ordinis sui Patriarcha Minorum, multos congregavit Agnos, præ *agnitione rerum cælestium, doctrinâq;*, sic appellandos. Clausitq; in Ovili, Clausuræ Religiosæ, ut expletum sit de Ovibus ejus: *Pascentur agni juxta Ordinem suum.* Sed & Stigmata, *Ovilis figura* sunt, Sonante Clarissimo Prædicatore: *Agnus in Cruce cæsus, post mortem vivens, quasi ovile novum, reclinatorium Vulnerum suorum, in corpore Francisci efformavit.*

* CONCEP: Num. 409.
Joan: 10, 1
Is: 5, 1.
Sanez: Ser: 2. de S. Fra.

V. Axioma, verum esse: Non expletur Regis officium, nisi visitatio fiat Gregis. Ipse DEUS intimat: *Sicut visitat Pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum, sic visitabo oves meas, & liberabo eas, de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis, & educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israel, in rivis & in cunctis diebus.* Quorum verborum mysteria, in Concrucifixione clarè demonstrantur: Erat enim ante Conversionem ad Christum Ovicula, *in die nubis & caliginis*, idest in tenebris Mundi, nondum fulgure dilectionis & fulgore illuminationis illustrata. *Eduxit* hanc Oviculam *de populis*, Deus. quando Babylonem Sæculi deserens, secutus est Christum, cum Abraham: *Egredere de terra & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi.* Visitavit eum in Dominus *in Montibus Israel:* in Monte scilicet Alvernæ. qui *Mons Israel*, à conspecto ibidem Filio DEI, dici potest. Israel enim sonat, *Videns Deum.*

* CONCEP: Num. 410.
Ez: 34, 12.
Gen: 12, 1.
De Civit: 16 cap. 39.

juxta Divum Augustinum: Ultra cum profertur: *Pascam eas in Rivis*, Pastore Christo, *Rivos*, pecorellæ suæ Francisco, in pascuas dante: cum in corpore ejus, eduxit cisternas San-
Job; 28, 9. gvinis. Verba Job: *In Petris rivos excidit.* hic verificari videntur, nam in Petra Alvernæ, excidit Christus, *ferro clavorum*, rivos vulnerum Seraphicorum.

CAPUT VII.

De 83. Scibili Melitturgico.

INFORMATIO. Prænotandis V: ***Nomen, Interpretationem, Objecti naturam, Inventionem, Laudemq; Melitturgiæ, declarans.***

I. Cura apum, seu *Apiaria.* aliter Melitturgia dicitur, tam à Causa efficienti, quàm ab Effectu.

II. Apis, nomen *à pede.* quòd sexangulæ omnes cellæ, à singulorum opere pedum, sint. Sexangulamq; sibi cel-
Aristot: L. lam quæquæ extruat, ut habet ipsa pedes. *Item*, quòd apes
5. cap. 22. perreptando flores, priorum acumine pedum, ceram capiunt, mox priores in medios abstergunt, & medios in blæsa posteriorum, atq; ita onustæ discedunt. *quòdq;*, in vicem pedibus se tenent volitando, ne vento & procellâ pereant.

III. Contrahunt Apes mella, è rore aeris. syderum exortu potissimùm, & Arcus cælestis incubitu. nec omnino priùs, exortu Stellarum vergiliarum, sublicanisq; tempo-
Plin: Lib: 11. ribus. Unde prima aurora: folia arborum melle roscida in-
cap. 12. veniuntur. & qui mututino sub dio fuere, unctas liquore vestes capillumq; concretum sentiunt.

IV. Naturam succi mellis, qualis ab aere defluit, collige: *primò*, quod non sit purus & suæ naturæ, nam è tanta cadens, dum venit altitudine, sordescit, & obvio terræ halitu inficitur. *Secundò*, è fronde, è pabulis & potu apum, & in uter-
culos

culos congestione, ore enim vomunt. Succo item florum corruptus, in alveis maceratus, toties mutatur.

V. Praxim mellis, antiquitas Bacho tribuit:

Liba DEO fiunt, succis quia dulcibus idem
Gaudet. & à Bacho, mella reperta ferunt. Ovid: L. 3. Fast:

Digne artificiosa operatrix mellis commendatur: *Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris, habet fructus illius.* Eccl. 11, 3.

INVENTIO. Conceptibus V: *Apis mellificæ similitudinem, Alvearia, mellis Accidentia, favorumq; Mysterium. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. OPus laboriosæ Apis, est favens gustui favus mellis. Hæc parva est; armata acinaci aculeo; atq; ob extensionem alarum in volatu, Crucifixa apparens. Summo mane pergit in campos; Unicam matrem suam, aculeo carentem circumdat in egressu; mellitumq; laborem cera occultare curat. *Armat Spina rosas, mella tegunt Apes.* Quód de D. Cæcilia dictum: *Quasi apis Argumentosa Domino deservivit:* de Francisci signis proferendum. Parvulus est enim sicut Apis, *Humilitate;* Aculeatus, *clavorum acumine;* Alis extensis Crucifixus, quando à Jesu, cum Seraphim Alis, *volatu celerrimo* ad impressuram, de cælo descendente, Signatus. Utq; unica inter Apes, aculeo caret Mater, & ab aculeatis circumquaq; in volatu circumdatur. Ita Laterale vulnus: infixum non habet clavi aculeum. Circumdatur tamen Manuum & pedum vulneribus, cum clavorum aculeis. *Tegumen demum Mellis & occultatio:* fasciolis vulnera ligantibus, ac simul occultantibus, explentur.

* CONCEP: Num. 411.

Claud: in Nupt: Hon

S. Bon: c. 13.

Sed ecce Dulcis effectus, cum enim orationem ejus Abbas S. Justini de Perusio postularet, non distulit. tantamq; ipsi impetravit insolitam Spiritus dulcedinem, quod nec antea, Pis. L. 2. Confor. 23.

tea, nec post aliquando, similem perceperit. Qui Apem confectricem mellis expresſit, ejus orationibus prævijs, Deo
* elargiente dulcedinem.

CONCEP: Num. 412. II. Natura & Ars, *alvearis habitaculum*, communiter de Materia Ligni fabricant apibus. Illa, in florentibus Sylvarum arboribus; hæc in arborum amputatis truncis, intusq; excisis, & excavatis. Crucis Jesu Lignum: Mellis Stigmatum Alvear exprimit. in quo & foramina, quibus aculeatæ exire intrareq; solent Apes, concrucifixione adsunt.

Dni: Pasſ: Hym: 2. Vesp. *Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis,*
Sylva talem, nulla profert, fronde, flore germine.

III. Aureus flavi mellis thesaurus. tanquam carior, * & ut sit Charior: in cereis arculis foraminum, absconditur. CONCEP: Num. 413. parant enim, in favo cellulas ordinatas apes, ibiq; mellis locant opes. vulnera, favo similia. quando *Caro*, quasi *Cera*, in manu, latere, pede, excavata: Cellarum complectitur foramina. Facta absconsorium & reconditorum Passionis Domini Mellis. in hortis Getsemani, ubi *flos Campi & Lilium convallium*, *sudoris rore aſperſit gramina*; & in Hortis Calvariæ conterminis, ubi è Sepulchro effloruit iterum, collecti & compacti. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti, timentibus te.* Gustavit hanc dulcedinem, Frater Masſeus, è primis Sociis Ordinis, orans enim in quadam Ecclesia, tantâ cælestis gratiæ superfusus est Franciscus copiâ, ut ex facie & oris hiatu, videretur flammas ardoris emittere. cumq; lætabundus amplexaretur illum, & ipse misisset se totum intra brachia ejus, mirâ dulcedine consolationeq; replevit, quòd fateretur postea, nunquam similem habuisse.

Cant. 2, 1. Joan: 18, 1. Pſal: 30, 20. Piſ: L. 2. Conf: fr. 3.

* CONCEP: Num. 414. IV. Præterquam Mel fluidum sit. ait Job: *Torrentes Mellis.* & Jonathæ: *apparuit mel fluens.* non solum dulcedinem, sed & amaritudinem annexam habere solet, dum ex absynthio melleo, colligitur. Ut in Sardinia, & Heraclia Ponti,

Job: 19, 20. 1. Reg: 14, 16 Dioſcor: L. 2. cap. 75.

Ponti, amarum eſt. *Accepi Librum de manu Angeli,* inquit Propheta *& devoravi illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce, & cum devoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.* Patriarchæ Minorum, communicatum mellinium Paſſionis Domini, *cauſavit dulcedinem*, teſtatur Seraphicus Doctor: *Supernæ contemplationis dulcedine, abundantius Solitò ſuperfuſus, ac cœleſtiorum deſideriorum, ardentiori flamma ſuccenſus, ſupernarum cæpit immiſſionum cumulatius dona ſentire. Cauſavit & amaritudinem*, doloroſâ afflictione corporis. Utq; Jonathas, in dulcedine mellis, in ſummitate Virgæ guſtatâ, amaræ guſtum adinvenit mortis. *Guſtans guſtavi in ſummitate Virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce morior.* Sic Franciſcus, guſtans *Virgæ Crucis* dulcedinem, guſtavit & amaritudinem dolorum. Quantùm ad *mellis fluiditatem, igniteq; naturæ rubedinem:* in ignitis Charitatis Concrucifixæ flammis; fluxuque purpurei Sangvinis, cernuntur.

Apoc:10,10

S.Bon:Off: Stigm: Lect: 1.

1. Reg: 14, 43.

*

V. Oeneſyllus Rex Cypri, ab Adverſariis ſuis Mathuſienſibus captus, caput gladio ſubdidit, cumq; in porta Civitatis expoſitum diutius hæreret: apes quæ in turma ſua regem agnoſcunt, in amputato cæſi Regis capite mellificarunt. dulcia inter acerba vulnera, componentes mella. In vulneribus Franciſci, Capitis & Inſtitutoris Minoritarum: Mel Paſſionis Dominicæ repoſitum. *Prævenisti eum in Benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo.* Verificatumq; in Patriarcha Pauperum: *Paraſti in dulcedine tua pauperi DEUS.*

CONCEP: Num: 415. Orat: Extemp: de Eloq:

Pſal: 20, 4.

Pſal: 67, 11.

CAPUT VIII.

De 84. Scibili Halieutico.

INFORMATIO. Prænotandis. V: *Explicationem Diviſionem, Objectum, Conſiderata, Inventionemq; Halieuticæ, declarans.*

I. Per

I. PEr *Halieuticam*, intellige Notitiam de Piſcibus, & Praxim æconomicam ipſorum, cùm uſui humano ſubſint in pluribus piſces.

II. Integratur tribus, Cognitione Naturæ & Qualitatis, quoad Conſervationem; Propagationem; uſuque & Fructui Accomodationem.

III. *Notitia Piſcinarum*, debet eſſe: quoad Situm, formam, Structuram, delectum. Ut piſcinæ ſint in planitie æquiſſima, aut exigue pronâ,& devexa ſpacioſisſime, in campo vel prato vel nemore, ſe explicantes.

Aſt aliqui fontes, & Stagna Virentia muſco
Adſint. vel tenuis fugiens, per gramina rivus.

Olaus L. 5, 5. Plin: L. 9. c. 59. Olaus L. 19. c. 9.

IV. Notitia Piſcaturæ multipliciter exercetur: *Voce*, cantum vel mugitum ſimulando. Sic phocæ piſces, apud ſeptemtrionales capiuntur; *Luce*, navem lucernis illuſtrando, ſit halices in manus veniunt; *Piſce*, ſit Athiæ piſces capturæ cedunt, ex ipſorum genere uno capto, piſcatoriq; conciliato; *Ave*, ut prope Glegornum incolæ piſcibus vivunt, ab Anatibus captis; *Motu*, turbidam reddendo aquam, Sic anquillas acquirunt, quæ per hyemem, dum aqua ventorum turbatur flatu, ſæpe moriuntur; *Reti & Hamo*, & ceteris, pro more uſitatis modis.

V. Piſcaturæ Authorem primum, ferunt quendam textorem fuiſſe, qui lavans telam, rariſſimè contextam, dum quosdam cœpit piſciculos, occaſionem ſumpſit retis fabricandæ, piſcationiq; animum adjecit. Relatores, an veritati famulantur, an fabulantur, dubium. Porro Piſces, non ſolum ſacer Textus, quod effugerint maledictionem Orbis, commendat, ſed & Poeticus:

Mart. L. 4. Epig: 23.

Jactis ſimplicibus cibis in undas,
Et piſces venerare delicatos.

INVEN-

INVENTIO. Conceptibus V: *Piscinas Varias, piscium mysteria, Instrumenta Piscaturæ, Natationem piscatorum, præsagiaq́ sacra. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: Num. 416.

I. CUnabula & Habitacula piscium: aut est profundus fluvius,

Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit. Virg: 5. Egl

aut Piscinæ, Ezechias *quomodo fecerit piscinam & aquæ ductum, & introduxerit aquas in civitatem, nonne hæc Scripta sunt, in libro sermonum dierum regum Juda.* ac quoq́; Æquor, gurgitesq́; ejus. 4. Reg: 20, 20.

Magnum qui piscibus æquor, tribuit. Virg: 4. Georg:

Signa Concrucifixi, præ effluentibus rivis Sangvinis, *fluvii* sunt. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus, fluent aquæ vivæ.* Joan: 7, 38. Piscinæ quoq́; sunt: præ aquis pænitentiæ, de oculis Servi DEI, jugiter manantibus. Ut ipsi conveniat, quod de Ninive, pænitentiæ lachrymosa nive, prolatum: *Et Ninive quasi piscina aquarum.* Sunt item Æquoris gurgites salsi: Nah: 2, 8. *Tentendt usq; ad Jordanem, & ad ultimum, salsissimo claudentur mari.* Num: 34, 12 Præ guttis Sangvineis, salsis amaritudine doloris; & præ vulnerum profunditate. Hinc in Francisci qui loca piscium efformavit, commorari potestate, ipsi pisces desiderabant. in Lacu enim Reatino commoranti, oblatus piscis magnus vivus, cum eum in fluvium reposuit, nullatenus recedere voluit, sed ludens in aqua coram ipso, prosequebatur eum ad littus. ibiq; non prius, nisi benedictione acceptâ, vias suas petiit, magna cum adstantium admiratione. Wad: T. I. fol. 180.

* CONCEP: Num: 417.

II. Nil novi dicere: Pisces membris & ossibus suis, insignia Passionis Domini referre. Ossa Luciorum capitis, monstrant Crucis lanceæq́; formam. pinnæ præacutæ piscium: clavos; rubeæ adspersæ maculæ, guttas Sangvinis denotant; Purpuræ & Conchylia, Sangvine suo rubefactam

purpuram innuunt, quâ Christus in passione tectus. Ipsomet Domino, passionis suæ mysteria, in piscium Symbolo decla-
Mat:12,40. rante: *sicut enim fuit Jonas in Ventre ceti, tribus diebus & tribus noctibus.* Ducis Minorum cruenta Signa, horum repræsentativa sunt: Qualis enim effectus *Clavorum Crucis?* in Vulnerata Vola & planta, cernere est. *Lanceæ* quis actus? Lateris scissura loquitur. qualia *Signa Crucis?* realis Concrucifixio monstrat. qualis color guttæq; effusi pro nobis in Cruce Sangvi-
* nis? fluxus Cruoris vivifice pandit & pangit.

CONCEP: Num: 418. III. Sed nec sine *Instrumentis Piscaturæ*, Notæ Seraphicæ. Hamus, quo inscius fraudis pisciculus, inhumaniter incidit in
Eccl:9,12. manus humanas, *Nescit homo finem suum sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in*
Luc:17,26. *tempore malo.* Verbaq; Christi, *Vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle.* Quoad intortum acutum claviculum, frustulum carnis in fine ad inescandum piscem, habentem: in clavo ex carne enato infixo membris, exprimitur. quòd si funiculum hami inquiris? liga ex fune Chordæ, stigmatisatum præcingentis corpus. Et præter *Hamum*, cujus cibo dum incolæ piscinarum satiantur, sauciantur. est etiam piscatorum *lancea præacuta*, quâ in navali cum piscibus bello, sub aquis natantes, clarâ luna vestigia eorum demonstrante, immissione desursum feriuntur, cumq; cæsi supernatant aquis, efferuntur. Latere confosso Francisci, ob evidens signum *lanceæ*, (causantis in Latere Christi Vulnus,) expressio est.

Quantum ad *retia*, vincula piscium, commode ea super clavos Vulnerum, extendere siccare & explicare licet. foraminata enim sunt, & instar funiculorum Retis, nexu Crucis constituuntur. Quæ *mysteriosa Retis efformatio*, ad captivan-
Hab:1,15. dos pisces rationales. *Et facies hominis quasi pisces maris*, in Stagno voluptatum; fluvio vanitatum, mariq; Sæculi, se- ipsos

ipſos immergentes, apta extitit. Proutq; Apoſtolorum dum *concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, rumpebatur rete.* Luc: 5, 6. ita Apoſtolici viri, *retis carnea*, naturali conſtitutione, venis nervis muſculis, junctis varieq; diſpoſitis, compoſita, JESU vulneribus diſrumpentibus, rupta eſt. Ut Franciſcus myſteriosa, capturæ piſcium efformans inſtrumenta, de numero vocatorum ad exercendam piſcaturam Apoſtolicam, fuerit. *Venite poſt me faciam vos piſcatores hominum.* Unde pie & humiliter, donatæ ſibi à Patribus Ordinis Sancti Benedicti, Eccleſiæ Portiunculæ, modum gratificandi captis piſciculis excogitavit, qui Piſcaturæ inſtrumenta expreſſit. Etenim ut ſuam non eſſe proprie, ex alienoq; poſſediſſe, beneficio oſtenderet, quotannis fiſcellam mugilum piſcium fluvialium, captorum in Aſſiſio flumine, veluti cenſum dari curabat. Illi autem Spontaneum pauperum tributum, regratificabant lecitho Olei, in condimentum Obſonii Fratrum.

Matt. 4, 19.
Rudol: L. 2. fol. 251.

IV. Piſcator ne in fundo aquarum ambulet, ob naviculæ nutationem, diſcit natationem; atq; eaſdem quibus apprehendit piſces ex aquis, extendit in aquis ad natandum manus. Extenſæ Concrucifixionis Franciſci manus, natantis hominis extenſas denotant. Ut de ipſo ſcriptura verificetur: *Et extendit manus ſub eo, ſicut extendit natans ad natandum,* nimirum, *ſub Crucifixo Redemptore ſuo,* in Sangvine natante, extenſum etiam Concrucifixionis, *natandi in Sangvine exemplar.*

* *CONCEP: Num. 419.*
Iſ: 25, 11.

V. Extat in Gallia celebre Monaſterium, S. Mauritii, in ejus ſtagno tot ſunt nec plus nec minus piſces, quot in Conventu Monachi. & horum aliquo ægrotante ſupernatat unus. & ſi infirmus deceſſurus ſit de vita, ſignum dans morituro, præmoritur. Unde futuram colligentes vitæ ſuæ tranſactionem, ingreſſum ad æternam vitam curant & parant. Stagnum cruentum Stigmatum, præfert Signum mortui pro Salute Mundi, JESU CHRISTI. Cumq; ſimilia vulneribus

* *CONCEP: Num: 420.*
Joan. Euſ: de Mir: Eur: L. 2. cap. 52.

ejus

ejus possidet, Orbi terrarum, mortem JESU in Cruce pendentis, annunciat.

CAPUT IX.

De 85. Sibi Nautico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Nomen, Descriptionem, Divisionem, Objectum, Considerataq;* *Nauticæ, declarans.*

I. N*Autica:* ars navigandi. seu per aquas navibus aut ratibus iter faciendi, licetsi Classibus Bellicis, & usui Mercatorum deserviat; perprius tamen Æconomicæ pars est, & complementum. maxime in navigationibus circa Domum.

II. Describi potest: *Est peritia Navarchorum, mare in sua intervalla distinguens, & docens quibus ventis ex uno loco, navigari possit in alium.*

Leo Bapt. L.5. ædific: III. Tyriis, Egyptiis, Græcis, inventæ navigationis gloriam adstruunt, de quibus fertur: navium fabricandarum exempla & lineamenta duxisse à piscibus, ita ut ab illorum dorso carinam; à capite, proram; à cauda, temonem; à brachiis, remos formaverint. Sed Hebreæ genti potius deferendam, Noacho artem condendi & usurpandi Navim, DEO revelante.

IV. Navigatio, in *Fluvialem & Marinam* dividitur. dispari tamen modo utraq; peragenda. Fluvialis enim opere manuum prævalente, absolvitur. Maritima, magis secundis Ventis. & locus principalis Navigationis est. cursusq; navium in Mari plenior & liberior, quam in fluminibus.

Eccl:43,26. Matt: 13, 2. V. Ut *periculosa* Navigatio est: *qui navigant mare enarrent pericula ejus.* Ita etiam *gratiosa*, Salvatore generis humani, in navicula sæpius proponente doctrinam suam. *Et fructuosa*

ctuosa, Naves Regis ibant in Tharsis, cum Servis Hiram, semel in annis tribus, & deferebant inde aurum & argentum. 2. Paral:9, 21.

INVENTIO. Conceptibus V: *Viam Navigationum, Anchoras Spei, Lucida Astra maris, ac Mysterium, in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. SApiens de cælo eruditus, difficilem intellectu viam maris, statuit: *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. viam aquilæ in cælo, viam colubri supra petram, viam navis in medio mari.* Colligitur tamen ex Sectione aquarum, cum hanc & in hanc partem, scindunt undas remis naves. Ut navigandi appareat signum, vestigiumq; Semitæ. * *CONCEP: Num. 421.* Prov:30, 4.

Inventa secuit primus qui nave profundum,
Et rudibus remis sollicitavit aquas. Claud: de Rap. Pros.

Arca Ligni Crucis JESU, impressione vulnerum, Francisci in corporis littore consistens, per mare Sangvinis ipsius, non sine dissectione membrorum; non sine divisione corporis; non sine distinctis, fluxûs Sangvinei rivis; absolvit iter. Ut via in Mari expressæ Passionis Domini, nemini obscura videatur. Accidit ut Fr. Jacobus Reatinus, fluvium quendam trajiciens, sociis ad ripam expositis, ipsemet ultimo exiens, nave eversâ in profundum iret. Fratres in tuto positi, affectuosis B. Patrem suum invocabant precibus, invocabat corde cum ore non posset & submersus. Itaq; auxiliante Francisco è profundo liberatus, super aquas tanquam per aridam ambulans apparuit, demersamq; naviculam capiens, cum ea ad littus pervenit. laudans Deum, mirabilem in Sancto, qui viam difficilem in aquis, facilem submerso præbuit. Wad: T. 1. fol. 383.

II. Nec solum in terris, ubi arbores nascuntur, ligna arbustaq; proficua, sed & in aquis, ubi non crescunt. Ut quemadmodū Viator, conficit itinera auxilio ligni sustentan- * *CONCEP: Num: 422.*

tis. Ita Navarchus non calcat aquas, sine adiutorio ejus.
Sap: 14,1. *Iterum alius navigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante se.* Et vates:
Juven: L.2. *I nunc & ventis, animam comitte dolato*
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor aut septem, si sit latissima tæda.
L. de initiat. cap. 3. Lignea navigandi requisita, Crucem Christi adumbrant, ait S. Ambrosius: *Remiges quibus concutiuntur ex utraq; parte fluctus, Crucis figura sunt. malus cui linteale Velum apponitur, Crucem efformat.* & Justinus Martyr: *Considerate omnia quæ in mundo sunt,*
Apolog: 2. *an sine hoc signo Crucis gubernentur, aut possint præbere sui usum, mare enim non scinditur, nisi trophæum istud, quod Malus appellatur, salvum in navi maneat.* Dum igitur Crucis Domini Arca & Arcanum, in Sangvine Stigmatum navigat: etiam Ligni navis, remi maliq; in iisdem expressio affulget. Nemo insul-
Is; 33, 23. tare Sancto potest: *Laxati sunt funiculi tui & non prævalebunt, sic erit malus tuus, ut dilatare signum non queas.* Dilatante Salvatore ipso, in carne ejus (non *laxato funiculo* Chordæ latioris vitæ, adstricta revincta) Signum Crucifixionis suæ, & Re-
* demptionis nostræ.
CONCEP: Num: 423. III. Mollis sunt substantiæ Aquæ. ad evicendos tamen feros fluctus, ferreâ opus est anchorâ nautis.
Proper: 3,5. *Ancora te teneat quem non tenuere Penates.*
Quid meritum dicas, cui sua terra parum est.
Act; 27,29. & quatuor Solent esse. *Timentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri.* Concrucifixionis signa, quatuor infixos clavos instar ferreorum, habentia: pro Anchoris possident. Etenim cuspidati, aduncati, ferrei. ad *stabiliendam Constantiam Perseveratiamq;,* in turbulentissimo Sæculi Mari, fluctibusq; ejus reciprocis, ido-
Hebr: 6,17. nei & sufficientes. Proferre valet: *Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam & firmam.*

Sed effectus rem probavit. A portu Barulitano quidam nautæ, decem milliaribus distantes, anchoras submise- S.Bon:Vit: runt. at Spiritu procellarum ferventius tumescente mari, fra- cap. 16. ctis funibus & relictis anchoris, incerto & inæquali cursu vagabantur. tandem mari placato, ad resumendas anchoras, quarum funes enatabant, toto se conamine paraverunt; sed in vanum. Itaq; B. Francisci subsidium invocant, Votum faciunt: res mira! in momento sine aliquo adminiculo, anchoræ super aquas apparuerunt, redditæq; possessoribus auxilio hujus: cujus vulnera Sacra, formam anchorarum, prætulerunt.

* CONCEP: Num: 424.

IV. Per Aquas lucidas, nautæ ire nequeunt, nisi cæli clarescat lucida Serenitas. Si dominabitur ventus, infelix Speratur eventus, nec felix in portum adventus. hinc Cynosura, navigantibus grata; Pleiades, circa quarum occasum intumescit & agitatur mare, ingratæ. narrat navigationis Apostoli relatio: *tertio die suis manibus armamenta navis projecerunt, neq; autem Sole neq; syderibus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente, jam ablata erat Spes omnis salutis nostræ.* Act: 27, 19. Vulnera, lucida serenaq; suut: nam in utramq; partem transparentia. Et cum rubicundo perfunduntur Sangvinis rore, Serenitatis præsaga & prænuntia. *Facto vespere dicitis, serenum erit, rubicundum enim est cœlum.* Matt: 16, 2. Refert Doctor Seraphicus: Nautis Anconitanis, periculosa tempestate jactatis, submersionis incasu positis, ad invocationem B. Patris, lumen in mari magnum apparuisse, concessamq; tranquillitatem divinitus. Meritis Servi DEI: cujus signa, ut Stellæ fulgida; ut lumina, lucida. S.Bon:Vit: cap. 16.

* CONCEP: Num: 425. Hyac:Pruf. Hist:Pol:de Mari Grat:

V. In celeberrimo Europæ fluvio Vistula, Cracoviam Metropolim Regni Poloniæ alluente, inventa est natans Crucifixi Salvatoris figura, Staturæ proceræ, aspectûs peccatores commoventis. & à longe visa putabatur ratis vel Scapha

pha, donec propius accedens, notius visui & intellectui objectum extiterit. laborabant multi ut possiderent, sed enatans amovebatur. tandem Urbi à superis determinata, ibidem translata, huc usque honorificè conservatur & honoratur. Dignum consideratu: *Alvernæ Montis* (loci Concrucifixionis) latera, quatuor utrinq; circumfluere flumina. *Tyber* ad Orientem; *Arnus*, ad Occidentem; *Razenus*, ad Meridiem; *Corsolyon*, ad Septemtrionem. Quasi *Navis Noe*, figura Crucis, communicata Francisco: supernatans fluminibus, in Monte Stigmatum constitueretur. ut olim Arca *in Montibus Armeniæ*, transnatatis aquis dilluvii, substitit. Ac sicut mare *congeries fluminum*, Christum somnum capientem portabat. *Ascendente eo in naviculam secuti sunt eum discipuli ejus, & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat.* Ita flumina Sangvinea viri DEI, ac ex ipsis aggregatum *Mare rubeum:* portat similitudinem Domini nostri, somno mortali *in navi Crucis* correpti, & aliquando, in navi naturali Sopiti. magna Orbis Christiani, cum exhilaratione, glorificantis Deum, mirabilem in Sancto suo.

Mont: Seraph: fol. 25.

Gen: 8, 4.

Matt: 8, 23.

LIBER V.

Scibilium Mechanicorum.

Præcipua Objecta. Considerata, Reductaq; Scientifica.

In Concrucifixione Christo, REPRÆSENTANS.

Aditus Scibilium.



MAnum tandem, *ultimo Operi* apponimus, de Scibilibus *Operativis & Factivis*. ac promut manus quinque sunt digiti: Ita anteactâ Dispositione

ſpoſitione, poſito ſupremo Genere, *Mechanico*, quinque alia Genera, ſpectantia ad *Opus Tectorum; Veſtimentorum; Ornamentorum; Delectamentorum; & Inſtrumentorum artificialium;* ſtatuuntur. His enim Mechanica dextera exporrigitur & contrahitur. Singulis ſcibilibus *Operativis*, quinque conceptus in honorem JESU vulnerum, *elaborantibus*.

CAPUT I.

De 86. Scibili Mechanico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Deſcriptionem, Differentiam, Diviſionem, Objectum, Conſiderataq; Mechanicæ, declarans.*

I. ARtium Artificialium, genus eſt *Mechanica*. quarum finis: *Opus & Praxis*. Et ars talis, deſcribi poteſt: *Eſt ratio à nobis faciendorum, certam legislationem, quonam modo quid faciendum ſit, præceptis & monſtratu expediens.* Ars autem *non factiva, ſed pure Practica:* eſt *Ratio recta à nobis agendorum.* Prudentiaq; dici poteſt.

II. Diſtinguuntur autem *Facere & Agere*. quòd Facere edere ſit Operationem, tranſeuntem in materiam externam, ut fiat aliquòd opus Domûs vel Navis. Agere verò, eſt edere Actionem immanentem, ut virtutis elliciendæ; Scientiæ acquirendæ; quorum Habitu, homo bonus vel malus vel doctus ſit.

III. *Artificialis Mechanica*, quâ manuum opera exercentur, dividitur in *Perfectiores*, quæ etiam animi exercitium, & particularia præcepta ad ſui directionem requirunt, ut Pictura, Chyrurgia, Cælatura, & Similia. Et *Imperfectiores*. quæ labore corporis, exercitio manuum, peraguntur. Quamvis nulla ſit Ars, quæ non animi meditationem, certasq; regulas exigat, ad operis perfectionem.

IV. Factiva Mechanica: dividitur in *Artes Necessarias* vitæ usui, ut Lanificium, Aratura, Vestiaria. in *Utiles facilitantes* Usum vitæ. ut Navigatoria, Militaris, Equestris. *& in Delectabiles refocillantes* usum vitæ. Ut Dulciaria, Saltandi Ars, Venandi, Cantandi. Item dividi potest in eas, quæ *Materiam præparant* usui vitæ. ut Ars fodiendi, Conficiendi ferrum, Coquendi lateres. & quæ *Materiam disponunt*. Ut Domifactoria, Fabrilis, Sartoria.

V. Demum Mechanica Statuitur, alia *virorum*: ut Textorum, vestiariorum, fabrorum, cælatorum, quorumq; vis Operum fortiorum. alia *Mulierum*: Ut Nutricum, Pistricum, & quæ debilium sexui propriæ & adaptatæ videntur, *fusum & quæ acum*, requirunt.

INVENTIO. Conceptibus V: *Opera Manuum DEI, Artificum Sapientiam, Monilia fabrefacta, eximiam Cælaturam, & facta mirifica in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: *Num. 426.* I. NOmen DEI nostri, magnum & terribile, *Artificii suscipere titulum*, asserit B. Paulus, loquens de Isaac & Jacob.

Hebr: 11, 10. *Expectabant enim fundamenta habentem Civitatem, cujus Artifex & conditor DEUS.* Pangit & Ecclesia, de Filio DEI:

Hym: D. in Alb. ad Mat:

Æqualis ante Sæcula semper Parenti filius.
Tu Carne amictus perditam, formam reformas Artifex.

At non Solum Nomen, rem quoq; *Artificiosi Operis*, ipsius Christi manibus imprimentibus, cùm cernimus in Actu Concrucifixionis: Creaturæ, ad Stuporem excitandæ, in admirationem advocandæ. *Venite & videte Opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* (Ps: 45, 9.) Vulnera enim Francisci, *opus prodigiosum & prodigium Gratiæ*, appellant Cardinalis à Lycio, & Joannes Seianus, Cardinalis. Et cum dextera Domini, deliciarum

Serm: 2. de S. Franc: Lib. 1. prod: Cruc:

rum sit operatrix: *Delectationes in dextera tua usq; in finem.* Ps: 15, 10. Anima quævis proferre potest: *Delectasti me Domine in factura* Ps: 91, 5. *tua* Stigmatum, *& in operibus manuum tuarum* imprimentium illa, *exultabo.* Ut etiam ipse vir DEI, tantum suo delectabatur Factore: Canente Ecclesia:

Hic Creaturis imperat, qui nutui subjicerat se totum Creatoris, Antiph: *Quicquid in rebus reperit, delectamenti regerit, in gloriam Factoris.* Vesp. 1. Off.

II. Dati sibi talenti intellectûs, & præstitæ Scientiarum gratiæ, summi Opificis manui, Sapiens Hierosolymitanus, attribuit Opus: *Differentias Virgultorum & Virtutes radicum, & quæcunq; sunt absconsa & improvisa didici, omnium enim Artifex docuit me Sapientia.* Patriarcha Minorum, in Simplicitate cordis sui, pari modo gloriari potest: Omnipotens enim Reparationis Mundi Artifex, Sapientia æterna Christus, *extructo in corpore ejus Opere Crucis*, contulit ipsi Scientiam *differentiæ virgultorum*, nimirum Crucis suæ Virgulti salutiferi. *Differentiamq; radicum.* quantum differat, quàmq; procul distat, radix vitæ Arboris Calvariensis, dicente Propheta: *Egredietur Virga, de radice Jesse & flos de radice ejus ascendet;* à marcida radice Mortis, Arboris Paradiseæ.

* CONCEP: Num. 427. Sap: 7, 20. Is: 11, 1.

III. Reccomendat Numen cæleste, membra casti corporis Sponsæ suæ: *Junctura femorum tuorum sicut Monilia, quæ fabricata sunt manu Artificiis.* Similí æncomio celebranda sunt, membra manu Artificis cœlestis Jesu Christi, exculta. testatur Historia Seraphica: *Ecce nimirum nobiscum initi fœderis & amicitiæ testes, Libri Vitæ, majusculi Characteres, Monile pretiosum, cælaturâ gemmarii Sculptum in carne Beati Francisci.* Iterumq; testatur: *Caro nitida virginalis, B. Francisci, est monile Sanctum quinarii Stigmatum Sacrosancti cœlaturâ. fuerunt enim cælatæ, & Sculptæ, divino miraculo Cicatrices Christi, atq; ideo Stigmata propriissime nuncupantur, idest Signa impressionis. stigma enim est ictus, est vestigium Sfrigida Græcè.*

* CONCEP: Num. 428. Cant: 7, 1. Init: Antil Hist: Alver: Ibid: Fol. 180.

* CONCEP: Num: 429. Zach; 3, 9.	IV. Sed & *Artificialia Opera*, ipse non spernit Conditor omnium, ejusq; Omnipotens profitetur dextera. *Ecce lapis quem dedi coram JESU, super lapidem unum septem oculi sunt, ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus Exercituum.* Quæ verba B. Hieronymus, ad priorem locum, de Christo ipsiusq; plagis in Cruce susceptis, *literaliter* intelligit. Nihilominus tamen de *Lapide coram JESU posito*, ideſt Franciſco, intelligi posse, ait P. Didacus de Cea: *Quid clarius dici poteſt, ut Sancti Francisci Stigmatio, Christi manu facta intelligeretur. Cælavit ipse lapidem, cùm Sancto Francisco Signa impressit.* Et quidem erat lapis durissimus, quia nec carnis blandimenta; nec curæ popularis lenocinia; nec Principum gratia favoresq;, emollierunt eum. Atq; ut Hebraica legit: *Ego aperiam scissuras ejus,* pro his: *Ego cælabo.* vel ut Septuaginta legunt: *Ego fodiam foveam.* verificatur in viro DEI: dum patentes sunt manum & pedum ejus *scissuræ*; dum patens eſt lateris *fovea.* ita intelligente & S. Bernardino.
Lib. de Hierosl. 7. cap. 7.	
De Evang: æter. T. 1. Ser: 60.	
* CONCEP: Num. 430. Pſ; 117, 16.	V. Corde & ore psallendum Seraphico Patri: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem, non moriar sed Vivam, & narrabo opera Domini.* Nam dextera Excelsi, fecit in Corpore ejus virtutem, quæ *iis qui Salvi fiunt ideſt nobis, DEI virtus eſt.* Exaltavitque illum hoc opere, communicatione Myſterii Crucis ſuæ, de qua dictum: *ſicut Moyſes exaltavit Serpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* Ut gratia Concrucifixionis Christo, non ſit niſi exaltatio à terra, *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Dicere quoq; poteſt: *Non Moriar ſed vivam,* nam Mortis Jeſu impreſſa vulnera: vitæ ſunt munera. *Et narrabo opera Domini.* Refert Hiſtoria Seraphica: *Quem Sacris clavis arte Divina fabrefactis, in mediis vulneribus pedum manuumq; fixis, DEUS decoravit,*
1. Cor: 1, 18. Joan: 3, 13. Joan: 12, 32. Pſ: 117, 19. Mont: Alv: init. Antil.	

CAPUT

CAPUT II.

De 87. Scibili Architectonico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Descriptionem, Contenta, Divisionem, Objecta, Inventionemq; Architectonicæ, declarans.*

I. ARchitecturam, vocem esse Genericam, significantem: *artem ædificandi habitacula, fabricasq; varias, ad commoda, conservationemq; hominum.*

II. Architectonica, non solum complectitur ædificandi ea, quæ *necessitati*, habitationis & locationis inserviunt. Ut sunt Templa, Domus, Porticus, Propugnacula. sed & quæ *ornamento*, ut Statuæ, Colossi, Columnæ. Item comprehendit Artifices: Statuarios, Marmorios, Murarios. & qui Lapides cædunt, ac Lateres parant.

III. Ab initio, triplices Domus erant Hominum: *Antra:* ad injurias & tempestates aeris, alternasq; brumæ redeuntis vices declinandas, rudi opere tecta. *Urbes, & Tentoria.* scilicet *Solitariorum*, laboriosorumq; ; *Civilium hominum*; & Bellatorum.

IV. *Civitates* Architectorum Objecta: à *Civium catu* dicuntur. Item Arces, *ab arcendo & loco arcto.* Oppida: *à congregandis opibus.* Palatia. à *placentia Structuræ.* Delubra, à *Deorum cultu.* Domus, *à domandis injuriis aeris*, denominationem trahunt.

V. Domos luteas, Doxium Gellii filium, sumpto ab hirundinum nidis exemplo, primùm ædificasse narrant. Verum Caino aut Setho, fratrisq; ejus filiis, inventionem ædificiorum assignandam. quòd ille teste Josepho, primus omnium mortalium, oppidum condidit. isti verò Columnas duas, unam lateritiam, alteram Lapideam, ut in earum mole, Sci-

Plin: Lib: 7.

Lib: 1 Ant.

entiarum diſciplinas deſcriberent, conſtruxerunt. Traditq;
Gen: 4,17. S. Pagina: Cain ædificaſſe Civitatem, nomine filii ſui, *Heno-chiam* appellatam.

INVENTIO. Conceptibus V: *Fundamenta Architecturæ, Muri Qualitates, Turris figuram, ædificium Palatii, ac miram Stucturam in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

*
CONCEP: I. PRimum Architecturæ opus: Fundamentum. hoc niſi
Num. 431. ſolicite ſolideq; conſtruatur, ruina aut maceriæ, ſperandæ. Itaq; Arcibus, pro fundamentis, petroſum ſubſternunt locum. cùm petræ aſperæ quidem ſint: ſed arcibus
Eccl: 26,24. proſperæ. *Fundamenta æterna, ſupra petram ſolidam.* Et Christo Domino, enarrante: *Venerunt flumina & flaverunt venti, & ir-*
Matt: 7,25. *ruerunt in domum illam & non cecidit, fundata enim erat ſupra petram.* Signa Seraphica, *fundamenta Petræ* poſſident. Etenim à Jeſu,
1, Cor: 10,4. *Petra autem erat Chriſtus:* Impreſſa. Et impreſſa Servo DEI: qui Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, fundatæ à Domino ſupra
Matt: 16,18. petram Petri, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſe Minoritanosq; Parvulos ſuos, ſingulari adſtri-
Pſ: 136,9. ctione alligavit. *Beatus qui tenebit & allidet parvulos ſuos ad Petram.* Obtigit illi, non furoris ſed amoris Divini ſignum:
Ezech: 24,7 *Sangvis enim ejus in medio ejus, ſuper limpidisſimam petram,* Montis Alvernæ, *effudit eum, non effudit illum ſuper terram, ut posſit operiri pulvere.*

Wad: T. 1. fol. anni 1223. Indeq;, qui petram fundamentum Stigmatum habuit: in petroſo loco, Montis Reinerii, ſive Columbæ, 40. diebus pane & aqua vivens in antro petræ, dictamine Spiritus Sancti, Regulæ ſuæ conſtitutiones compoſuit. Quem locum Sixtus IV. Pontifex, monita Cardinalum ut caveret ſanitati, non acceptando, nudis pedibus perluſtravit. ingreſſusq; in ſubterra-

neam

neam speluncam, flens dixit: *Hic locus ille est, in quo Evangelica renovata vita.*

* CONCEP: Num. 432.

II. Posito fundamento, constitutionem murorum Opifices, ex duplici materia formant: *rubea laterum, & alba cementi*, adeoq; conglutinant, quod albedo rubedini, & è converso, mixta convideatur. Crescens autem labore Murorum Opus: ut altius elevare, & cum eo sursum ascendere possint: infra, in medio, supra, foramina relinquunt, ad tabulata sustendanda. Franciscus, purpureo Sangvine, rubedinem laterum, casto Stigmatisato corpore: albedinem cæmenti, exprimit. *Unionem* autem & mixtionem eorum in fabrica: Charitate Seraphicâ, causa Concrucifixionis, demonstrat. *Charitas vero ædificat.* Quantum ad foramina muri, pro tabulatis: in transfixiones Carnis non obscura. Quod Jeremiæ promissum, ipsi concessum; *Dedi te in Civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, super omnem terram.* 1. Cor: 8, 1. Jer: 1, 18.

Quamq; inservierunt *Materia Muri*, viro DEI foramina ædificationis ejusdem exprimenti, patuit: quando abinitio, parentis sui impedientis molimina SpiritusSancti, declinans truculentiam, in cujusdam Sacerdotis ædicula, abscondit se. & audiens ad ostium Patris minas, ad portæ lævam, muro quà potuit collectione membrorum adhæsit, qui ultro Sinum suum aperiens, recepit eum. Extat adhuc muri concavitas, in Monasterio S. Damiani, reverenter observata. Wad: app. Annal: f. 27

* CONCEP: Num: 433.

III. Architecti, turres partim ut terreant; partim ut conservando teneant res; elaborant communiter formâ rotunda ad imum cuspidata, intus ad inhabitationem, rerumq; depositionem, excavata. In stigmatibus manuum & pedum, Orbicularitatem videre licet; in clavis, acuminositatem; in profunditate autem vulnerum, concavitatem. Orare convenienter ac confidenter poterat Sanctus: *Fiat pax in virtute tua,* Ps. 121, 7.

tua, & abundantia in turribus tuis, quas Christe offormasti Concrucifixione, *propter Fratres meos*, Minoritas, *& proximos meos*.

* CONCEP: Num. 434. IV. Palatia placent: quandò interna habitacula, *concameratione* roborata sunt; quandò fenestræ patentes, & immittendæ luci, diductione accomodatæ; quandò Portæ & introitùs limina, ferramentis præmunita sunt. Caro Cruce ornata, peramplo habitaculo similis. adest enim concameratio, interni Conclavis, in Lateris vulnere; adsunt locò fenestrarum & clatrarum ferrearum, ferramentorumq; portæ: fenestræ patentes, in manuum pedumq; plagis, in iisq; hærentes clavi, ferreis similes. Efformato penitus corpore Francisci in palatium, in quo maneret Dominus: *Christum habitare per fidem in cordibus vestris*. (Eph: 3, 17.) juxta: *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex DEO habemus, domum non manufactam æternam in cælis. nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cælo est, superindui cupientes*. (2. Cor: 5, 1.)

* CONCEP: Num. 435. Ravis: L. 4. cap. 65. V. Fabrica Labirynthi, à Porsenna Rege extructi, miris colitur laudibus. supra eminebant pyramides quinque, in quadrato angulorum & medio. latæ pedum 70. altæ 150. in summitate Orbis æneus omnibus impositus erat, sustinens Pegasum, sive Equum alis præditum, pendentibus catenulâ vinctis circumcirca campanulis. in meditullio autem, emortuo corpori Regis, paratus erat locus, spatiosus & speciosus. Stigmatum structura, simili Architectonicâ arte, elaborata. rotunditate globi, in orbicularibus; acuminositate pyramidali, in acuminosis clavis; numerositate quinaria, in quinque cicratricibus; expresse apparentibus. *Mortui verò Regis depositio*, in Sarcophago Labirynthi: Salvatoris Regis Regum, mortui pro Salute Mundi, memoria deposita, mysteriosè cernitur.

CAPUT

CAPUT III.

Dn 88. Scibili Latomico.

INVENTIO. Prænotandis V: *Deſcriptionem, Officia, Inventionem, Objectum, Conſiderataq́ Latomicæ, declarans.*

I. L*Atomica* aut *Lapidiaria*, eſt ars Mechanica, educendi è terræ viſceribus Lapides, ad uſusq́; varios adaptandi.

II. Abſolvitur, *Cædendo, Sculpendo, Expolliendo* materiam Lapidis, idq́; tam Rudis, quam Singularis. ut Marmoris, Alabaſtri, & Similium. varias cælante ferro, efformando formas & figuras.

III. Lapis, Objectum Latomicæ: denominationem trahit *à Lapſu.* ſublevatus enim, vel in altum aut de alto miſſus, lapſu ruenti tendit ad centrum ſuum. vel à *ledendo pedem*, obvius enim pedi, non cedit, ſed cædit. præcavente Scriptura: *Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* *Pſal: 90, 11.*

IV. Inventor Cælaturæ Lapidum: Siconius Alexandrinus faber. cui cadens ferrum in ptoximum Lapidem, cùm ictu & pondere, exſculperet Stellam, anſam porrexit celandi ferro Saxa. *Polyd: de Inven: c. 6.*

V. Opus Latomorum, res eſt laborioſa & ſumptuoſa: laudabilis tamen & utilis præbendo ornamentum Magnificentiæ; Stabili limentum fortalitiis; commodum habitaculis; robur turribus; decus delubrris; munimentum Monumentis.

INVENTIO. Conceptibus V: *Lapicidinas, Inſtrumentum Cælatorum, colores Lapidum, Qualitates eorum, Rivosq́ Lapidum: in Concrucifixione Chriſto, repreſentans.*

* CONCEP: Num: 436. I. LApicidinæ, ex quibus tanquam cubilibus, jacentes Lapides, Latomi exurgere faciunt: sunt cavernæ Terræ, ejusq; profundæ scissuræ. Franciscus solitus erat, ait S. Bonaventura: *Semper quærere loca Solitaria, amica mæroribus, & maxime inter crepidines abruptorum montium. quia Petrarum scissuræ, in memoriam revocabant ei, Christi passionem.* Et si desideras? proprias in terra corporis ejus, Lapidum cavernas: ecce profunditas vulnerum. continens *Lapidem* in perpessione Crucis reprobatum. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* continens Lapidem, de quo Apostolus: *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari Lapide CHRISTO JESU.*

Leg: Min: Wad: T.1. fol: 116.

Psa: 117, 22.

Eph: 2, 20.

Evenit 40. homines Lentino, Lapidem de monte abscidisse, superimponendum Altari ejus. cùmq; Satagerent vehiculo imponere: unum obruit, ac in modum Sepulchri obtexit. Igitur invocatus Sanctus. qui efformationem reprobati in Morte Lapidis JESU, in corpore suo pertulit: Lapidem ab obruto sustulit, incolumitatemq́ impetravit.

S. Bon: c. 16 Vit: ips:

* CONCEP: Num: 437. II. *Durities* Lapidis, ferro emollitur. *impollities,* variis instrumentorum ferramentis, clavo, malleo, scalpro cælo, lineâ itenditem ex ferro, tollitur. Ita non sine excisione, Lapides Moysis fuere: *Excidit ergo duas tabulas, quales antea fuerant.* Sapientiæq; domûs columnæ, excultæ erant scissione. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Concrucifixus, cùm clavos ferreis similes, infixos habeat: Instrumenta Lapidiariorũ ferrea monstrat *Sectiones* verò: scissuris & læsuris membrorũ, repræsentat. Est hucusque, juxta, Castrum Capressii grandis Lapis. in quo Vir DEI, cum fessos artus reclinasset, cessit dura petra corpori ejus, facta quasi molle culcitrum. Concavitati huic ad formam hominis expressæ, devote plurimi se inserunt. Sed ii libentius, qui renibus laborant. miraculose enim è vestigio illo, sanitatem reportant. Præstan-

Exod: 34, 4

Prov: 9, 1.

Wal: T.1. fol: 186.

te DEO emollitionem Lapidis, Francisco: qui instrumenta, emollientia Saxa, expressit.

III. Prout Lapidum diversa genera, ita Colores varii. *Pariæ Lapicidinæ*, Marmor dant album; *Ophites*, à maculis Serpentibus, quibus distingvitur, nomen accipit; *Lucullium*, atri coloris; *Basaltes*, ferrei est. *Alabastrites*, candore gaudet; *Prophyrites*, rubedine, candidis intervenientibus, punctis. In arcano crucis Si Marmoris albi Parii,& nivei Alabastri candor quæreretur? in albis accidentibus casti corporis, inveniretur. Si requirerentur umbræ, Lucullii subnigri & Basaltis ferrei? in nigredine clavorum, & violaceo circa vulnera livore, reperientur. Ad interrogationem autem de purpura marmoris Prophyretici? rubeus Sangvinis color, fuse è cicatricibus manans, sufficiens dat responsum. Quantum ad *quadrangularem* Lapidum figuram. vel aliquando *rotundam*: hæc in rotunditate Vulnerum manuum pedumq; patent. ac in quatuor acutis infixis clavis. Lætando Vir DEI, mæsti Isaiæ usurpare potest verba: *Conclusit vias meas, lapidibus quadris.*

*
CONCEP: Num: 438.
Plin ;L. 36. cap. 6.

Thr: 3, 9.

IV. Saxum, est arx ignis, cum illi artifex, vim infert scalpenti ferro, vibrat scintillas, mittit Silicios ignes. Imò ignitos Lapides commemorat Propheta: *Tu Cherub extentus & protegens, & posui te, in monte Sancto DEI, in medio Lapidum ignitorum ambulasti,* & Sacer Historiographus: *De ignitis Lapidibus igne concepto, Sacrificia obtulerunt.* In Concrucifixione Christi, flammæ Charitatis; ignes Zeli; scintillæ pii fervoris; sedem elegerunt. Ipso domino, *Lapidis igniti* titulum attribuente, in alloquio S. Brigittæ in æde Portiunculæ orantis: *Amicus meus Franciscus fuit quasi lapis ignitus & igneus, quia habuit me in se, qui sum ignis divinus.*

*
CONCEP: Num: 439.
Ezech: 18, 14.
2. Mach: 10, 3.
Rev: Extr: cap. 90.

V. Et per præter ignes, Lapidibus non desunt quoq;, rivi aquarum. Monumenta marmorea, in templis hyeme, per antiperistasimq; guttatim defluunt in aquas, roridaq; apparent.

*
CONCEP: Num: 440.

parent, Stigmatisatus Vir DEI, factus in *Monumentum & Mausoleum* vulnerum Mortis Christi, expositumq; & acceptatum in templo Ecclesiæ Catholicæ: approbatione mysterii, & festi celebratione: resolvitur in aquas uberrimarum lachrymarum, condolentiæ Christo passo; & in guttas Stillarum sangvinearum, Concrucifixionis Christo. Et quemadmodum in locis excisorum Lapidum, venæ fontium & aliquando flumina reperiuntur. Ita Crucis opus, non sine fluxu humoris sangvineiq; roris. Sed & miraculosé, adduxisse eum aquas de Petris constat: cum enim ægrotus, in montem Alvernæ, à quodam paupere homine, in asello duceretur, qui deficiens siti clamabat, en siti morior. absq; mora orationi se accingens dixit, festina ad Petram, aquam vivam invenies, quam tibi hac hora, misericorditer Christus, de Lapide produxit. bibitq; sitibundus aquam de Petra, & de Saxo durissimo poculum hausit. Elliciente *Petrâ Christo*, de Lapide humores, intercesſione Francisci: guttas Lapidum efformantis,

Migl: L. 2. de Alver.

CAPUT IV.

De 89. Scibili Zoographico.

INFORMATIO Prænotandis V. *Descriptionem, Divisionem, Usum Artis, Objectum, Laudemq; Zoographiæ: declarans.*

I. Z*Oographia.* intelligitur Ars *Pictoria:* ductis certis lineamentis, adhibitisq; coloribus, effigurandi similitudinem rerum Viventium, & non Viventium. *Catagrapha* autem, dicitur illa: quæ docet obliquas imagines, vultusq; suspicientes, despicienses, varie respicientes, formare.

II. Pictura alia est *Umbratilis:* quæ solis lineis circumscribit formas & similitudines. & hujusmodi primitus exercebatur, à nigro colore, dicta *Incaustica*, à modo, *Linearis.*

Alia

Alia Colorata: quæ lineares formas, coloribus venustat, repræsentat, adumbrat. *Monochimatonq;* appellatur.

III. *Picturam Linearem,* dicunt à Philocle ægyptio, vel Cleanthe Corynthо, primò exercitam, sine ullo colore. Colorasse autem Imagines, primùm Cleophantum Corynthium, referunt. Porrò initia ipsa, à quodam Pastore processerunt, qui umbram aliquot ovium, pede in arena circumducens, iisq; abactis delineationem relinquens, occasionem delineandi varia, obtulit. quam successive, exercitatio & Ars perfecit. Plin:L.35,3.

IV. *Pingens,* Ethymelogiam habet: quàm *Fingens.*

Pictoribus atq; Poetis
Quidlibet audendi, semper fuit æqua potestas. Horat. de Art:Poës:

vel *pingens.* sonat *fingens ens.* Pictura enim, non nisi ficta, obtutui monstrat Objecta:

Rura, lacus Sylvas, montes, vallesq; recessus.
Et fontes pontes, & maria & fluvios.

putares quid verum, & est pigmentum merum; existimares substantiæ ens pulchrum, & non habet substantiæ fulcrum.

V. Laudat tamen Romanus Orator, peritos pictoriæ artis: *Multa vident pictores in Umbris, & in eminentia, quæ nos non videmus.* Cic:4. Ac.

INVENTIO. Conceptibus V: *Instrumenta Picturæ; Varietatem Colorum; Requisita, Imagines ad Vivum; ac novum Specimen: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. ACcommodatis pictura indigens instrumentis, inter peropportuna: numerat *Ocribantem,* seu pulpitum ligneum, ad locandam tabulam depingendam; *Regulam ligneam,* manum pingentis, ne hac illacq; dilabatur, sustinentem; * *CONCEP: Num. 441.*

tem; *Palletamq;*, seu tabulam ligneam, quæ manu sinistra portata præparatos promptè suppeditat colores. Quæ instrumenta picturæ, figuram Ligni Crucis Sanctæ, repræsentant. Nam *lineæ rectitudine*, sustentantis pictoris manum, non caret; Ut pulpitum sustentativum est imaginis, ita illud corporis; instarq; *palettæ* pictoriæ, pro inserendo digito, foraminatæ, esse perforatum lignum clavis, sustentans purpureum colorem Sangvinis. Hìc, cum Crucis sunt Vulnera, *Mihi Mundus Crucifixus est, & ego Mundo:* eadem repræsentant pictoriæ Artis infrumenta.

Gal: 6, 14.

Dum vulneribus Crucis depictam imaginem Francisci, inique ferens quidam religiosus carbone macularet; pulchriusq; iterum apparerent, ille cultro scalpendo deleret; & furore accensus, totam ferro raderet imaginem; mirum. impetu tanto effluxit Sangvis è latere Sancti: quod caput, oculos, manus, Vestimentum, artificis illius abunde irroraverit. cumq; semimortuus cæpisset dolere, quia Sacra signa volebat delere. Sangvinis fluxûs, pænaq; jacentis, voventis semper se adoraturum iconem S. Francisci cum Stigmatibus effigiatam, cessarunt. Erat autem imago in pariete, ad quam restaurandam vocatus pictor, iterum totam perfectam, cum Signis, invenit.

Chr: Ord: pag. 1, L. 3.

II. Colores, cum sint velut media, per quæ Species figuræ, oculo porriguntur: pictores illis, cultam reddunt iconem. & inter extremos colorum, numerant *Albedinem & Nigredinem*; inter medios, *Rubedinem*; quam concomitantur: color rutilus, Sangvineus, igneus, flammeus, puniceus, vinosus, item *Flavedinem*, quam sequuntur: color pallidus, luteus, Buxeus, furvus & alii. Concrucifixus, variabili mixturâ colorum, ornatus est. *Albedo & nigredo*, in molli cerusa albæ castitate carnis; & nigredine impactorum carni clavorum, elucent.

* *CONCEP: Num: 442.*

elucent. *Rubedo & Flavedo*, in rubedine Sangvinis; inflammatione vulnerum; palliditateq; carnis; reperiuntur. Et ficut Reginæ Esther facies, rubeo & pallido colore decorata erat, cum ante regale solium Assueri stetisset. *Ipsa autem roseo colore vultum perfusa.* Subditurq;: *& in pallorem colore mutato, lassum super ancillulas, reclinavit caput.* Ita Franciscus, cùm in Monte Alvernæ, ante conspectum Regis Jesu Christi stetisset: roseo cruoris; & pallido livoris; perfusus est colore. Esth: 15,8. vers. 10.

* CONCEP: Num. 443.

III. Subjectum picturæ; suppeditat materia telæ, utq; plenius jaceat, planius pateat: in ligneo pulpito extensa, claviculis circumcirca affigitur. Et in Stigmatisatione: nonne *Ligno Crucis*, carnis affixio & extensio? prontq; imagines confectæ, ne umbræ lineamentorum, umbris pulverum obnubilentur; coloresq; recentes maculentur; peripetasmate obvelantur, telâ appensâ occultantur ita Stigmata: ad sistendū cruorem, fasciis ligabantur, velamineq; Habitus tegebantur. *Secreti regalis Vir conscius, Signacula illa sacra, pro viribus occultabat. Verum Dominus ipse qui Signacula secrete impresserat, miracula per ipsa aperte monstravit. Ut illorum occulta ac mira vis stigmatum, manifestâ pateret claritate Signorum.* S.Bon: Vit. cap. 13.

* CONCEP:. Num: 444

IV. Operæ pictorum, causa Finalis: ad vivum productum animatæ alicujus vel inanimatæ rei exemplar, & Similitudo. Unde *Imago*, ab imitando quasi imitago, dicitur.

Vivunt, quas pinxit pecudes, pictæq; volucres.
Vario vivoq; colore.

Seraphicus Vir, ad imaginem DEI factus, *Quoniam Deus creavit Hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit eum.* JESU, Filii DEI incarnati, Cruci affixi, *ad Vivum*, prætulit imaginem. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cælestis, nam quos prescivit & prædestinavit conformes fieri, imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis Fratribus.* Proferre potest: *Nos verò omnes revelatâ facie gloriam Domini Speculantes, in eandem imaginem transformamur.* Sap: 2, 33. 1. Cor: 15,49 Rom: 8,29. 2. Cor: 3,18.

Sed

Sed ecce repræsentantis imaginem mysticam: in imagine artificiali, miraculum. Congregatum erat in Civitate quadam, contra Ordinem ejus, Conciliũ Prælatorum. quòd populus ad Ecclesias Fratrum affectum assumeret, adi-
Chr:Ord: retq;. Loci illius, Templum præcipuum habebat fenestras,
pag. 2. L. 9. depictas imaginibus S. Pauli cum gladio; & S. Francisci
cap. 26. cum Cruce; nocte igitur, quâ elapsa, primarius accusator quærelas contra Minoritas depositurus erat, Sacrista audivit in Ecclesia vocem Apostoli: Francisce, cur Ordinem tuum non defendis? qui respondit, nihil in manu mea, nisi Crux incitans ad patientiam. accepit igitur Apostolus eam, & gladium porrexit. Mane veniens Sacristianus, vidit Signa immutata imaginum: Ut B. Paulus Crucem, ille gladium rubentem recenti Sangvine teneret. interea rumor pervenit. caput Prælati gladio amputatum, eadem nocte. & qui audivit & vidit, imaginum mutatione, assertum suum probavit.

*
CONCEP: Num. 445. Joan: Rho: Vit: Hist: L. 3.

V. Beata Ursula Benicasa, Virgo Neapolitana, ignara picturæ: ex continua meditatione passionis Domini, apprehensa Specie Christi dolentis, mirabilem ejus depinxit effigiem; cum Signis omnibus affectibusq; Amoris & Doloris. Opus admirabantur omnes, & laudabant, nemoq; peritissimorum pictorum, quid simile potuit. Vulnera Seraphica, picturam vulnerum salutarium Crucis, tam expresse efformant, ut facile quisque iis conspectis, in cognitionem Passi Jesu deveniat.

CAPUT V.

Dn 90. Scibili Phrygiatico,

INFORMATIO, Prænotandis V: *Descriptionem, Divisionem, Objectum, inventionem, consideratağ Phrygiaticæ, declarans.*

I. Scibile

I. SCibile *Phrygiaticum:* est ars intexendi auro & serico, florisandique variegatione, tegumenta Hominum & Rerum.

II. Variegationes textorio opere quoad Materiam, dupliciter perficiuntur: aut auro intorto argentoq; vel puro Serico. aut lana colori sata, in tenuissima deductâ fila.

III. *Intextura,* denominari potest: à *tectura.* teguntur enim fila subjectæ materiæ, auro serico, intexto intermixto.

IV. Acu facere pictas vestes: Phryges invenerunt. *Phrygiones* vult dicendos, Plinius. L.8. c. 40.

V. Laudem arti attribuit: Varietas quæ delectat; pulchritudo quæ allicit; labor qui ad Vivum naturalia, vivosq; quasi effectus, acu producit.

INVENTIO. Conceptibus V: *Instrumenta Phrygionum; Telam colorisatam; accidentia Artis; Opera phrygiatica & Mysterium: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. ECclesiæ Legis Moysaicæ: Phrygiones doctos & textores Artificiosos, qui præpararent vestes & operimenta Sacerdotis, ac Altaris, tribuit Deus: *Beseleel & Ooliab, tribuens eis intellectum & Sapientiam, ut omne opus quicquid fabre adinveniri potest, scirent & agerent. Ut faciant opera abjetarii, polymitarii, ac plumarii, de hyacintho ac purpura coccoq; bis tincto & bysso, & texant omnia, ac nova quæque reperiant.* In nova Lege Ecclesiæ Catholicæ: ut esset qui polimitario, sacro phrygionum opere, faceret ornamenta spectantia ad Castrum DEI, altarisq; decorem: Christus Jesus, Franciscum, in Sapientem polymitarium, gnarum mysteriosæ phrygiaticæ, efformavit & proposuit. Clavi enim infixi: instar *acûs phrygionum* sunt. & quasi portam, fili insuendi foraminatam habent. Cuspide illorum ab una parte, ut testatur S. Bernardinus Senensis, reflexo.

* *CONCEP.* *Num.446.* Exod:35,34

Conc:de S. Fran:

flexo. *quòd reflexioni digitus sicut annulo, inseri poterat.* Pro tenuissimis autem phrygionum filis, sericis vel aureis: dicere possumus Virum DEI: aureum, charitate; purpureum pa-
1.Reg:18,23 tientia; tenuissimum paupertate; juxta: *Ego autem sum vir pauper & tenuis.*

* CONCEP: Num:447. II. Sudaria pretiosiora, seu Strophiola. solent Phrygiæ Virgines, in extremitatibus, acu elaboratis adornare floribus. Quibus Vir DEI assimilari potest, etenim in extremis volarum & plantarum membris: acu exacuati clavi; Vulnera instar rubearum rosarum, efformata. Hoc Linteum, *sacro phrygio opere Crucis florigerisatum*, Sponsa Christi Ecclesia Catholica: *ut solent Sponsæ offerre Sponsis*, obtulit Jesu Christo, ait B. Salvator Sardiniensis: *En pulcherrima Christi Lapidis cælatura, opusq; Phrygionicum acupictum, & occelatum, ecce nimirum purpurei canales, ad quos in Regiam Christi purpuram, tingitur anima.*

* CONCEP: Num.448. III. Opere Phrygiatico elaborata materia: non fit sine *auro intorto*, seu filis tornatiliter auro obductis. Utq; delectabilior reddatur: cuneos ad finem pendulos, defluentes, seu extremitates funiculorum inter se divisorum, habere solet. Extrema Stigmatum membra, sangvine sunt defluentia, atq; vulnere scindente dividente, instar pendulorum funiculorum, inter se divisorum distincta. Nec sine Auro intorto: torquentis doloris, ab intorto illati clavo. Utq; Moyses,
Exod:39,2. Aaroni procuravit *superhumerale, de auro, hyacintho & purpura, coccoq; bis tincto, & bysso retortâ, opere polymitario, inciditq; bracteas aureas, & extenuavit in fila, ut possint torqueri, cum priorum colorum in subtegmine.* Ita super humerum Francisci: *super humerale Crucis Vulnerum*, posuit Salvator Mundi. *incidens* bracteas aureas; & *extenuans in fila*, Concrucifixivâ Extensione.

* CONCEP: Num.449. IV. Intexta variatione phrygiaticâ, materia: gratiâ planiciei, forficibus superflua abscindentibus complanatur; & causâ mensuræ, vel necessitatis, scinditur. Gracilis omnibus,

bus, tractabilis omnibus, mansuetus & lenis, similis est Franciscus: Stigmatisatæ suæ carnis, forficibus clavorum, sustinens præcisiones. Usurpandum ipsi: *Præcisa est velut à texente* Joh:38,12.
vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me, gratia Crucis Christiferæ. *

V. Id Oppido Andrichoviensi Regni Poloniæ, possidet Ecclesia Parochialis, *figuram miraculosam Crucifixi*. hæc in laribus Domini Brandisz, in honesto loco ubi aliæ imagines collocatæ erant, reposita. cæpit Sangvineo sudore tantopere madefieri, quòd puellæ, acu phrygiantis telam, sub illa imagine sedentis, vestem aspersit. atq; lineam interulam Generosæ B. Grotkovvska, quæ phrygiantis Virginis spectabat operam, perfuderit. Et *sexdecim vicibus*, elicuisse Sangvinem, Sessio Commissariorum adinvenit. Tela Carnis Servi DEI, Sangvine vulnerum Crucis impressorum, perfusa & colorata est. Jesus Salvator, contulit ipsi: *Stolam Sanctam, auro & Hyacintho & purpura, opus textile viri Sapientis, judicio & veritate præditi.* Ut mundus agnosceret animam ejus DEO gratam, licetsi *operimento externo*, rudi vili crasso pauperi indutam. *internâ tamen*: polymita phrygio opere, ornatam fuisse veste, Stolâ, *lota in Sangvine Agni.*

CONCEP: Num: 450. Hyac: Prusz: Hist. Pol: de Cr.

Eccl: 45,12.

Apoc:22,14

CAPUT VI.

De 91. Scibili Textrico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Descriptionem; Divisionem; Objectum; Considerata; Inventionemq́ Textricæ, declarans.*

I. TExtrica. ars quidem est *Mechanica*, sed propriè Æconomica: *intermixtione commixtioneq́ filorum Lini aut velleris, conficiens tegumenta varia.*

II. *Telæ Confectricem*: aliam esse ex *Lino*. aliam ex *Lana*. Utraq; autem inservit necessitati Æconomicæ.

III. Linum, denominari poteſt: à *Lenitate*, quòd lene
Plin: L. 7. fit in tractando & veſtiendo. vel à *Linea*, quòd rectitudine lineali creſcat, intexeturq́;.

IV. Prima linum reperit *Arachne*, Virgo Lydia, quæ lanificii peritiſſima, quùm auſa eſſet Minervam ejus artis amatricem, Deam Scientiæ, ut volebant Poetæ, ad certamen evocare, & ab illa victa, in araneam mutata eſt, nunc quoq́; nere non deſinens; filisq́; araneis, penſilis hærens. Sed potius ſtatuendum eſt: texendi imitationem, ex occaſione telæ Araneæ deſumptam eſſe.

V. Textus Sacer, pangit laudem textricum: *Quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Item; *Anna*
Prov: 31, 13. *verò uxor ejus, ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum*
Tob: 2, 19. *ſuarum, victum quem conſequi poterat, deferebat.*

INVENTIO. Conceptibus V: ***Expolitam materiam Lini; Officinæ textricæ opus, Ligaturasq́; Perfectionem Telæ Uſusq́; varios: in Concrucifixione Christo, repræſentans.***

* CONCEP: Num. 451. I. PEropportuni uſui Generis Humani, Lini. multa adaptantia perficientiaq́; Plinius enarrat: *Linum ſemper injuriâ eſt melius, debet avelli, ſiccari, macerari fluvio, iterum ſiccari; tundi malleo Stupario, decorticari, ſcindi Spathâ lignea; pecti ferreis chamis, neri in filo, poliri, illidi crebro in ſilice ex aqua, texi, & tundi clavis.* Caro Franſciſci, præſtantiſſimi perfectisſimisq́; Lini, Specimen refert. Etenim densâ aſperſione lachrymarum, ac effuſione Sangvinis copioſa, *purgata*; forti tunſione pænitentis pectoris ictu, mortificationum; adverſitatumq́; toleratarum, *percuſſa*; humili extenuatione meritorum ſuorum, ac jejuniis extenuantibus carnem, *ſubtiliſata*; ac ferramentis clavorum acutorum, quaſi pectinibus Linum diſcriminantibus:
Iſ: 43, 17. *exculta.* Quòd Propheta, de afflictis juſta irâ DEI protulit

Contriti

Contriti sunt quasi linum. Hoc, ex amore ab ipso amore Divino, in Signaculis Crucis actum, reperimus.

* CONCEP: Num. 452.

II. Ordiens textrinam artifex: extendit diducitq; finum, in officina fabricæ Ligneæ ex transpositis vectibus cruciferè constructa. Lignei instrumenti talis: facta est mentio, de armis Goliath; & alterius, à Banaja filio Jojadæ, cæsi, *Hastile autem hastæ ejus, erat quasi liciatorium, texentium*. Vir DEI, funiculis chordæ ligatus; Concrucifixione Christe extensus; Officinam salutis suæ, Lignum Crucis Christi elegit. *& consilio Evangelii*, operatus est bonum in vita sua.

1.Reg:17,7.
1.Par: 11,23.

* CONCEP: Num. 453.

III. At nodos ligantes & ligati Lini, *in textura Stigmatũ* videamus. Linei funiculi. & suas extremitates, dum rumpuntur, nectunt; & appositi vel applicati, corpus ambigendo vinciunt. Concrucifixus, præter funem Chordæ, charactere cruento insignitum corpus, non mediocriter nodantem; etiam interiorem tunicam, *funiculorum nodis intexebat*: ut mortificando carnem, alligaret eam nutui Spiritus. Et dicere potest: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas præclara est mihi.* Juxta: *Intexui funibus lectulum meum.* Stigmatisati corporis lectulus, intextus est, ut in illo *requiescerent*, somno sepulti in Cruce Passio Domini, insignia.

Wad: T. 1, fol. 76.
Ps: 15, 6.
Prov: 7, 17.

* CONCEP: Num. 454.

IV. Licet sit subtili labore, densoq; ordine, contexta linea tela. monstrat tamen in se, foraminula perspicua; filaq; ad invicem, permodum Crucis filis aliis interposita. Similiter in Concrucifixo, vulnerum cernuntur foramina, transparentis instar Telæ. ac *transpositiones Crucigeræ*, Crucis mysterio, monstrantur. Ait P. Didacus de Cea: *Languebat amore & Christi videndi desiderio flagrabat Sponsa sacra, ut Spons absentiam solaretur. quid ille? Franciscum accepit, & illum velut candidissimum & mundissimum puritatis linteum sibi applicans, sua Stigmata impressit: & roseis decorum Stigmatibus, in vivam sui ipsius Crucifixi imaginem effecit.*

L. 1. cap. 7. fol. 170.

CONCEP: Num. 455. V. Ritus Ecclesiæ: Sacratissimum corpus Eucharisticum, omissis holosericis pretiosis materiis, non nisi in linea, tela *Corporale* vocatur, super altari reponit. Salvator Sponsæ accomodans se: Stigmata in similitudinem telæ lineæ efformavit. Ut quemadmodum, *memoriale mortis & Passionis ejus* Corpus Eucharisticum. in linea tela reponitur, *Corporalis*. Ita vulnera, corporis ejusdem Crucifixi Domini, in Francisco,
1. Cor: 6, 20 tanquam in molli & mysteriosa linea tela reponerentur & subjectarentur. juxta: *Portate DEUM in corpore vestro.* Necessaria quoq; Telæ Concrucifixionis efformatio erat, ad *Usum Hominum.* nam grassantibus ingentibus *Mundi frigoribus*, gla-
Matt: 24, 12 cieq; mali, præoccupante corda fidelium. *Abundabit iniquitas, refrigescet Charitas multorum.* Franciscus: ardòre spiritus, igne Zeli, verboq; ignito, plurimos Christianorum calefecit, inflammavit. Utq; tela linea favens, fovit. Et quia gravissima peccata Mundi offendebant oculos DEI: Seraphicæ Charitatis plagis, *in occultantem & operientem telam* efformatus
1. Pet: 4, 8. est. *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

CAPUT VII.

De 92. Scibili Vestiarico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Descriptionem, Divisionem, Objectum, Inventionem, Laudemq; Vestiariæ, declarans.*

I. VEstium effectrix vel factrix, aliter *vestiaria*: Est ars Mechanica, conficiendi varia vestimenta corporis humani, ex accommoda materia tectioni, calefactioni, ornationi, sexûs discretioni, honestatis conservationi, ac complacentiæ auxiliationi.

II. Diversæ sunt vestes ratione statûs. Aliæ Pontificum aliæ Monarcharum; aliæ Spiritualium sæcularium, aliæ Regula-

Regularium; disparcs Nobilium & Plebejorum; Doctorum & Studentium; Virorum & Mulierum; juvenum & infantiū-

III. Materiale objectum Artis hujus, *Vestis*. interpretari potest, *Vos estis*. juxta: *Vestis est testis, quales intus estis, an de inbonestis*. aut dicenda à *Vastitate*. quod indumentum, vastius aliquantulum corpore sit & latius, non tamen Vastitate fluidâ, aut caudatá.

IV. Adam à DEO creatus, post peccatum, pelliceam vestē confecit, & exemplar faciendi vestes, posteris reliquit. Auri vero intexendi modum, Attalus Rex Asiæ invenit. Acu facere vestes, excogitaverunt Phryges Idæi. Et colores diversos intexere, Babilonii cæperunt. Gen: 3, 21. Plin: L. 33. Polyd: de Inv. L. 6. c. 6

V. Usus honestæ vestis, quam sit necessarius & utilis, patet ex confusione illius, carentis amictu Bono. *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem*. Matt: 22, 12.

INVENTIO. Conceptibus V: *Vestem inconsutilem Christi; Vestem laticlaviam; Joseph tunicam; vestiendi, mysterium: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: Num: 456.

I. INter vestimenta Salvatoris & Servatoris, morientis in Cruce. unum erat indivisum in se, & rapaci divisioni militum, non concessum. *Tunica inconsutilis desuper contexta per totum, dixerunt ergo ad invicem, non scindamus eam*. Joan: 19, 23. Francisci Caro, vestis animæ erat. *Et carnibus vestisti me*. cum autem Signis Crucis exornata: *inconsutilis vestimenti*, Symbolum extitit. Etenim ut per totum contexta vestis: foramen habet, quo manus exeunt, item in medio, induendi opportunitate; ac deorsum foraminata, ad eximenda pedum membra. ita manus foraminatæ sunt; excavatum medium lateris; pedesq; non sine vulnerum foramine. sed & *internè*, ipso Jesu Job: 10, 21.

Christo,

Rom:13,14. Christo, amictus fuit. *Induimini Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis, in desideriis.* Concinnè pangitur:

Exue Franciscum, tunicâ laceroq; Cucullo
Tursell. de S. Franc. *Qui Franciscus erat. jam tibi Christus erit.*
Francisci exuviis, si quà licet indue Christum,
Jam Franciscus erit. qui modo Christus erat.

* CONCEP: II. Vestimenta præcipua olim censebantur; *Clavata*,
Num: 457. à clavis aureis intextis, dicta. Et solis imperatoriâ dignitate
Vel: Pat: eminentibus, latis clavis intextâ veste, uti licebat. Equestri
L. 2. Hist. vero ordini, angustioris clavi intexturâ. Refert quoq;, *Atha-*
Rom. *nasius Bibliothecarius:* Constantinum Magnum, Romanæ Ico-
in Bened: ni trans Tyberim, cælorum & terræ Imperatricis Mariæ, do-
III. f. 301. no misisse & obtulisse.

Imaginem Crucifixi Jesu ferens, à Rege Regum, cujus est totius Orbis imperium, veste clavis intextâ, *stigmatibus ni-*
Eccl: 45, 9. *mirum conclavatis*, honorificè donatus est. *Circumcinxit eum zona gloriæ, & induit eum Stolam gloriæ.*

* III. In veste Joseph polymita, sangvine hædi tincta,
CONCEP: *Tulerunt autem tunicam ejus, & in Sangvine hædi quem occiderant,*
Num: 458. *tinxerunt.* quâ conceptâ mæstus intulit Jacob, *fera pessima co-*
Gen: 37, 31. *medit eum, bestia devoravit Joseph:* consideranda est figura, innocenter venditi à fratribus Christi, morsq; in Cruce, laceratâ carne ejus. Item consideranda est, disruptio seu perforatio tunicæ, Sangvine aspersæ. ad conjecturam dentium & ungvium, comesti à bestia.

Quæ considerata, in Concrucifixione, similiter reperiuntur. adsunt enim *scissuræ cicatricum*. Sicutq; Job vulneratus
Job: 1, 20. totus, *scidit vestimenta sua.* ita vestimentum corporis, scissum est. adest humectatio & tinctura roseo Sangvine, largiter è vulneribus manante. Expletum in illo, quod Judæ in bene-
Gen: 49, 11. dictione promissum: *Lavabit in vino Stolam suam, & in Sangvine uvæ pallium suum.*

Quan-

Quantum ad considerationem, mysterii Passionis Domini, omnibus plane patet. Sed & ab initio *Conversionis* ejus patuit. Cum enim nudus permansisset, resignatis coram Episcopo Assisiensi, Parenti suo vestimentis, oblatus est illi cujusdam Agricolæ, mantellus pauper & vilis, hunc gratanter suscipiens, cæmento quod sibi occurrit, ad modum Crucis consignavit, operimentumq; ex eo formavit instar Crucis. Wad: app. Ann: §. 4.

Franciscus vero donum lætabile agrestis.
Accipit & formâ, quam primum insignit amatâ
Texta Crucis consuta. dehinc simul aptat habenda Fran: Mau: L. 5. init:
Tegmina dura sibi.

IV. Ethica Catholica atq; Ethnica. illa motivo Charitatis, hæc Honestatis, ad præstandum operimentum nudis, ducit & docet. *De Vestimentis tuis nudos tege, cùmq; videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Franciscus, sciens quod nudus egressus sit de utero matris, & nudus reversurus ad uterum terræ: in vita quoq;, amore paupertatis, ab omnibus nudatus est terrenis. *In fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* etiam cum sciscitatione & gloriatione: *quis nos separabit à Charitate Christi, tribulatio an angustia, an fames, an nuditas?* Judex igitur vivorum & mortuorum Christus, ne proponeretur, quod ille in judicio propositurus est: *eram nudus & non cooperuistis me:* Servo suo pauperi nudo, Stigmata procuravit, expressiva vestimentorum; pulchreq; corpus tegentia. Observavit Evangelicum placitum: *Dico vobis ne soliciti sitis, animæ vestræ quid manducetis, neq; corpori vestro quid induamini, scit enim Pater Vester, quia his omnibus indigetis.*

* *CONCEP: Num. 459.* Tob: 4, 17. Is: 28, 7. Job: 1, 21 1. Cor: 11, 27 Rom: 8, 35. Matt: 6, 25. Matt: 6, 32.

V. Templum Hierosolimæ, in devastatione ruinis sepultum, cum iterum Judæi resuscitare sub Juliano Apostata vellent. adhiberentq; operarios, instrumenta pararent, fundamenta ponerent: terra ejecit Lapides è fundamentis, ignesq; excidisse, quibus multi perempti. ac Crux mirabiliter in vestimen-

* *CONCEP: Num: 460.* S. Chrys: Orat: 2. ad Jud.

vestimentis Judæorum, quasi acu picta dum apparuit, ab inchoato opere deterruit. In Concrucifixione, non monstrose sed mysteriose, Crux salvatoris Jesu Chtisti, clarescit micat & fulget. lætus proferre valet: *Gaudens gaudebo in Domino,*
If. 61,10. *& exultabit anima mea in DEO meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento Justitiæ circumdedit me.*

CAPUT VIII.

De 93. Scibili Scenopægico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Descriptionem, Divisionem, Explicationem Objecti, inventionemq; Scenopægicæ: declarans.*

I. SCenofactoria: *est Ars Mechanica, ex pellibus, serico, saccis, consuendi tecta portabilia & componibilia, maxime ad usum militarem.*

II. Dividitur: in *Pellisutoriam*, quæ ex pellibus politis variis, & *sartoriam*, quæ ex saccis, tapetibus, auleis, sericaq; materia, consuit tabernacula.

III. Objectum ejus, *Tentorium*, appellatur à *teneo ora.* etenim ut consistant summitates ejus: clavis & funibus tenentur. Vel à *Terrore*, quòd incutiatur multitudine tentoriorum in castris.

IV. Inventionis primatum, opus est attribuere Jabel:
Gen: 4, 22. *qui fuit Pater habitantium in tentoriis, atq; pastorum.*
Actor:18,3. V. Laus arti advenit: quòd Doctor Gentium, occupationibus cælestibus deditus, manum ab exercitio ejus non
Com:in c.8 amovit & operabatur. *Erant autem scenofactoriæ artis.* Tex-
1. Corint. tum sacrum, eodem sensu explicante S. Chrysostomo.

INVENTIO. Conceptibus V: *Materiam Tentorii; Extensionem; & Accidentia. Inhabitatores, ac Speciosum Tabernaculum. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

I. Materi-

I. MAteria Tabernaculi, frequentius corii, pellis. *Vidi tentoria Arthyopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Moyses quoq;: *fecit & opertorium tabernaculi, de pellibus arietum rubricatis.* Fraecisci pellis ob jejunium arida, *Cutis mea arvit, & contracta est,* materiam tabernaculi possedit. idq; rubricatorum Scenomatum, seu tegumentorum Tabernaculi rubeorum. *facies & operimentum aliud tecto, de pellibus arietum rubricatis,* rubicundo fulgente colore: pudoris & innocentiæ; item cruoris & patientiæ. Recte Cardinalis Hugolinus, videns in Capitulo primo, quinque Millia Fratrum ex omni parte Orbis accurrentium, & devotum exetcitum quodam die perlustrans, nihilq; videns inordinatum, conversus ad suos admirabundus dixit: *Vere Castra DEI sunt hæc.* Additq; insignis Chronologus Ordinis: quis enim viso illo cætu, non in hanc statim erumperet vocem: *Quam pulchra Tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Ismael, ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui. Ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi prope aquas.*

* *CONCEP: Num. 461.*
Habac:3,7.
Exod:36,19.
Job: 7, 5.
Exod:26,19
Wad: T. 1. fol. 193.
Num:24,6.

II. Non est *Usus tentorii*, absq; extensione. Unde Hebræis Tentorium dicitur Ohel, à Radice Ahal, quod *extendere sive expandere* significat. quia clavis terræ infixis, per funes distenditur.

* *CONCEP: Num: 462.*

Extensio Concrucifixionis Christo, dilatatur Ligni Crucis Sanctæ mysterio. Fateri potest Vir DEI, cum vate Jesse: *DEUS justitiæ meæ, in tribulatione* Compassionis, *dilatasti mihi.* Directaq; ad illum, Videtur Prophetia: *Dilata locum tentorii tui, & pedes tabernaculorum tuorum extende, ne parcas longos fac funiculos tuos, & clavos tuos* infixos *consolida.*

Psal: 4, 2.
Isa: 54,. 2.

III. Tentorii, præter foramen medium longum & ingens portæ; sunt in extremis circumcirca orbiculi ex funibus, pro insertione clavorum. Unde & clavus, prompte suppeditavit arma, debellandi Sisaram. facit & propheta mentionem clavorum: *Tabernaculum quòd nequaquam transferri poterit,*

* *CONCEP: Num: 463.*
Jud: 4,21.
Isa: 33,20.

terit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum. Franciscus: præter lateris patens foramen; rotundas quoq; manuum & pedum, sustinet perforationes, cum *clavis infixis*, dilatantibus.

* CONCEP: Num:464. IV. Inhabitant Tabernacula: quorum commoratio in uno loco brevis, frequens transmigratio, peregrinatioq;.
Gen: 13, 18. *Movens igitur tabernaculum suum Abram, venit & habitavit, juxta convallem Mambre.* Castrensia verò Tentoria, inhabitant: quorum corpora, *in Vivam pro Salute Reipublicæ, devoventur hostiam.* sic Saul, cum David Bella gerens, vix non hostia morti erat. intrante adversa parte, tentorium ejus: *Venerunt ergo*
1. Reg: 26, *David & Abisai, ad populum nocte, & invenerunt Saul jacentem, & dormientem in tentorio. & hastam fixam in terra, ad caput ejus.* Tabernaculi Stigmatum, quisnam esset inhabitator? nonne
Hebr: 13, 14. Patris Pauperum Spiritus. nullibi *Civitatem manentem*, & fixum possessionis locum habens; peregrinusq; cum David:
Psal: 38, 13. *Advena ego sum apud te, & peregrinus.* juxta: *Charissimi obsecro vos,*
1. Pet: 2, 11. *tanquam advenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* Inhabitatrix item erat anima Tabernaculi: tanquam militis devoventis animam suam morti. nam *mortua Mundo*; commortua Christo; cæsa Concrucifixionis Jesu extitit hostia. Dicere poterat, biennio elapso ab impressione, Vitam claudens: *Justum autem arbitror,*
2. Pet: 1, 13. *quàm diu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione, certus quod velox est depositio, tabernaculi mei.*

* CONCEP: Num: 465. V. Narrant Historiæ: Amurathem, Dinastam Turcarum, in castris suis, habuisse tentorium. cujus inter Serica
Alhes: L. 3. de Tur. palatia componibilia, erant quinque præcipua auro intexta, sumptu prætiosa, labore Speciosa. In primo, apparatus mensæ; in altero, Arma; in tertio, literæ; in quarto, vestimenta; in quinto lectisternia & thesauri; spectabantur, conservabanturq;. & quidem non tam ad Imperatoris commoditatem; quàm ad commendationem. Rex Regum, Monar-

cha invictissimus Christus: in Castris militantis Ecclesiæ, de qua dictum, *Terribilis ut Castrorum acies ordinata:* è Stigmatibus struxit Tentorium, quintuplicium cellarum. in latere, duabus manibus, & pedibus. Repusuitq; in eis, arma sua, *Clavos.* quibus debellavit mortem; *Literarum chartas*, descriptionem nimirum Similitudinis Crucis; Lectulum item, scilicet Lignum Crucis, in quo *obdormivit* commendans Patri æterno, Spiritum suum; clare id, non injucundâ formâ, exprimentibus Signis Seraphicis. Cant: 6, 3.

CAPUT IX.

De 94. Scibili Chalcographico.

INFORMATIO, Prænotandis V: *Descriptionem, Divisionem, Objectum, Considerata, Inventionemq́ Chalcographiæ, declarans.*

I. CHalcographica, seu Typographica: Est Ars collectione literarum materialium in unum, earumq́; impressione, exprimendi Scripturam in jubjecto apto.

II. Impressoria, alia est *Literarum.* quæ Characteribus imprimendis attendit. alia *Figurarum.* quæ iconibus, imaginibus exprimendis invigilat.

III. Chalcographicè impressa *pagina*, dicitur à *pungendo.* Premitur enim duro stylo literæ, & torculari. vel à *pingendo*, nigro depingente attramento.

IV. Inventores fuere: Joannes Gunderberger, Joannes Faust & Joannes Mendinbach, Cives Moguntini. Faustus, munere aurifaber, sculpendi arte præditus. cùm Alphabeti literas æri incidisset, obductoq́; colore in charta expressisset, cogitavit integra verba ac sententias efformari posse. & quia difficultas intercidebat, singulariter typos literarum efformans, componensq́; ad invicem, & chartæ imprimens, Hist: Mog: Nic:Ferr:

 initium

Initium Typographiæ monstravit. reliquis duobus, ope & opera auxiliantibus.

V. Laus ejus, à Vita Scientiarũ Famàq́;, non modica:

Arnol: in descr: Typ. Od. 2

Hæc Ars è tenebris, Musas vatesq́; reducit,
Certaq́; transacti, temporis acta refert.
Conflatis docuit Libros, quæ cudere Signis.
Et præli dociles, exprimere apte typos.

INVENTIO. Conceptibus V: *Chartam prælo aptam, typos Characterum; Reconditoria literarum, impressionem, mysteriumq́;: in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* CONCEP: I. Num: 466. IMpressuræ literarum subjectum, esse *papyrum albam.* quæ à typographis, ut facilius impressionem suscipiat, aquâ humectatur; ut plana sit, & ne moveatur, infixa acutis aciculis, extenditur. Impressum corpus, albæ instar chartæ est. nam jucundâ liliatæ puritatis albedine nivescit. estq́; humectatum, lachrymarum uberrima pluviâ; Extensum, Concrucifixione; Planum, sinceritate; & ad nutum DEI, plenâ resignatione. In hac charta, Dextera DEI viventis, figuris clavorum, quasi *formis typi* presSit & impressit, Historiam *Tragediæ Crucis*. quòd typum Vulnerum Salvatoris, quisque legere & intelligere possit. ipso B. Patre, post obitum suum, in apparitione, declarante: *Christus sicut vulnera in Cruce suscepit, ita manibus suis benedictis, in corpore meo impressit.*

Wad: T. 1. fol. 315.

* CONCEP: Num: 467. II. Sed forte explicatiorem, desideras Characteris typographici enarrationem? funditur è metallo æris vel stanni, non sine additamento chalybis; est in modum clavorum; superiusq́; exaratam literam gestat; & dum pingit & imprimit, *pungit & premit.* Ut pagina impressuræ subjecta, rectè à pungendo dicatur. Clavi transfigentes, similes characteribus, non absq; puncturæ effectu. juxta optatum viri patientiæ

desiderium; *Quis mihi tribuat ut scribantur in libro stylo ferreo.* Job: 19, 32.
Prout descripta sunt stylo clavorum ferreis similium, arcana Passionis Domini.

* CONCEP: Num: 468.

II. Quantùm ad instrumenta alia Typographiæ, ut est *Reconditorium Literarum*, armariola seu promptuaria: arculas profundas plures, pænes se, distinctas, habentia. Et horum expressio non modica. vulnera enim, an non similia reconditoriis, profundisq; cistulis Typographicis? in quibus, ut æneanum literarum instrumenta jacent: ita Clavorum ferramenta, reposita. Promissio DEI, Israelitis: *Agri ementur pecunia & scribentur in libro, & imprimetur signum, & testis adhibebitur in terra Benjamin.* in Francisco completur. Emptio enim illa agri *angenteis*, quibus ab Iscariote venditus Salvator. *Dederunt eos in agrum figuli* sicut ad Passionis Domini mysteria spectat. ita ad ejus Signa anunciativa Mortis Domini. *Scriptum* itaq; venditi & Crucifixi Redemptoris, *impressumq;* *Signum*: in impressione est vulnerum seraphicorum. *Testis* vero *adhibitus in terra Benjamin.* appellari potest: testimonium Crucis in carne præferens. Utq; tribus Benjamin erat *Minima*, humilis & Minorita. Jer: 32, 44. Matt: 27, 9.

* CONCEP: Num: 469.

VI. Charta typis consignata, madida, è torculari prælis exempta, levatur ad exsiccandum, instrumento ligneo, T Literæ, simillimo. Vir DEI, ingerentibus dolorem vulneribus, & corpus Sangvine madefacientibus, cum ante mortem, biennio incedere non valeret: sustentabatur Virgâ, in modum figuræ T. Unde in villa Chora, Episcopatus Ostiensis, cùm quidam præ dolore pedum, nulibi exire, nisi è vita poterat, & oraret: memento Beate Pater quod in meo asello agebas iter; quòd pedes tuos osculo prosecutus sum, adjuva me. mirum! cum supradicto baccello efformato figurâ T, apparuit. tangensq; locum dolorosum, ægrotum sanavit, in ulcere rupto, relicto apparente signo Crucis. Chr: Posn. p.2.L.2.c.4 Idem par.1. L.3.c.20.

V. Est

CONCEP: Num. 470. V. Est Sendomiria, in Regno Poloniæ, Civitas celebris. ibi in Conventu P. Prædicatorum, obeunte prioratum Beato Sadoc, cùm quadraginta novem Fratribus, psallentibus in Ecclesia Domino, Novitius legens Martyrologum in Choro, invenit aureis literis impressum: *Sendomiriæ passio 49. Martyrum*, obstupuit. atq; cum legisset voce clarâ, obstupuere omnes. probarunt itaq; aspiciendo librum, & approbarunt. Et mysterium erat, Tartaris Poloniam tunc devastantibus: trucidatione è vita sublatos, ad solemnitatem cælestis Jerusalem, migraturos. Ut rem probavit exitus. In Libro quoq; Stigmatum. expressum est *aureis characteribus Charitatis* Scriptum: *Passio Domini nostri JESU CHRISTI.* estq; Scripto hoc, pronunciatio *Martyrii Regis Martyrum*, patulo ore vulnerum.

Bierc: in Com: Vit. S. Dom. Prusćz in Chr: Sanct. Polon.

CAPUT X.

De 96. Scibili Bibliopægico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Descriptionem, Divisionem, Objectum, Considerata, Inventionemq; Bibliopægiæ, declarans.*

I. Bibliopæica: est Ars mechanica, compactionis ordinationisq; chartæ Librorum, causâ decoris, roboris, commoditatis legentium, & præcipue conservationis.

II. Bibliopægi, multiplex labor est: aliter compingit solidatq; Libros, in pargamena charta, seu corio Scriptos aut impressos. aliter in papyro. aliter obvelando pelle, serico, ligno. aliter solâ papyro tegendo.

III. Objectum materiale, *volumen Libri*. sumit nomen à *voluendo vel Involuendo*. revoluuntur enim chartæ ejus, ac ne facile destruantur, corio involuuntur. item à *Volitando*. folia namq; Libri, instar folii arboris, præ tenuitate levitateq;

materia-

materialiter volitant. *moraliter* verò, per ora ac manus multorum: desiderio sciendi, videndi, invidendi, contradicendiq;.

IV. In Combinatione Librorum, ut cultior esset, primus Fannius Romæ, chartam percussione mallei, copulavit. ut autem æquales forent chartarum oræ, primùm in Sicilia cæpit. Plin: L.13, 12 Isid: L. 6. Ethy.

V. Libri, commendaticiis alloquendi his verbis;

Vos estis requies honesta mentis.
Jucunda ingeniis bonis voluptas.

Decidente Poeta & Philosopho: *Libros Liberis chariores tanto esse oportere, quantò filii mentis, præstant filiis corporis.* Plat: L. 7. Epist.

INVENTIO. Conceptibus V: *Artificiosam Voluminum perfectionem, Varios colores, Indicem, Librumq; mysteriosum. in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

* *CONCEP: Num. 471.*

I. Liber Voluminum, à libertate, totaliter non dicendus. includitur enim ab utraq; parte ligneis tabellis, quæ instar parietis claudentis, instat cubiculi reclinatorii, sunt, taliq; modo communitèr compinguntur. Qui asserculi bini, si transversè componerentur: materiam Crucis ac expressionem præstarent. Vir Seraphicus, subjiciens se, portandæ Christi Cruci, imitatione: *Et qui non bajulat Crucem suam & venit post me, non potest esse meus discipulus.* Supponensq; totum Corpus Cruci, Concrucifixione: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis.* quasi Chartam, asserculis ligneis compacti Libri, inclusit. duabusq; *tabulis Crucis*, mysteriose circumvallavit. Luc: 14, 27. Gal: 5, 24.

Optans edocere vitam Apostolicam, primum socium suum F. Bernardum, abiit cum ipso ad Ecclesiam, ibiq; audito sacro, ter Evangelium aperuit, in quo occurrit primò; Wad: T. 1. fol. 40.

Matt:19,21. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.*
Mar: 6, 8. Secundò, *Nihil tuleritis in via.* Tertiò, *Qui vult venire post me, ab-*
Mat:16,24. *neget semetipsum, & tollat, Crucem suam & sequatur me.* Amplexante Crucis Lectionem ex Libro Evangelii, Francisco: qui compactionem Librorum Crucem notantem, expressit.

* CONCEP: Num. 472. II. Compactores Librarii, voluminum cornia: præmuniunt fibulis ferreis, aut æneis, aut argenteis, claviculis parvis acclavando. Stigmatum opus, non absq; clavis infixis; ac signo acuminato: Ut habent Librorum quadrangula cornua. Jesus imprimens sacras Crucis notas: *Argento*
Jer: 10,4. *& Auro, decoravit illud, clavis & malleis compegit, ut non dissolvatur.*

* CONCEP: Num: 473. III. Chartarum margines: coloribus honestantur. & communitèr rubeo. Aureo item, & aliquando mixtorum
Proleg: in Job. colorum aspersione. Tecturæ quoq; Voluminum, diversimodè decorantur, ait D. Hieronymus: *Habeant qui volunt veteres Libros, membranis purpureis, auro argentoq; descriptos.* Hîc rubet purpura, ex roseo Sangvinis rore; micant nigri & lutei coloris, in clavis, umbræ; ac in violis, livoris vulnerum. Nec deest sparsim colorisatio aspersiva marginum: scilicet
Off: Stigm. Lect. 2. de latere, jugiter manantes guttæ. *Dextrum quoq; latus, quasi lanceâ transfixum, rubrâ cicatrice obductum erat. quod sæpe Sangvinem sacrum effudens, tunicam & femoralia respergebat.*

Sed & Libris aliis, qualem colorem indiderit, patuit. Cum enim Novitius quidam, habens psalterium, rogaret facultatem retinendi illud, respondit: Non legendo sed faci-
Wad: T. 1. fol. 232. endo doctus eris. & iterum cum peteret id ipsum, â Viro DEI assidente igni: aspersit caput cinere tyronis, dicendo Ego-psalterium, subjunxitq;: tentatus fui similiter, de Libris conquirendis, & revelavit mihi Dominus, per Lectionem Evange-
Luc: 8, 10. lii Sancti: *Vobis datum est nosse mysterium regni, ceteris autem in parabolis.* Sicq; affectantem Librum: colorisavit cineribus doctor Humilitatis, expressorq; Stigmatibus colorum, quibus Libri variantur, decorantur.

IV. Ne-

IV. Nexus Librorum, filis consuentibus faciunt: clausuramq; eorum funiculis connectentibus. & sæpè *indiculus*, facilioris indagationis gratiâ, ex funiculis identidem, chartis interponitur. Sanctus, bajulus Crucis vulnerum; chordæ fune, vincitur & ligatur. Quemadmodumq; funis rubeus, pendens de fenestra Rahab, index fuit inveniendi & dignoscendi domum ejus. *Appendit funiculum coccineum in fenestra.* Ita in Libro Concrucifixionis: dum de fenestra apertorum vulnerum, vitta coccinea Sangvinis profluentis, protrahitur. indicis loco est: inveniendi & cognoscendi similitudinem vulnerum Salvatoris.

* *CONCEP: Num. 474.*

Jos. 2, 21.

V. Sanctus Vincentius Ferrariensis, Ordinis Prædicatorum, refert: quandam Mulierem nescientem legere, cum aspiceret libros in Ecclesia, lachrymis sæpius irrigatam fuisse. in libro quatuor tantum chartæ erant: *alba*, cujus albedo folii, revocabat in memoriam, candidam B. V. Mariæ integritatem; Suamq; in baptismo albam vestem innocentiæ. de cujus amissione flebat, rogans intercessionem benignæ peccatorum Patronæ, Deiparæ. *rubea* altera, quam considerans, recordabatur fusi pro peccatoribus Sangvinis Jesu, lachrymoseq; ipsi condolebat, & pro suis vitiis dolebat. *Nigra*, tertia. tetras inferni repræsentabat umbras. *Aurea* demum, cœlorum aurea regna, signabat. illis, præ terrore; his, præ gaudio; moventibus illam, ad ploratum. Viri Seraphici, Stigmatisatione efformatus liber, chartis similibus præditus: *Albedo & Rubedo*, in albescente carne, rubeo Sangvine perfusâ, lucent; *Nigredo & Deauratio*, in nigredine infixorum clavorum, auroq; charitatis ex qua complacuit Concrucifigi, fulgent. Ille Liber: memoriam Passionis Domini referebat, & lachrymas eliciebat. in hoc, Passi Salvatoris monimentum, & monumentum.

* *CONCEP: Num. 475.*

Hist. vitæ ejus ad finē

CAPUT XI.
De 96. Scibili Aurgentearico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Descriptionem, Divisionem, Objectum, Considerata, Inventoremq; Aurgentearicæ, declarans.*

I. SCibile Aurgentearicum: *Est Ars mechanica, ex auro argentoq;, conficiendi varia opera, sacro & profano usui inservientia.*

II. Dividitur, in *simpliciorem* elaboraturam, & *subtiliorem.* prior, crassiora Objecta, sine ornantibus figuris, curat. posterior, aurum, vermiculationum accidentibus, insertioneq; Lapidum excolit, ornatiusq; reddit.

III. *Auri faber*, intitulatur: *auri fex*, vel *fax.* auri enim impolliti, face ignitorum carbonum, emundat feces. vel ab *Aurifactura.* nam ex auri Materia, specimina vasorum & monilium, facit.

Pauf: in Antiq. IV. Inventorem Artis, Græci vulcanum statuerunt. quòd primùm ex auro sedile fecisset, in quo requiescens, tacitis vinculis ligabatur.

V. Opus Artificum laudabile, antiquissimus reddit
Gen:24,22. usus. Abrahæ tempore, Rebecæ Sponsæ Isaac, *protulit Vir*
41. 42. *inaures aureas.* Pharaoq;, *collo Joseph torquem auream, circum po-*
Exd: 12, 35. *suit.* Et Moysis tempore, Israelitæ *petierunt ab Ægyptiis, vasa argentea & aurea.*

INVENTIO. Conceptibus V: *Purgatum aurum, Vermiculationem monilium, Clenodia Varia, Vasa aurea, Mysteriumq;, in Concrucifixione Christo, repræsentans.*

*

CONCEP: I. Num: 476. FUlgere expollirique, Auri ac Argenti metalla nequeunt: ni denigratorum carbonum, micanti adurantur igne.

igne. prolatum de DEO: *Ipse enim quasi ignis conflans & emundans argentum, purgabit filios Levi, & colabit eos, quasi aurum.* &, *Tanquam aurum in fornace, probavit illos.* Stigmata, foculi ignis sunt. partim doloris innati vulneribus; partim mysteriosi, Seraphicæ Charitatis. Instar vero flavi, igne ardentis auri: cor esse ardens totum amore Crucifixi Jesu. *Aurum ignitum*, ut ait Apostolus. Proutq; *purgatio igne auri*: probationem tribulatione, significat. ita non sine tribulatione carnis, occasioneq; patientiæ; Concrucifixio. Observavit humilis Vir DEI, observatumq; cum illo: *Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe. quoniam in igne probatur aurum, homines vero receptabiles, in camino humiliationis.* Sed & igne, ut aurum probatur, mundabat carnem suam. etenim in aula Friderici Secundi, Imperatoris, cùm contra libidinem (in quam proclives Aulici) prædicaret: an verbum facto expleret, statuerunt probare, scortum tacite in cubiculum ejus, introducendo. Ille, ad extinguendos immissos Cupidinis ignes, stravit super terram carbones in foco ardentes, extensusq; invitabat juvenculam indomitam, ad calidos lecti amplexus. Cæsar cum aliis, per rimulam spectans, ingressus dixit suis: Verè hic Dei amicus. & ad illum: Surge Vir DEI, quia tecum DEUS est, & verbum ejus verum in ore tuo. Probatumq;, corpus ejus, ut igne auri metallum.

Mal: 3, 3. Sap: 3, 6. Apoc: 3, 18. Eccl: 2, 5. Pisan: L. Con: 13.

II. Aurum delectabile usui, amabile visui, ut delicatius sit: manu artificis, ferro læditur, segmenta vermiculationesq; varias sustinet. Ut Sponsa cœlestis, *Jesu sculptas ferro manus*, comparare auro non dubitaverit. *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Mallonio explicante: *Manus Christi dicuntur tornatiles, quia rotundâ plagâ fuerunt exornatæ. clavus rotundus, rotundam figuram impressit. Vel si manus cum infixis clavis simul sumantur, tornatiles: propter tornatiles clavos dicentur.*

* CONCEP: Num: 477. Cant: 5, 14. De Plag: Christi c. 16.

tur. Francisci membra, sine foraminibus auri, sine tornationibus aurificum, non sunt. monstrante, idscissione rotundarum cicatrium; inhærentiaq; clavorum tornatilibus similium; in dissectis manuum ac pedum membris.

* CONCEP: Num: 478. III. Pectus cordis metropolim, aurea torquium & catenarum clenodia, ornare solent. tale ornamentum Balthasar Rex, promisit nec dedit, Sapientibus Babylonis, positâ interpratatione Scripti. *Purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo.* Danieli non promisit, & dedit. *Jubente Rege, indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo ejus.* Cœlorum & terræ Rex Christus, Servum suum, aureâ torque præ fulgidum fecit. Ut enim torques, rotunditatum minores circulos plures junctos; ac in medio, magnum foraminis Spatium habet, ita Concrucifixionis opus: manuum ac pedum vulneratorum, orbicularitates; ac in medio, non parvam lateralis scissuræ perforationem, continet. Ut torques, à *torquendo* sortitur nomen, quòd torturâ Mallei efformatur: ita hìc, tortura est doloris; ac tortura Mallei, *clavos infixos*, quasi infigentis. Extitit, *prudentiâ Crucis* & erudito Servo DEI, *Ornamentum aureum prudenti doctrina, quasi brachiale in brachio dextro.* Brachiis ejus, Christo Concrucifixis, vel Brachiis, *ferendæ Cruci* suppositis.

Dan: 5, 7. It: 29.

Eccl: 21, 32.

* CONCEP: Num: 479. IV. Elaboratione Vasorum, & poculorum aureorum, ut in convivio Assueri, *bibebant qui invitati erant, aureis poculis,* & Salomonis, *omnia quoq; vasa convivii Regis, erant aurea.* nimiùm omnibus gratam esse, non tamen sine adminiculo ferri. Siquidem interius per medium, claviculus sæpe ferreus vel æneus, cuppæ inseritur phialarum, ne frangantur ne dividantur. In vulneribus Seraphicis: nonne est capacitas phialæ? *ad Sangvinis liquorem;* nonne est per medium eorum intra, insertus clavus? Solidans jungensq;. Franciscus appellandus: *Vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Adnumerandusq;

Esth: 1, 7. 2. Par: 9, 20.

Eccl: 50, 10.

randusq' cœli Senioribus, qui *ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phyalas aureas, plenas adoramentorum.* Apoc: 5, 8.

*

V. Procopius vulgò Neëmias, sævis Diocletiani obtemperans edictis, more furentis Leenæ, currebat Alexandriam, terrore mortis, Christianos à Vita æterna remoturus. in via terruit eum vox de cœlo, ut olim Saulum: *Neëmia quem persequeris!* & mecum ne Bellare vis, contra quem nulla vis; in hoc signo *apparebat autem Crux,* prosternes inimicos tuos, & Pax mea in te requiescet. Scytopolim igitur veniens, præcepit Aurifici quod viderat fabricare. fecit ille, sed in præparata jam Cruce, mirabiliter hebraicis literis, sine manu Artificis, opparvere inscripta nomina: *Emmanuel,* supra. *Michael* à dextris. *Gabriel,* à sinistris. atq; qui persequi voluit, Crucifixi Domini Servos: ipse pro fide ejus, persecutores usq; ad mortem sustinuit. Opificium aureum Stigmatum, Crucis Jesu signum præferens: similia continet Nominum mysteria, *Emmanuelis:* idest Christi passi, de quo prolatum: *Vocabitur nomen ejus Emmanuel:* Item *Michaelis,* in cujus honorem quadragesimale jejunium absolvens, Stigmata recepit; *Gabrielis,* nam arcano secreto DEI, *Portiuncula,* Ordinis Ecclesiarum caput, imagine Sancti Gabrielis, salutantis Matrem DEI, ornata est.

CONCEP: Num. 480. Euf: Hist: Eccl: L. 8, 12

Is. 7, 14.

CAPUT XII.

De 97. Scibili Ferratico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Descriptionem, Differentiam, Objectum, considerata, Inventoremq́, Ferrariæ, declarans.*

I. Ferraria: *Est Ars operum ex ferro & circa ferrum, quæ cudendo & serrando peragitur:*

II. Ignita Ferraria, latius sumitur. scilicet pro Mechanicis

nicis illis, quæ igne elaborant & perficiunt opera, durioris cujusvis Metalli, igne liquefactivi & emollitivi.

III. Quòd absq; Usu ignis, nil perficiunt Ferrarii fabri. data occasio commenti: Vulcanum Deum ignis, ferri, æris argenti, omniumq; quæ igne fabricantur, artem instituisse. Ut opifices ignem, in æternam memoriam suscepti beneficii, Vulcanum vocarint.

Lib: 5, 15. IV. Diodorus tradit: Idæos, ignis usum ac æris ferriq; naturam, quoquo modo fabricarentur, in loco quem
Herod: L. 1. Berecynthum vocant, invenisse. Glaucus autem Chius, primus ferri, artem ferruminandi excogitavit. Halyattiq; Lydorum Regi, craterem ex ferro fecit. *Delphicum donarium*, cujus basis & juncturæ singulæ, nullis aut fibulis, aut clavis, sed solo coagmentabatur ferrumine.

V. Sacer textûs, laboritii ferrarii, primatum attri-
Gen: 4, 22. buit Tubal Caim. *qui fuit malleator & faber, in cuncta opera æris & ferri.*

INVENTIO. Conceptibus V: *Ferri Stabilimentum, Acumen, Columnam ferream, gladium ac cinacem, Mysteriumq. in Concrucifixione Christo; repræsentans.*

*
CONCEP: Num. 481. I. RAationabilis incolæ Mundi necessitatibus: Divinæ Providentiæ succurrentis, sacer textus tale narrat supplementum. *Initium necessariæ rei, vitæ hominum, aqua ignis & ferrum*, sal lac & panis similagineus, & *mel & botrus uvæ & oleum, & vestimentum.* Similiter vitæ Spiritualis, animæ Christi Sangvine redemptæ initium, inter alia necessaria, esse quoq; *ferrum.* Cæpit enim vita hominum, à morte Jesu, Cruci *clavis ferreis*, affixi. inepit regeneratio Vitæ Catholicæ, à lavacro baptismi, in quo cæsi & læsi *ferro* Christi, mysterium.
Rom: 4, 4. *In morte ipsius baptisati sumus.* proficit augmentum vit: pæne

Eucharistico, cujus usus institutus in memoriam Passionis Domini, non sine ferreis instrumentis peractæ.

Viri Seraphici, initium vitæ Religiosæ, omnisq; boni Spiritualis: *Ferrum* est. quando trucidati ferro in Cruce Jesu mysteria, in carne ejus, mirabilibus *subnigris ferro similibus*, ex. erata clavis. Quòd Rex Jesseus, de Civitate *sancta Hierusalem* protulit: *Confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.* Hoc de Francisco, per Fratres suos inhabitante *Hierusalem*, pænes loca Crucifixionis & Sepulturæ Domini, ad hæc usq; tempora. hoc de anima ejus mystica Hierusalem, insignia Passionis Domini continente, asserendum. Portarum enim: Vulnerum apertorum & patentium, *confortatio* seris vectibusq; facta. dum clavi infixi *similes ferreis*, obserant claudunt & conclavant. Estq; *benedictio filiorum in illo.* tanquam Patriarcha filiorum, Familiæ Minoritanæ.

S.Bon: de Stigm:
Psal: 147, 13.

*
CONCEP: Num: 482.

II. Anxius mirabatur, & dubitans sciscitabatur Propheta: *Nunquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, & as.* at hujus dubii, in Concrucifixione, clara resolutio: *Ferrum enim clavorum* Passi Christi, fœdere amoris, *ferro clavorum Viri DEI*, conjunctum & fœderatum, attactu impressionis reali. Expletum est: *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.* clavis ferreis Christi, exacuentibus clavos Stigmatum. Item, dum Deus qui *ut Homo inventus est*, in Amico suo, acutis clavis, efformavit *faciem mortis suæ.*

Hier: 15, 12.
Prov: 27, 17

*
CONCEP: Num: 483.

III. Celebrat vetustas æncomiis: *ferreas Herculis columnas*, laboris & victoriæ ejus monumenta. sed & illa, laudanda, in persona Prophetæ, fabrefacta columna ferrea. *Dedi te in Civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram Regibus Juda, principibus ejus & sacerdotibus, & populo terræ.* Sed & Franciscus: *columna ferrea* appellari potest. non solum præ *constantia & fortitudine*. sed quia & hucusq;, in sepulchro sub terra, erectum corpus ejus, cum

bus plagis, nullo adminiculo sustentante, consistat. Et *ferrea Columna* appellari potest: quòd rigidus & severus in carnem suam fuerit, quodq; instrumentorum ferreorum in Passione Domini effectus, à Christo obtinuerit. Eactus in Columnam ferream, ut alter Hieremias, *coram omni populo terræ.* dum universo Orbi Christiano, *in fortitudine Spiritus:* & Pænitentiam prædicavit; & ingens motivum pænitentiæ, Christum Crucifixum, *stylo ferreo* in Corpore suo descriptum, annuntiavit.

* CONCEP: Num. 484. IV. Ferreus aureum sæculum pacis, adtulit gladius Goliath. qui perdito hoste Israelitarum, in tabernaculo Domini, involutus operimentis servabatur. ita Sacerdos Achimelech

1. Reg: 21, 9. ad David, cum aliquem posceret gladium: *Ecce hic gladius Goliath Philistæi, quem percussisti, in valle terebinthi, est involutus pallio post ephod, si istum vis tollere, tolle. neq; enim est hic alius, absq;*

Hom: 2. de Cruc. Dom *eo.* D. Chrysostomus, gladium hunc; figuram Crucis Jesu existimat. *quâ infernalis Goliath, in monte Calvariæ, tanquam gladio enecatus est.* per David autem: omnes fatemur, Christum præfiguratum fuisse. Porro per *Tabernaculum*, in quo gladius obvolutus pallio, à David repositus est, intelligere nihil devii, Franciscum, ejusq; corporis tabernaculum. in quo *gladius Crucis Jesu*, mysterio plagarum impressarum, repositus est. Velatus & opertus, sacco Habitûs, pallioq; rudis vestimenti.

Sanctius de Cruc: Sermon. 5. *Non ferrea sed aurea secula, vivente Francisco fuere, auro Charitatis in Cruce mortuæ recondito, in Stigmastisata carne ipsius, armis Crucis insignita.*

* CONCEP: Num: 485. Hist. Angl: Henr: V. Erat Crux ferrea ingens, passionis Domini signis, sculpta, in Anglia. in puteo profundo, dum purgaretur inventa. mirum! tacta à fideli Christiano, mollis & suavis apparuit. ab Hæreticis attacta, duritiem ferri monstravit & terruit. nimirum vitam bonis, mortem malis anuntians. In puteo profundo humilitatis Francisci; in puteo vulnerum ejus; inventa

inventa Crux Jesu, non materiæ duræ ferreæ, sed carneæ, ex qua mirefacti, *similes ferreis* clavi, tesseræ sunt Crucifixi Redemproris. Patriarcham Minorum, ipsumq; Ordinem, alloqui videtur Deus, per Prophetam: *Scies quia ego Dominus salvans te, & redemptor tuus fortis Jacob. pro ære afferam aurum & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum, & ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos justitiam.* Isa: 60, v.

CAPUT XIII.

De 98. Scibili Lignifabrico.

INFORMATIO. Prænotandis V: ***Descriptionem, Divisionem, Objectum, Considerata, Inventoremq; Lignifabricæ, declarans.***

I. MEchanica Lignifabrilis: *Est ars conficiendi varia opera, ex materia ligni, juxta certam instructionem, formam, modum, exigentiam.*

II. Quadruplex statuitur: aut *Lignifabrica*, tecta, domos, machinas, construens. aut *Lignivasoria*, vasa quæquæ, ex Lignis sectis componens. aut *Ligniarcularia*, cistas & arcas, mensas & sedilia, ex lignis elaborans. aut *Lignisculptoria*: statuas altariaq;, ligni ex materia exculpens. Addendaq; his: ars curruum, rhedarum, quatenus circa Ligni versatur objectum. Et Prior, ac Postrema: simplicioriοris elaboraturæ. Mediæ, politioris industriorisq;.

III. *Lignum*, materiale Objectum, denominari potest à *Ligatione*. quòd Lignifabrica, ex una parte ligni non fiat, sed ex pluribus, inter se ligatis, seu junctis. vel à *longitudine*, quòd sic ligna crescant.

IV. Græcorum ferunt commenta: instrumenta fabricæ Lignariæ, ut seram, asciam, perpendiculum, terebram, & glutinum ad ligna conjungenda, reperisse Dædalum. & Perdicem Plin: Lib. 7. Ovid: L. 8. Mett.

Perdicem ex ſorore ejus neptem, circinum quo vertendo
Diod; L. 5. circuli deſignantur, & ſeram, inveniſſe. cum traxiſſet in exemplum Spinas in medio piſce repertas. licet alii dicant, ad imitationem ſerpentis dentium ſpiſſitudinis, cum parvum ſecuiſſet lignum, ſeram excogitaſſe.

Gen: 6, 14. Polyd: L. 3. c. 14. de Inv. V. Rectius *Lignariæ Artis*, & inſtrumentorum ejusdem inventionem, Hebræis deferre. qui multò ante Dedalum, optimi artifices, in conſtructione Arcæ. *Fac tibi Arcam de Lignis levigatis*, ac in conſtructione Tabernaculi, fuere. Aut *Tyriis*. à quorum Rege, Salomon per literas fabros lignarios petiit.

INVENTIO. Conceptibus V: *Lignifabricæ perfectas formas; Opera, ac Singularem Ligni Structuram: in Concrucifixione Christo, repræſentans.*

* CONCEP: Num: 186. I. AD laudem Artis Lignifabrilis eſt. ex objecto materiali ipſius, Crucem Sacratiſſimam fabricatam fuiſſe.

Orac: Syb. L. 6. ad fin:

O Lignum felix, in quo DEUS ipſe pependit
Nec te terra capit, ſed cæli tecta videbis.
Cum renovata DEI facies, ignita micabit.

Et ſæpius Operarii Lignarii, in tranſpoſitis lignis: Crucis figuras non prætereunt. Ut tam frequens, inter opera Ligni, formæ Cruciferæ ſit uſus, quòd abſq; illa inutilis labor eſſet viſus. Crucis Jeſu ſtructura, è recto & transverſo ligno compoſita: myſterioſe Stigmatibus expreſſa eſt. Divina benignitate, Ezech: 37, 16. quod præceptum Ezechieli erat, in Franciſco complente: *Sume tibi Lignum unum, & ſcribe, nomen Judæ & filiorum Iſrael & ſociorum ejus, & tolle lignum alterum & ſcribe ſuper illud, Joſeph nomen, Ephraim & cunctæ domûs Iſrael, & ſociorum ejus & adjunge illa, unum ad alterum tibi, in lignum unum, & erunt in unione, in manu tua.* Etenim Salvator, aſſumpto *ligno primo* propriæ Crucis.

in manibus suis vulneratis, salvandos descripsit omnes, *in ma-* Isa: 49, 16
nibus meis descripsi te. postea assumpsit *aliud lignum* Crucis: in Francisco essormatæ. Conjunxitq;, & *fecit ex duabus unam*, ob unitatem similitudinis Crucifixionis & Concrucifixionis.

II. Ligna non securè inserviunt, absq; securi. cæsione sectioneq; opus, ad fabricæ & adaptationis effectum. *Præcipe igitur, ut præcidant mihi servi tui Cedros de Libano.* Vir DEI: maturitate perfectionis procerum; Charitatis adimpletione latum; imbre lachrymarum pænitentiæ accrescens, erat *Tanquam lignum quod plantatum est, secus decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo.* In hoc ut Ligna Crucis digne efformarentur: Salvator Stigmatisatione, cæsioni sectioniq; subjecit. Et sicut Lignarii Opifices, duplici formâ læsuras ligni faciunt, *scindendo latè*, & terebrando rotundè. Ita excisio Vulnerum: latà dissectione Lateris; rotundâq; perforatione manuum & pedum, peracta.

* CONCEP: Num: 487. 2.Reg: 5, 6. Psal: 1, 3.

III. Machinas qui ex Lignis construunt, ut eleventur sursum pondera; & in altum tollantur, gravissima quæquæ; faciunt rhombum seu palum rotæ ligneum: per cujus excisum foramen, fune transmisso, cum *adnexo clavo aduncato*, attrahuntur ad summum faciliter, ardua & difficilia. Et simile, cùm adsit foramen vulneris; clavi aduncati; chordæq; funiculus: fabricavit Redemptor Mundi Crucifixus, ad multos mortalium, è lacu Seculi peccati, carnisq;, per Franciscũ extrahendos; ad superna indaganda, & quæ recta sunt agenda, elevandos. Elevationem extractionemq; ab imis, designante impresso mysterio Crucis. in qua elevatus Christus: è profunditate inferni, Adæ filios extraxit; & ad alta gratiæ & gloriæ cœlestis culmina attraxit. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Joan: 12, 32.

* CONCEP: Num: 488.

IV. Artifex cædens ligna, multoties ipse cæditur. *Scindit qui ligna, vulnerabitur ab eis, si retusum fuerit ferrum, & hoc* Num: 489.

* CONCEP:

Eccl: 10, 9. *non ut prius sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur.* Vir Dei, dum scindebat ipsemet manu sua ligna, ad salutaria Crucis in plurimis locis, erigenda signa, pro amore Crucifixi laborans: Vulneratus est, mysterio Ligni Sacræ Crucis. Repositumq; in corpore ejus, *retusum hebetatum ferrum* clavorum: acumina retorta & obtusa capitella, habentium.

Accidit in vila Simo, Pictaviæ partium. cum promulgaretur celebritas festi ejus, unus de populo parvipendens, e-
Wad: T. 1. gressus in agrum, ligna succidere, vocem ter audivit: festum
fol. 388. est operari non licet. nihilominus ille, frondem una manu tenens, alteram cum securi levavit. at utraq; manus, ligno & securi adhæsit, quod ad neutrius dimissionem digitos aliquatenus relaxare valeret. ingemuit tandem, & misericordiam postulans, tria emisit vota: quòd festa semper coleret; Ecclesiam in festo adiret; Sancti corpus visitaret. ad cujuslibet itaq; emissionem, unius digiti, postea secundi, tertii demùm, relaxamen in utraq; manu accepit. ipsa vero instrumenta, usq; hodie coram altari B. Francisci, in memoriam facti dependere. Honorante DEO, servum suum: qui sectiones vulnerum Crucis Ligni, expressit.

*
CONCEP: V. Celebre illud *ferculum,* quòd *fecit sibi Rex Salomon de*
Num: 490. *Lignis Libani.* cujus *ascensum purpureum, media charitate constravit.*
Cant: 3, 9. in mysterio Concrucifixionis, fabrebactum videtur. *Ferculum* enim similitudinis Vulnerum Crucis, tulit Franciscus. dictus: *à ferendo* seu *ferens.* aut *Christifer.* & *de Lignis:* nam ligni Sancte Crucis arcana tulit. De lignis autem *Libani,* fabrefactum hoc est *ferculum.* Quia ut *Libanus,* significat *Candidatum,* ita Corpus ejus, virginitatẽ *candidam* conservavit. Prout
Hist: Vitæ Fratri Leoni, Confessario ejus, revelatum divinitus. Deal-
S Franc. batumq; est, in Sangvine Christi. juxta: *Lavant Stolas suas, in*
Apoc: 22, 14 *Sangvine Agni, ut sit potestas eorum in Ligno vitæ.*

CA-

CAPUT XIV.

De 99. Scibili Figulico.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Descriptionem, Divisionem, Objectum, Considerata, Inventoremq;: declarans.*

I. ARs Figulica. significat quamvis effictionem, è molli aliqua materia, Vasis, Statuæ, formæ. igne vel calore indurans, & excoquens.

II. Estq;, alia *Argillatica*: quæ ex limo terræ, atq; pingui ejus materia, politiora efformat opera. alia *Laterifica*: quæ ex denso pingui luto, tegulas & lateres, fabricat.

III. Artem, vix non omnium Mechanicorum operum: administram esse. tum, quia suscipit *formas* quasq; ex quibus & in quibus, multa efformant & fundunt Artifices. tum, quia *Materiam*, e terrâ aut limo suppeditat, ad focos ignemq; servandum, maxime in *Igniariis*.

IV. *Limus* Objectum Artis Materiale: â *Limite & Limine*, dicitur. Limites enim fundorum, agglutinando statuit, & ut Limen pedibus, sic plantâ figuli territur.

V. Figulariam rotam: Anacharsis Philisophus primus invenit, at potius Dibudati Sicionio, qui Corinthi primus fuit Figulus, inventum adscribendum, operâ Palestricæ filiæ, imagines ex Creta fingere initianti, cum enim cujusdam juvenis amore capta esset: abeunte illo peregre, umbram faciei ejus ad lucernam, in pariete lineis circumscripsit, quibus Pater ejus, impressa argillâ typum fecit.

Strab: Lib: 1. Geograp. Plin: L. 35, c. 12. Polyd: Invent: L. 2, cap. ult,

INVENTIO. Conceptibus V: *Opus Dei de Limo, Vasa thesauri fictilia, Instrumenta Artis, ac Requisita; Mysteriumq;, in Concrucifixione Christo repræsentans.*

I. Horte-

* I. HOrreſcis forſan homo, dum dicitur tibi, Deum poſt
CONCEP: Creationis opera Figuli. *Formavit igitur Dominus De-*
Num: 491. *us, hominem de limo terræ*, vel clarius: *Quaſi lutum figuli, in manu*
Gen: 2, 7. *ipſius plaſmare illud, & diſponere.* iterum *ſtructurâ ſtigmatum*, Figuli-
Eccl: 32, 10. cæ artem exercuiſſe. Nec ſit mirum: Ut enim Omnipotens
Quæſt: dextera, ad *imaginem ſuam* fecit Adam, de terra Agri Dama-
Hebr. Loco ſci, tradit S. Hieronymus, à qua & nominatus *Adama*, quòd
cit. ſignificat limum *terræ rubeæ*. Ita Deus incarnatus ad imagi-
nem Crucifixionis ſuæ, de *limo humilitatis*: Concrucifixio-
nem, efformavit, nec de limo ſimplici: ſed terræ rubeæ,
ſcilicet carne ejus, ſanguineo madidâ colore. Utq; pede fi-
guli premitur. Ita attactu pedum Chriſti, pedibus Franciſci
impreſſas plagas, refert relatio montis ſeraphici.

Hiſt: Alver: Sed & *humilior preſſurâ pede Limi acceſſit. Cùm vellet ſpiri-*
de Rev. *tuale inire Colloquium, cum F. Bernardo, non inveniretq; illum in*
Wad: T. 1. *Cella, quæſivit in ſilva vocans: Veni loquere pauperi cæco, & ille al-*
fol: 325. *tiſſimæ immerſus contemplationi, nihil reſponderet, aliquantulum tri-*
ſtitia conturbatus eſt. At ubi audivit de cælo; deſerendusne propter
Creatorem Creator? contremiſcens ad pedes ejus provolutus, veniam
petiit, præcipiendo per Obedientiam, ut in terra jacentem, pedem ori
ſuperimponendo, ter conculcaret. Et fecit, adſtrictus vinculo
Obedientiæ, utq; argilla Figuli pede premitur: ſic preſſus hu-
milis Servus Chriſti.

* II. Viro Apoſtolico, gloriandum eſt cum Apoſtolo:
CONCEP: *Habemus autem Theſaurum iſtum, in vaſis fictilibus, ut ſublimitas ſit*
Num. 492. *virtutis Dei & non ex nobis, in omnibus tribulationem patimur, ſed*
2. Cor: 4, 7. *non anguſtiamur; proriamur, ſed non deſtituimur; perſecutionem*
patimur, ſed non derelinquimur; dejicimur ſed non perimus, ſemper
Mortificationem JESU, in corpore noſtro, Vulnernm mortis ejus
ſupportatione *circumferentes*. Quemadmodum enim dum
Figulus mollem terram premens, laborioſè fingit, ad uſus noſtros,
Sap: 15, 7. *unum quodq; vas*, quod excavatum in medio ſolet eſſe: ita in
limo terræ *naturâ*, ac ſubmiſſione *humilitatis*, facta ſtigmata:
non

non absq; profunditate, *vasorum Specimen* monstrant. Continentium thesaurum *mortificationis JESU*, (ut inquit, D. Paulus) seu vulnerum Mortis & Crucis Christi. Quæ repræsentatio, compendium est: *Omnis tribulationis, persecutionis, derelictionis, proriationis, angustiationis*, & quæ adversa enumeravit Apostolus. His enim Passio Christi abundat, hæcq; Crucem Domini consequuntur.

III. Opera Figuli, ex ergasterio, deponuntur: scindente ferro tenui, & à reliquo limo, dividente. Clavis quoq; Ferreis similibus, scissum, divisum, viri Dei corpus, utq; Job, cùm Vulneribus scissa caro ejus foret, sic alloquebatur Creatorem suum: *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me, memento quæso, quod sicut lutum feceris me.* Similiter Franciscus, alter Job patiens, repletus Crucis vulneribus: Deum Salvatorem suum, gratias agens affari potest, benedicendo DeoPlasmatori suo.

* *CONCEP: Num. 493.*

Job: 10, 8.

IV. At præter instrumenta *ferri:* opus quoq; igne, ad perficienda fictilia opera, *Vasa figuli, probat fornax.* Seraphicus Pater: ardentibus Charitatis flammis, totus ignescebat, ait S. Bonaventura: *Caritatem ferventem, quâ Sponsi Amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat.* Patuitq;, dum hyemali tempore, affecto jam Christi signis servo Dei, sub rupis cujusdam crepidine, ad declinanda nivis incommoda, contigit pernoctare, cùm enim Homo cujus asello utebatur, nimio frigore constringeretur, ut se hinc & inde jactaret, manu suâ illum Franciscus tetigit, & mirabile! tantus viro intra extraq; calor advenit, acsi quædam in eum vis flammea de spiraculo fornacis processisset, & illico inter saxa & nives, usq; mane dormivit.

* *CONCEP: Num: 494.*

Eccl: 27, 6.

Vit: cap. 9.

S. Bon: Vit: cap. 13.

V. S. Macarii Anachoretæ, alumnus Hortesius, cùm gravibus Tartari premeretur tentationibus, & consilium posceret, datum est. Ut fortalitium de argilla, & terra, pro-

* *CONCEP: Num: 495.*

Vit: Anachor: par. 2. c. 5. fundissimum extrueret, ibiq; quinque fenestras, versus cælum faceret. laboravit ille, & diutiori fatigabatur exercitio. Ut tandem sublato otio, tolleretur arcus cupidinis, gravisq; corrueret tentatio. Babilonica Meretrix, Mundus est. impetus ejus, carnis illecebræ: ab hac ne multi Christiani, subjugarentur inferno, ipsius Omnipotentis dextera, elaboravit fortalitium argillaceum, in lutea Francisci carne, & quinque, *vulnerum suorum impressione*, fenestras efformavit, ad inspiciendam, cernendamq; memoriam Mortis ejus. Cujus acerbitatis intuitu: acerbæ viderentur Christianis carnis voluptâtes, & delectamenta, esse deliramenta.

CAPUT XV.

De 100. Scibili Sophilogico, seu Scientia Scientiarum.

INFORMATIO. Prænotandis V: *Explicationem, Divisionem, Considerata, Objectumq; Sophiologiæ, declarans.*

I. SOphiologia: Scientia Scientiarum est. Regina imperio; Mater partu; seu *directione & adinventione*, explicariq; posset: *Est quædam Sapientia infusa vel acquisita, adinventionis novarum; intellectionisq; adinventarum, plurium Scientiarum, ad infallibiliter vel probabiliter, cognoscendas sive tractandas res Divinas, creatasq;.*

II. Appellari potest, *Disciplina.* quòd edocere & edoceri possit, seu *Discentia.* Et cum Scientiæ, aut sunt *Theoricæ*, quæ solam cognitionem rei exquirunt; aut *Practicæ*, quarum finis: regulata rerum tractatio. Idcirco Speculatio, & Praxis cognitio, ad *Sophiologiam* spectant. Et si, *motu notitiæ cælitus infusæ.* producetur cognitio, *infallibilis*; si *comparatione naturali*, non erronea & discursiva erit.

III. Suc-

III. Succinctâ partitione, binæ Sophiologiæ assignandæ Species: una, *Sapientiæ Primæ.* altera *Sapientiæ Ultimæ.* Et primæ munus est: Adinventio novarum Scientiarum; vel inventarum *renovata productio.* Desiderantur enim praxes, inveniendi Artes & Perlustrandi Scientias. cùm & Logica, quæ Scientiam partialiter satagit explicare, nihil profitetur nec cogitat de Inveniendis Artibus, sive Liberalibus, sive Illiberalibus, aut de illarum Operibus; aut de istarum axiomatibus; insimul eliciendis, & coadunandis, & quasi præteriens homines alloquitur: *Cuiq; in sua arte credant.* Sapientiæ verò ultimæ, non postremum Officium: *Conservatio scitu digniorum, & utiliorum cujusvis Scientiæ.* Ut tanquam Mare sit reductorum fluminum; tanquam thesaurus, aggregatorum monilium; armamentariumq; congestorum Palladis armorum.

IV. Appendix *Primæ Sapientiæ*, statuenda: *Hexilogia Sophica.* de Intelligentia Virtutum & Habituum Intellectûs, tam quoad vires; quàm quoad terminos & significata, siquidem *Inventio & Perceptio* Scientiarum: partus est Intellectualis operationis. Et *Ultimæ Sapientiæ*, appendix instituenda: *Technologia Sophica:* recensens Disciplinarum differentias, Species, Proprietates, Divisionum compendia, Axiomata, & certa Dogmata, Similiaq;.

V. Sophiologiæ Objectum: est *Scibile.* & significat, *Rerum quæ sciri, aut aliquid, quod derersciri potest.* Et cum plus, quàm in se Scientia aliqua determinate includat; indagari possit aliquid conforme principiis Scientiæ, *ex se* vel *Objecto.* ideo dicitur Scientificum. Ut illud, *Scientia* dici debeat: dum actu aliquid, de Objecto aliquo cognoscibili scitur. *Scibile,* vero illud: quod haberi potest, de aliquibus Objectis possibilibus cognosci. Unde *Scibile,* dicitur Secundùm *Potentiam.* Scientia, Secundùm *Actum,* vel habitum Intellectus. ideoq; non esse idem naturâ.

INVENTIO. Conceptibus V: *Fontem omnium Scibilium*; *Modum assequendæ Sapientiæ*; *Documentum*; *Axiomaq́ Sapientum*, *ac Omnium Scibilium complementum*: *in Concrucifixione Christo repræsentans.*

*
CONCEP: *Num. 496.* I. S*Apientia Crucis* Jesu Christi, *in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi*: est *non plus sapere, quàm oportet*
Col: 2,3. *sapere.* plusquam tamen *omnium scientiarũ* Sapientia, censenda.
Rom: 12,3. *Scriptum est enim, perdam Sapientiam Sapientum, & prudentiam*
1.Cor. 1,19. *prudentum reprobabo.* Idcirco Doctor Gentium, sciens quod
1. Cor; 2, 8. *Stultam fecit DEUS Sapientiam hujus Mundi*, protestatur: *non judicare se aliquid scire nisi Jesum, & hunc Crucifixum.* Etenim:

Si Christum noscis. nil est. si cætera nescis.
1.Pet: 3, 25. *Si Christum nescis. nil est si cætera noscis.*

Idcirco, de quo Princeps Apostolorum: *Paulus secundùm datam sibi Sapientiam scripsit.* ait: *prædicamus Christum Crucifixum,*
2.Cor; 1,12. *Judæis quidem Scandalum, Gentibus autem Stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atq́ Græcis, Christum DEI virtutem & Sapientiam.*
Jacob: 3,17. Hujus itaq́; Sapientiæ, quæ desursum est, non *Sapientiæ carnalis*: ipsa *Sapientia incarnata*, Jesus Salvator, cum impressit Francisco, Crucis suæ stemmata, thesaurum *omnium Scien-*
Ephes. 3,20. *tiarum*, in iisdem reposuit, Orbiq́; monstravit. *Ut innotescat principatibus & potestatibus in cælestibus, per Ecclesiam multiformis Sapientia DEI.* nimirum primâ formâ *Sapientiæ Crucis*, exarata in corpore vivo, Crucifixi Redemptoris; alterâ quasi *multiformiter*, aut *multiplicando*, efformatâ Signis vulnerum Cru-
Luc: 21, 15. cis, in subjecto carnis Francisci. Et juxta: *dabo vobis os, & Sapientiam.* Dante Redemptore servo suo: *Ora vulnerum Cru-*
Confor: fr. 30. pag. 2. *cis.* Doctissimo Pisano, recte asserente. *Crux Christi, docet omnes Scientias.*

*
CONCEP: *Num. 497.* II. Sapientia, assequendi sui modum, intimavit: *Ego Sapientia habito in consiliis, & eruditis intersum cogitationibus, diligen-*

diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me, invenient me. beatus Prov: 8, 17.
homo qui audit me, & observat ad postes ostii mei. qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Francisco, *parvulo Minoritæ:* Ut absconditam à Sapientibus & prudentibus, hujus Matt: 11, 25.
Sæculi; & *revelatam parvulis Sapientiam;* Dominus *Sapientiam* Psal: 18, 8.
præstans parvulis, conferret: prædicta requisita expleta sunt. Etenim, *quæsivit in Consiliis habitantem Sapientiam.* dum consilia Evangelica de *bajulanda Cruce*, Concrucifixus realiter Christo, Matt: 10, 37
implevit. *Dilexit Sapientiam.* cum ob Seraphicum amorem, Seraphici itidem signa amoris, impressa possedit. Testatur S. Bonaventura: *dum Seraphicis desideriorum ardoribus sursum* Off: Stigm:
ageretur in Deum, & affectus compassiva teneritudine, in eum trans- Lect: 2.
formaretur, cui ex Charitate nimia, crucifigi complacuit. quodam Noct.
mane circa exaltationem Sanctæ Crucis, in latere montis orans. Stigmatibus insignitus est. Quantum ad *vigilantiam* cum *non jaceat in molli, veneranda Scientia lecto*, cùm sit *Aurora Musis amica:* eam in matutino tempore Impressionis, *quodam mane*, animadvertere licet. juxta: *Estote ergo prudentes & vigilate in* 1. Pet: 4, 7.
Orationibus. Vigilavitq; ad *Fores & Ostium* Sapientiæ æternæ Jesu Christi: nimirum vulnera, de quibus D. Augustinus explicans illud: *Latus ejus aperuit*, disserit: *Vigilanti verbo, usus* In Joan:
est Evangelista, ut non diceret latus ejus percussit, aut vulneravit, aut c. 19.
quid aliud; sed aperuit. ut illis quodammodo ostium vitæ panderetur.

*

III. Alia item assequendæ Sapientiæ conditio est: *CONCEP:*
Patientia. Ut probatum Sonat Axioma: *Nemo Sapiens nisi pa-* *Num: 498.*
tiens. &, *Doctrina Viri per patientiam noscitur.* Vir DEI simili Prov: 19, 11.
Vulnerum Crucis dolore, *patiens* cum Magistro suo, Sapiens factus. Observandoq; : *Stultas autem & sine disciplina quæstio-* 2. Tim: 2, 24
nes devita, sciens quia generant lites, servum autem Domini, non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem: patientissimi Jesu, *Mortis Sapientiam* amplexatus est. memor oraculi Divi Augustini; *Surgunt indocti & cælum rapiunt, & nos* Lib: 8. Con-
fess. c. 8.

Col: 3,2. *cum doctrinis nostris, ecce in Sangvine & carne volutamur.* juxtaq; *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

✱
CONCEP: Num: 499. IV. Sapientiæ cœlestis Axioma, à Scholis terræ non oppugnabile: *Verba Sapientum sicut stimuli. & quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt, à Pastore uno.*
Eccl: 12, 9. mirum! quam clarè, mysterium *clavorum infixorum*, Stigmatisato corpori, intimat. Etenim. à *Magistro uno*, dicente
Matt: 23, 8. Domino: *Unus enim est Magister vester;* ab optimo Pastore unico, animam suam in Cruce pro ovibus ponente: non ab Aristotele, Salomone, profectu Sapientiæ cœlestis, sublimatus est. & signis vulnerum, *exaratam Crucis Sapientiam* obtinuit Franciscus. Dignus assimilari viro illi magno, de quo Sacer textus: *Cumq; esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum*
Eccl. 12, 10. *& enarravit quæ fecerat, & investigans composuit parabolas multas, quæsivit verba utilia, & conscripsit Sermones rectissimos, ac veritate*
Ephes: 1, 2. *plenos.* gloriariq; ipsemet valet: *Habemus redemptionem per Sangvinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis, in omni Sapientia.*

✱
CONCEP: Num. 500. V. Doctrinâ Augustus *Augustinus*, ob præclara multaq; ingenii Specimina, à S. Paulino, & aliis viris doctis, appellatus est: *Puteus Sapientiæ, Magister Theologiæ, Flos ingeniorum, Ornamentum Scholarum, Doctor Doctorum, Homo Theodidactos, Eruditorum Sanctissimus, Sanctorum eruditissimus.* Et B. *Alberto Magno*, præcellenti itidem Sapientiæ Syderi, Doctoris Angelici Præceptori, Coloniensis Universitas, Epitaphium prisci Styli & carminis, in laudem doctrinæ ejus, hujusmodi posuit:

Phœnix Doctorum, par, is expers Philosophorum.
Princeps Doctorum, vas fundens dogma sacrorum.
Major Platone, vix inferior Salomone.

Doctissimo verò *Claudiano Presbytero*, Fratri S. Mamerci, Episcopi Viennensis, Sidonius Appolinaris, dignum Sapientissimo viro elogium, concinnavit:

Triplex

Triplex Bibliotheca, quo Magistro.
Romana, Attica, Christiana, fulsit.
Orator, Dialectus, Poeta. Tractor, Geometra, Musicusq;
Doctus solvere vincla quæstionum.
Psalmorum hic, Modulator & Phonascus.

Seraphico Parvulo, *nihil se reputanti scire, nisi Jesum Christum;* 1. Cor. 2,8.
& hunc Crucifixum. in cujus vitæ Apostolicæ Actibus, *Stultam* 1. Cor. 1,21.
fecit Sapientiam DEUS, hujus Mundi: cùm *mysterio Sapientiæ Crucis*, in arcano stigmatum suorum, referat & repræsentet *OmniscibileCenturiæ Scientiarum*, Conceptus & considerationes Scientificas. aggratulando Sapientiæ ejus cælesti, Elogium vel hoc modicum, (Alphonso Tostato Episcopo Abulensi, olim positum) adscribere decet convenitq;:

Hic stupor est Mundi, qui Scibile discutit omne.

Sapienter alloquitur Seraphicus Doctor, Seraphicum Patriarcham suum, purpuratus Toga Cardinalitiâ, purpuratum murice Sanguinis Vulnerum JEsu: *Evangelicæ perfectionis apicem, te finaliter conclusisse, ut demonstrationem hanc Sapientiæ Christianæ, in tuæ carnis pulvere exaratam, nullus verè devotus abjiciat, nullus verè fidelis impugnet, nullus verè humilis parvipendat, cum sit verè divinitus expressa.* Ad Majorem gloriam Dei, cui laus & honor sit, in Sæcula Amen.

Vit. S. Frã: c. 13. ad finem.

CONCLUSIO.

Seu

Sequella Inventionum.

Quingentorumq; Conceptuum.
Esse igitur Scibilium Centenorum:

Objecta,

OBjecta, Contenta, Requisita Considerata, Reductaq;. Proprietates, Accidentia, Proportiones, Disparitates.
Et quidquid vult Orbis Rationalis, præcipui Scientifici.

Id.

In Concrucifixi Christo, Crucifixi Mundo, Sacris Vulneribus Crucis.

1. Cor: 1, 21. *Ut Mundus: Crucem quam putat insipientiam, omnem scientiam*
Rom: 15, 14. *esse Videat.*
2. Cor: 9, 8. *Ut Adinventione cæli Sapientiæ: Franciscum per Seraphica signa, omnibus bonis, honoratum appareat.*
1. Cor: 9, 19. *Ut Militanti Ecclesiæ,* per omnia, *Apostololicum Patriarcham Minorum, Characteribus Mortis JEsu repræsentantem omnia, deservire pateat.*
Matt: 11, 17. *Ut Minoritana Familia, Patri suo Sanctissimo, in tesseris Concrucifi-*
1. Cor: 9, 22. *xionis Christo: Omnia tradita esse à Deo, gaudeat.*
Phil: 4, 12. *Ut Omnibus omnia factum, omniaq; Deo confortante posse: insignitum mysterio Plagaram Christi, quisq; censeat.*

Virtute, Vi, Valore: Salutiferæ Crucis Domini.

REPRÆSENTATUM.

NIhil se reputanti, affectantiq; scire: nisi Jesum & *hunc Crucifixum Omnia Scibilia,* repræsentare concessum est à Domino.

1. Reg: 2, 3. *Quia DEUS, Scientiarum Dominus est.*
Is: 24, 5. Sanctisq; Servis ejus dictum: *In Doctrinis glorificate Deum.*
Alloqui Universum Orbem, Sacræ paginæ Verbis, potest:
Seraphicus, Apostolicus, Mysticus, Extaticus, Mirificus, Servus JESU Crucifixi, Franciscus.

Sap: 7, 17. DEdit mihi horum, quæ sunt Scientiam veram, ut Sciam dispositionem Orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutatio-*

nes

nes & consummationes temporum, morum mutationes, & divisiones, anni recursus & stellarum dispositiones, naturas animalium & iras bestiarum, vim ventorum & cogitationum Hominum, differentias virgultorum & virtutes radicum, & quæcunq; sunt absconsa & improvisa didici, omnium enim artifex, docuit me Sapientia.

Vere in illo, Sanctum Doctissimi Viri assertum, declaratum:

Crux Christi, docet omnes Scientias. Pisan: Confor: fr: 30. p. 2.

B*Enedictus sit, JEsus Christus Crucifixus, Redemptor meus, qui infirmo corpore & intellectu, maximo mihi peccatori, vigesimum quintum annum inchoanti, instinctum modici laboris hujus, in laudem Sanctissimi Patriarchæ, contulerit.* Utq; perficerem, sæpius distractus, permiserit.

Benedicta sit Sancta Deiparens, Crucifixi Filii sui Cruci adstans, in cujus Sacra Æde Portiunculæ, in conventu nostro Assisiensi, ubi è stigmatisato corpore, Beatissimus Pater cælestem reddidit cælo Spiritum. Opusculum istud, in Festo Immaculatæ Conceptionis ejus, consummatum est. Et singulari beneficio Dei, gratia & auxilio, inter innumeras difficultates & impedimenta varia, concinnatum.

Ad Te autem Sanctissime Pater Ordinis mei. *Decus Morum Dux Minorum.* Servus tuus & Filius Ancillæ tuæ, inclamat gemebundus: exora pro me peccatore indigno, Deum Tuum & Deum meum, in vanum non sit pretiosissimus Sanguis pro me in Cruce effusus, si essem æternaliter confusus.

Verorum Pater Pauperum:
Nos pauperes, fac Spiritu.
Consortes redde superum:
Ereptos ab interitu.

Gloriare igitur securè jam, in Crucis gloria Christi signifer gloriose, quoniam à Cruce incipiens, secundùm Crucis Regulam processisti, & tandem in Cruce perficiens, per Crucis testimonium, quantæ gloriæ sis in cœlo, cunctis fidelibus innotescit. securè jam te sequantur, qui exeunt ex Ægypto, quia per Baculum Crucis Christi, mari diviso deserta S. Bon: Vitæ: c. ult: ad finem:

N *transibunt,*

transibunt, in repromissam viventium terram. Jordane mortalitatis transmisso, per ipsius Crucis mirandam potentiam ingressuri. Quo nos introducat verus populi Ductor, Salvator Jesus Christus Crucifixus, per merita servi sui Francisci, Amen.

Ad

Majorem DEI Gloriam.

B. Mariæ V. S. Angelorum, Beatorumq; Omnium.


Finis Libri V. & Ultimi.

ASTERISMA

Dum leges, has statue Leges:
Errata, quæ distractum Artificium porrigit,
Perspectum Judicium: corrigit, erigit, dirigit,
Litera enim, dicitur à Litura.

D. O. M.

Omnia.





INDEX
SVCCINCTÆ COLLECTIONIS.

Sacrorum Textuum: Mysterio assumpti Thematis, singulariter conuenientium.

Procemialium: Omniscibilis præcipua notanda, explicantium.

Inuentionum: Generaliter omnes Conceptus, continentium.

Maxime autem notabilia: Quingentis Conceptibus, complexa. *Seipsis panduntur, & monstrantur.*

Aduertendum hîc: *Numerum posteriorem significare Conceptus, qui Asterisco denotantur. & 500, solùm sunt.*

Errata verò corrigenda sic: *Pro numero Conceptûs 186. ponas: 486. item pro 48. ponas 487.*

I. COLLECTIO *Sacræ paginæ Textuum.*

Qui Mirificâ energiâ, *Mysterio Assumptæ Materiæ Conuenientes, Vario multiplici sensu, sine attractione explicantur. Singularique applicatione & eruditione exponuntur.*

EXODI.

LEVITICI.

IOSVE.

DEVTERONOMII.

IVDICVM.

RVTH.

I. REGVM.

II. REGVM.

III. REGVM.

IV. REGVM.

II. PARALIPOMENON.

77. 16.

PROVERBIORVM.

CANTICORVM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIÆ.

20. 3.

IEREMIÆ.

THRENORVM.

EZECHIELIS.

Ex Nouo Testamento.

9.16.

1.18.

II. CORINTHIORVM.

Ad GALATAS.

EPHESIORVM.

Omni:

ris

Alios Textus Sacros, videre placeat, non apponuntur.

Colle-



II. COLLECTIO.

Proæmialium & notandorum Præmissorum.

Primaria Dogmata, Centum Scibilium, explicantium.

Aduertendum: Numerum priorem, significare *Libros.* qui nonnisi Quinque. Posteriorem, denotare *Notanda.* Singulis scibilibus, quinquiessolùm apposita.

A.

AGYOGRAPHICVM. Scibile Num: 5.

Scientiæ Sacræ Scripturæ, Denominatio Notando I. *Explicatio.* Nottando II. *Diuisio Librorum, Veter: & N. Testam.* III. *Obiectum Materiale & Formale.* IV. *Vniuersitatem scientiarum, scriptura continet.* V. Lib: 1. c. 5.

ALCHIMICVM. Scibile num: 31.

Interpretatio eius. N. I. *Quid sit.* II. *Ad quam scientiam reducitur.* III. *Practica Philosophia dicitur.* IV. *Medicinæ inseruit, & quando Mechanica.* V. Lib: 2. c. 12.

ALPHABETICVM. Scib. num: 55.

Interpretatio Nominis. I. *Descriptio Artis.* II. *Literarum Diuisio.* III. *Litera apud Græcos Latinosq; quid denotat.* IV. *Inuentor primus.* V. L. 2. c. 36.

ANATOMICVM. num: 30.

Significatio Nominis. N. I. *Explicatio* II. *Cuius Notitiæ sit pars.* III. *Docendi Methodus.* IV. *Obiectum quod, & qualis diuisio.* V. L. 2. c. 11.

APOCALYPTICVM. num: 8.

Interpretatio quoad Reuelationes. I. *Descriptio notitiæ.* II. *Inspirationis Reuelationum species & modi.* III. *Obiectum Materiale & Formale.* IV. *Qualis Reuelatio naturalis & supernaturalis, & quomodo fiat.* V. L. 1. c. 8.

ARCHITECTONICVM. Scib: 87.

Vocis generica acceptio. I. *Obiecta Architectonicæ.* II. *Causæ ædificiorum*

Expli-

D.

E.

F.

FIGVL-

MATHE-

PHYSI-

R.

Nomen.

III. COLLECTIO.

Inuentionum Generalium, singulariter suos conceptus specificos, continentium & proponentium.

Aduertendum: Centum *Inuentiones* esse, & totidem *Scibilia*, numeroq; designantur. *Errata verò sic corrigenda:* Libro II. ad c. 31. Addas: *De 50. Scibili Poëtico.* Item ad caput. 37. ibid: addas: *De 56. Scibili Legiterico.*

14. In-

27. In-

beti

72. Spon-

FINIS.

Quoad

QVOAD ERRATA.

ADmonendum duxi, in Aſteriſmo, ad Coronidem Operis: nunc Rogandum. deuiantes in propero curſu ſuo literas, (facile vt ſtellas errantes videbis,) deduc in viam rectam; & ſi poſt remanent, cogas in ordinem; abſentes, ac non accelerantes, compellas; iacentes, aut transfer aut effer. Et defectus operæ, cum ſic corriges: infirmitatum Typi, quarum ſupergreſſionem hìc ſcio, quòd abſens non ſenſi, cor eriges. Quis enim Liber? à næuo & mendis liber.



